CHRISTIANI THOMASII

ORATIONES ACADEMICÆ,

I. DE JURISPRUDENTIÆ CORPORE, ANIMA, CADAVERE, SCELETO, SPECTRO.

II. CUR PRORECTORATUM ANTEA RECUSATUM SUSCEPERIT?

III. AN SAPIENTEM DECEAT MAGISTRATUM GERERE?

ADJUNCTÆ SUNT

NOTÆ ET OBSERVATIONES,

PARTIM DICTA EX HISTORIA PHILOSOPHICA ILLUSTRANTES, PARTIM MISERIAM ET CRASSAS RELIQUIAS PAPATUS POLITICI IN ACADEMIIS PROTESTANTIUM, REMOTO VELAMINE OSTENDENTES,

UNA CUM

SUMMARIIS SINGULARUM ORATIONUM ET NOTARUM.

HALÆ, MDCCXXIII.
Proſtat in Officina Rengeriana.


BIBLIOTEKA ELBLĄSKA


BIBLIOTEKA
UNIWERSYTECKA



PRÆFATIO.

QUod tres orationes sequentes, ante plures annos in auditorio publico habitas nunc demum publici juris faciam, non ideo factum, ut meum nomen magnis Oratoribus Latinis quorumcunque Seculorum adjici intendam, aut, ut in Lectoribus, qui non nisi Ciceronem & ejus stilum amant,

gaudium aliquod excitem, ſed potius, ut illis, qui ſapientiæ genuinæ dediti ſunt, occaſionem ſuppeditem de doctrinis in his orationibus propoſitis, ulterius meditandi. Jam alibi docui, artem Rhetoricam & Oratoriam, partim in Academiis noſtris corruptam eſſe, partim non eſſe partem veræ ſapientiæ, ſed ejus ornamentum, denique oratores magis naſci quam fieri. Non habui, qui in me, cum juvenis eſſem, ſtudium artis Oratoriæ excitaret; præterea magis ad ſtilum ſimplicem ſed perſpicuum & ſincerum, & in proponendis veritatibus valde utilem, quam ad fucatum & qui ſæpe alios decipere, aut res quaſcunque ipſis perſuadere intendit, a natura inclinavi; denique utilius & mihi & aliis eſſe arbitratus ſum, ut vera ſapientia, et-

iam apud Protestantes, tamdiu in Academiis sepulta, vel occultata, a tenebris in lucem, etsi nuda, protraheretur, quam ut de ipsius ornamentis, sub quibus & stultitia se sapientiam esse incautis persuadere solet, maximopere essem sollicitus.

Cum tamen in Academiis hodiernis tria genera dicendi antiqua, demonstrativum, deliberativum & judiciale ob varias caussas exulent, & novum genus, quod didascalicum vocari solet, in usu esse soleat, operam dedi, ut triplici oblata occasione publice disserendi, eligerem themata, & studiosæ juventuti utilia, & Auditoribus illustribus, & in diversis eruditionis ac officiorum publicorum classibus excellentibus, non inamœna, aut ipsis adversa; & ut in discursu magis sollicitus

essem, ut ipsis occasionem præberem, profundius meditandi aut examinandi ea, quæ prima fronte paradoxa videri possent, aut certe communibus doctrinis adversa, aut (si modo reliquis tribus facultatibus potestas hæretificandi æque permissa esset ac facultati supremæ) hæretica; vel etiam, ut ipsi incitarentur ad determinandas quæstiones, quæ a me ut dubiæ fuerunt propositæ. Et in horum etiam gratiam publici juris nunc facio ea, quæ tum temporis a me fuere proposita. Grammaticos autem, & qui nil nisi sputa Ciceronis lingere adsueti sunt, rogo, ut fugiant harum meditationum mearum lectionem, ne forte cephalalgia aut torminibus ventris laborare incipiant, si modos loquendi vel phrases in his orationibus

bus deprehendant, quæ ad ipſorum guſtum non quadrant.

Memini, cum ante plures annos homo ordinis mei, in ſimili negotio publice verba ad auditorium faceret, & ipſe Priſcianum nimis vilipenderet, prope triſtem ejusmodi caſum accidiſſe. Nam cum ipſe Orator ſibi perſuaderet, cum haberet poteſtatem Imperatoriam & Regiam creandi Doctores, etiam ſe jure contemnere poſſe Grammaticos & modos loquendi receptos, ex improviſo auditores ſic alloquebatur: *RECORDATE quæſo Auditores, RECORDATE inquam.* Qui mei ſimiles erant, his non placebat quidem iſta loquendi libertas, ſed tamen propterea non indignabamur, magis videlicet attenti ad cogitationes Oratoris, quam ad ejus verba. Sed aderat

 etiam

etiam in Auditorio magnus nec vulgaris Grammaticus, qui prope annuum ſpatium & ultra conſumſerat, inquirendo in primum Autorem qui vocabulo *præprimis* primus uſus fuerat, cum id nec in Cicerone, nec in coævis Autoribus deprehenderetur. Hic & capitis & manuum motu indicia dabat vicinis, quod iſtud: *RECORDATE* ipſi maxime diſpliceret, eumque ad iram commoveret. Sed hic non ſubſiſtebat is primus motus: Cum enim Orator mox inter alia diceret: *MUSICANTES noſtri*, novo paroxyſmo incipiebat laborare Grammaticus. Tandem opus erat, ut ei vicini Aſſeſſores balſamo ſuccurrerent, ne animi deliquium pateretur, cum Orator, neſcio, de quo ritu aut conſuetudine, ſic pronuntiaret: *Sed hoc tum tempo-*

ris

ris nondum erat MODI. Etsi vero sperem, in meis orationibus ejusmodi loquendi flosculos nimis odoriferos non reperiri; facile tamen fieri posset, ut alii istis aliquo modo similes aut affines ibi existant, aut certe, ut vel ex sola hujus præfationis & exempli lectione, damnum patiantur ejusmodi Reipublicæ literariæ i. e. Grammaticæ, Duces & Comites, quod tamen nollem.

Prima Oratio intendit primario depingere effigiem genuinæ & fucatæ jurisprudentiæ, magis tamen symbolice & emblematice, quam logice aut metaphysice, ut dulce utili miscerem, & me ad ingenia varia auditorum & variantia magis commodum redderem, simul vero, ut sub hoc schemate sensibiliter monstrarem, stultæ juris prudentiæ genera etiam in terris

Principum Proteſtantium fere ubique regnantia. Hac vero occaſione ſimul in id incubui, ut unam ex paucis doctrinis fundamentalibus Philoſophiæ meæ breviter, ſed non obſcure tamen, animis Auditorum inſinuarem: ſcilicet hominem non eſſe ſpeciem infimam, ſed ſingulos pene homines ab aliis ſpecie differre. Et credo, oſtendent notæ hujus orationis exordio jam adjunctæ, me ea non aſſeruiſſe animi gratia, aut ad oſtentandum forte ingenium, ſed ex animi ſententia, & omnes pene Philoſophos veteres idem docuiſſe, imo & ſacris literis eam doctrinam convenire, communem vero ſententiam, cujus originem pariter monſtrant notæ, eſſe fontem præcipuum errorum maxime noxiorum & rempublicam turbantium, nimirum, ho-

hominem esse speciem infimam, cujus essentia sit in intellectu quærenda, & cujus adeo affectibus, ab intellectu dependentibus, communes & universales regulæ ad emendandam voluntatem sint præscribendæ &c.

In secunda Oratione saltem adjectæ fuere paucæ & breviores observationes, cum ea respiceret saltem me in specie, & thema, de quo tum agebatur, non permitteret resolutionem quæstionis alicujus, profundiores meditationes requirentis. Alia vero erat ratio Orationis tertiæ, ubi quæstio: An deceat sapientem Magistratum genere? & olim inter diversas sectas Philosophorum in utramque partem fuit disputata, non tamen ubique sincere, sed maximam partem hypocritice. Unde coactus fui, saltem ea, quæ ex istis diver-

sis

ſis & ſæpe oppoſitis hypotheſibus notari merebantur, ſaltem per indicem & in ſumma proponere, & meam ſententiam ſine autoritate aliorum per breves & evidentes rationes adjicere: poſtea vero in annotationibus ſubjunctis hypocriſin illam Philoſophorum Ethnicorum fuſius demonſtrare, ac ſimul docere, quo pacto iſtæ hypocriticæ doctrinæ dederint occaſionem inter Chriſtianos Papatui Politico, & quomodo hujus reliquiæ ſatis craſſæ etiam adhuc hodie regnent inter Proteſtantes.

Cum autem obſervationes illæ requirerent tam intuitu primæ quam tertiæ orationis, meditationes ulteriores & teſtimonia varia eruditorum, hinc factum eſt, ut hoc demum tempore orationes illas publicare potuerim. Inceperam equidem jam ante ſexennium

nium adjungere notas, quas hic legis, ſed hactenus impeditus ſum variis aliis negotiis, ut notas illas tum temporis non potuerim abſolvere, ſed cogerer ſubſiſtere in *nota ggg Orationis primæ.* Nunc autem ulterius editionem illam non ulterius differre, ſed notas, quæ reſtabant abſolvere cogebar, quia notorium eſt, me ea, quam debeo *POTENTISSIMO REGI MEO*, ſubmiſſione, deprecatum eſſe Prorectoratum hujus Academiæ perpetuum, non vero ita notorium, ſed multis tamen cognitum eſt, a non paucis partim dubitatum fuiſſe de ſinceritate deprecationis meæ, partim falſam ſinceræ meæ deprecationis rationem fuiſſe allatam, nimirum, quod nimia ſenectus me ineptum reddidiſſet ad magiſtratum Academicum ſuſcipiendum. Hos autem ſive

ſive amicos, ſive inimicos, ſive active, ſive mere paſſive, ſe gerentes non modeſtius refutare me poſſe ſum arbitratus, quam ſi orationes has imprimi curarem. Hoc modo enim quilibet perſpicere poterit, potiſſimum ex oratione tertia, quod jam illo tempore publice declaraſſem, quod munus hoc iterum ſuſcipere nollem, item quod notæ *ad d. Orat. 3.* nunc adjectæ ſatis docerent, absque tamen ulla animi vehementia, calumnias ab illis de me ſparſas eſſe, qui aliis perſuadere voluerunt, quod ob ſenectutem, ingenio & judicio ſim deſtitutus, & incipiam repueraſcere.



ORATIO
in
Actu promotionis Doctoralis
d. 8. Julii 1707.
habita
DE
CORPORE ET ANIMA
JURISPRUDENTIÆ VERÆ
ET
DE TRIBUS GENERIBUS JURISPRUDENTIÆ FALSÆ, SCILICET DE JURISPRUDENTIÆ CADAVERE, SCELETO, SPECTRO.



SECTIO I.

EXORDIUM de variis hominum generibus & speciebus, una cum PROPOSITIONE

SUMMARIA.

EXORDIUM. I. *Querela de neglecta ab eruditis cognitione naturæ humanæ.* II. *Homo melius novit bestias & alias creaturas quam alios homines. Quod docet inepta multorum hominum applicatio ad negotia, ad quæ non sunt apti.* III. *Causa mali præcipua est, quod credatur, hominem esse speciem infimam, & singulos homines saltem numero differre.* a) IV. *Erroris hujus noxietas & altæ radices in animis eruditorum.* b) V. *Quamvis*

a) *Acute dictum Antisthenis.*

b) *Secundum Leibnüzium nostra sententia est impia, a Cardano, Sanchezio & Bassono defensa, nec juri Romano inco-*

incognita. Respondetur ad objectionem de impietate. De Medicis sine causa suspectis. De intempestiva censura contra tres autores memoratos. In specie de Cardano & de ejus de hominum natura assertionibus. Cardani doctrinæ de differentia hominum. Judicium de Scaligeri scriptis adversus Cardanum: in specie de differentia hominum. De Sanchezio & pro ejus defensione. De JCtorum sententia. Ostenditur insufficientia responsionis Leibnüzianæ.

longe aliter docuerint Philosophi antiqui. Democritus & Epicurus hic silent. c) *Stoici dicunt, homines*

c) *Testimonia Sexti Empirici de sententia Democriti & Epicuri.*

specie differre. d) *Notatur Lipsius.* e) f)

d) e) f) *Loca Lipsii & Senecæ.*

VI. *Probatur, secundum Aristotelem, homines inter se non numero, sed specie differre.* g) h) i) VII. *Quis ergo*

g) *Explicatur locus Aristotelis adductus adversus Casaubonum, & alius ei parallelus ex libris Metaphysicorum.*

h) *Conringii cogitationes de priore Aristotelis loco.*

i) *Illustratio hic dictorum ex Conringio.*

autor erroris communis? k) *Porphy-*

k) *Communis loquendi modus.*

rius, l) *sectator Platonis.* m) *Platonis*

l) *Locus Porphyrii.*

m) *Porphyrius an Platonicus?*

ineptiæ circa definitionem hominis. n)

n) *Definitio hominis Platonica.*

o) p) IIX. *Philosophi, Medici, JCti,*

o) *Sententia Platonis dubia, an hominem habuerit pro specie infima.*

p) *Judicium Ludovici Vivis de Isagoge Porphyrii.*

Theologi specie differunt. IX. *Philosophia, Medicina, Jurisprudentia, Theologia non solum specie differunt, sed sunt plane animalia specie diversa, non quidem in sensu Stoico, sed quia secundum communem doctrinam corpore & anima constant.* q) X. *Pro-*

q) *Stoicorum sententia, quod virtutes, vitia, affectus, sint animalia. Rationes Stoicorum. Responsiones ad objectiones. Rationes Senecæ dissentientis. Ineptitudo subtilium disputationum Stoicarum. Utiliores doctrinæ de virtute & ejus studio. Varia monita circa præcedentem Senecæ Epistolam. Ostensio ineptiarum, quibus Stoici probare voluerunt, animum esse animal. Similes ineptiæ Senecæ, probare volentis, quod virtus non sit animal. Ineptiæ,*

quatenus diverso respectu tristes & ridiculæ.

batur assertum: (1) Jurisprudentiam habere multa corpora, & animam vegetativam, sensitivam & rationalem. r) XI. (2) Theologia olim erat mere spiritualis, sed postea corporea evasit, eaque partim larvata, partim genuina. Utriusque expositio relinquenda Dominis Theologis. XII. Theologia Scholastica corporeitatem dissimulavit. Post reformationem in confesso est, Theologiam habere corpus. XIII. Consensus Theologorum & Jurisconsultorum in impediendis novis doctrinis. s) XIV. Differentia inter corpora & animas Jurisprudentiæ & Theologiæ. XV. Corpora & animæ (3) Facultatis Medicæ & Philosophicæ. t) XVI. Transitio ad Propositionem. XVII. PRO-

r) Jus pro arte sumtum & Jurisprudentia sunt Synonyma.

s) Explicatio temeritatis eorum, qui numerum quinarium ex numerorum parium classe eximere voluerunt.

t) Objectio ex Hubero, quod in Jurisprudentia Ratio non ubique sit attendenda. Responsio ex eodem Hubero.

PROPOSITIO Ostendenda differentia veræ & fucatæ Jurisprudentiæ ex doctrina de corpore & anima ejus.

XIIX. *Commendatio Thematis ET CAPTATIO BENEVOLENTIÆ.*



Uam necessaria etiam, Perillustris & Excellentissime Regiminis Magdeburgici Domine Præses, Pro-Rector Academiæ Magnifice, Auditores omnium ordinum & dignitatum honoratissimi. Quam necessaria, inquam, humano generi etiam sit cognitio sui ipsius, tam superficiarie tamen ac negligenter eadem tractari solet communiter ab omnibus, omnium maxime vero ab iis, qui eruditorum nomine a reliquis disceruntur. Et de ista quidem cognitione sui, quæ ad singulos pertinet homines, in præsenti non ero sollicitus. Habet enim eadem adjunctas multas difficultates, vix millesimo hominum superandas, ut adeo ejus neglectus

EXORDIUM. 1. Querela de neglecta ab eruditis naturæ humanæ cognitione.

ſuo modo ad claſſes minoris culpæ & quæ ſtilo JCtorum Romanorum culpa levis & leviſſima dici conſuevit, referri mereatur. Saltem id non poteſt non ſupinæ, craſſæ, & latiſſimæ hominum negligentiæ adſcribi, quod, cum totum genus humanum alias & pronum & aptum ſit ad defectus aliorum, etiam intimiores, nimis ſagaciter detegendos, in eo tamen, non tam communi hominum vitio, quam ex imbecillitate eruditis prope peculiari ſit aberratum, quod communis hominum natura non tam neglecta ſit, quam falſis & ſenſui communi tantum non repugnantibus doctrinis fuerit propoſita.

2. Homo melius novit beſtias & alias creaturas, quam alios homines.

Res plana eſt &, ſi cum ſolo vulgo mihi negotium eſſet, aut inſtituti ratio pateretur, ut in idiomate germanico ſenſa animi exponere non foret indecorum, veritas aſſerti mei vel duobus verbis ad oculum poni poſſet. Nunc cum auribus eruditis, aut ab eis, qui eruditi vocantur, dependentibus

bus, me sentiam esse circumdatum, cautius longe & cum majori circumspectione res est exponenda. Haud dubie naturas entium aliorum præter hominem, & potissimum creaturarum terrestrium, quam parum etiam sciamus, melius tamen novimus, quam naturam humanam. Quotus quisque enim est ita stupidus, ut feles lardo custodiendo præficiat, lupo oves commendet, aut hirco flores, ut cribro aquam hauriat, oleo flammam cupiat extinguere? At si inquirere velis in causam si non unicam, certe præcipuam miseriæ universalis, quæ turbas ubique gentium excitat, non aberrabis, si dixeris, illam in eo consistere, quod in societatibus humanis homines non adhibeantur ad ea negotia, ad quæ natura sua sunt apti, & quod potius ad ea peragenda destinentur, quæ ipsorum vires vel superant, vel iis plane sunt adversa. Quid putatis, Auditores, si quis perdere vellet humanas societates univer-

Quod docet inepta multorum hominum applicatio ad negotia, ad quæ non sunt apti.

ſas, an aptiora ad hunc finem media poſſet invenire, quam ſi ſtultis doctrinam ſapientiæ, ignavis & prodigis vel furibus curam rei familiaris aut etiam bonorum ad rempublicam pertinentium; inexpertis & ignavis, ac voluptati deditis negotia bellica, committeret, ſi juvenibus directionem negotiorum, & conſilia, ſenibus executionem demandaret; ſi claudos & podagricos ad itinera pedeſtria, balbos ad ſermones oratorios, cœcos aut ſurdos ad explorationes adhiberet. Et tamen annon tota die talia fieri videmus, & quidem non permittentibus ſolum, ſed & plaudentibus & conſulentibus talia illis, qui ſapientum affectant titulum?

3. Cauſa mali præcipua eſt, quod credatur, hominem eſſe ſpeciem infimam

Scio, paſſionibus animi multa adſcribenda eſſe in iſtis aberrationibus, ſed eſſe tamen præterea, & aliam cauſam iſtarum ineptiarum quærendam, non eſt, cur dubitemus. Cur enim non iidem affectus nos quotidie adigunt, ut & be-

ſtiarum,

ſtiarum, & plantarum, & reliquarum rerum, tam naturalium quam artificialium uſum ſic evidenter inepte applicemus ad negotia, ad quæ tamen ob naturam iſti uſui adverſam applicari nequeant. Cur in ſolo homine nos ita palpabiliter, ita frequenter, vel deridendos, vel deplorandos aliis invicem exhibemus. *a*) Scilicet quilibet & videt, & alio modo ſentit & intelligit, & adeo ſibi firmiter perſuadet; feles, mures, lupos, agnos, aquam, oleum, roſas, lilia, fimum, & ſic in reliquis eſſe ſpecies plane diverſas, ac ſæpe oppoſitas. Sed hominem quilibet eſſe ſpeciem ultimam, & ſingulos homines numero ſaltem, ut lepores a leporibus, canes a ca-

& ſingulos homines ſaltem numero differre.

a) Unde Laërtius lib 6. ſegm. 8. inter Antiſthenis acute dicta refert, quod Athenienſibus conſilium dederit, *aſinos ut equos eſſe decernerent*: Cum vero illi ab omni ratione id alienum eſſe dicerent, *at*, inquit, *apud vos duces quandoque fiunt, qui nihil didicerunt, ſolumque deſignati ſunt.*

Acute dictum Antiſthenis.

a canibus differre credit, etsi & videat & sentiat, & intelligat, unum hominem ab altero æque si non magis differre, ac asinum a Leone, aut gallinam a pisce. Quæcunque in hoc orbe forma vel figura corporis, quæcunque operationibus vel diversis vel pugnantibus sunt prædita, illa specie differre necesse est. At facies saltem hominum, & vel ex istis faciebus noscenda indicia diversorum ac pugnantium animorum considerate Auditores, & deprehendetis, singulos homines a singulis non solum figura, sed & operationibus secerni.

4. Erroris hujus noxietas & altæ radices in animis eruditorum.

Si igitur id, de quo nos omnes communis sensus reddit securos, nobis persuaderemus, sane singulos homines negotiis jungeremus convenientibus. At, dum repugnante sensu communi credimus per tot secula, homines esse unius ejusdemque speciei, dum a tenera juventute vidimus, Petrum, Paulum, Johannem in scala prædicamentali ultimum occupare locum, dum

dum eandem cantilenam ad Studium sapientiæ progressi audivimus cantari a Doctoribus omnium facultatum, quid mirum, si omnes homines putent, ad omnia negotia se aptos esse, quid mirum etiam, si alii homines alios ad omnia negotia sine discrimine admittant; Imo quid mirum, si eruditi, tantum non omnes & adhuc hodie istam cantilenam repetant, & veritatem assertionis contrariæ ita firmiter vocent in dubium, aut etiam absurditatis & stultitiæ, forte etiam impietatis, *b*) insimulent, ut

b) Nondum videram, cum ista scriberem, sed post plures annos demum incidi in famigeratissimi LEIBNüZII disputationem, quam anno 1664. Lipsiæ habuit, sub titulo: *Specimen quæstionum Philosophicarum ex jure collectarum*. Hujus autem quæstio II. cum multa mihi suppeditet ad doctrinam meam illustrandam, non spero ingratum futurum lectori, si apponam integram. Recentiorum, inquit, hominum proterva audacia eo dilapsa est, ut negare

Secundum Leibnüzium nostra sententia est impia, a Cardano, Sanchez & Bassone defensa, nec juri Romano incognita.

ut Jovem lapidem jurent, neminem phi-

„gare etiam audeant eſſentiam omnibus
„hominibus communem eandem eſſe.
„Quodſi ita eſt, debilitatur profecto
„& eluditur ingens fiducia, & huma-
„ni generis ſolatium. Quomodo enim
„tum Chriſtus aliter ſit noſter quam
„communi nomine humanitatis, non
„video. Inveni ex ſingulariſtis præci-
„pue *Hieronymum Cardanum*, *Franciſcum*
„*Sanchez*, & *Sebaſtianum Baſſonem*, illum
„Italum, iſtum Hiſpanum, hunc Gal-
„lum, omnes Medicos, ſpecificæ ho-
„minum unitati infeſtos. Quorum
„duo priores neſcio, annon Athei fue-
„rint, Sceptici certe extiterunt, poſte-
„riori fortaſſe hic aliquid ſpiritus Cal-
„vinianus ſuggeſſit. Medici autem cum
„eſſent, temperamentorumque infini-
„tas diverſitates perſpicerent, omnibus
„hominibus commune quod eſſet, ſibi
„non videbantur reperire. At CAR-
„DANUM quidem Scaliger caſtigavit,
„quem, cum hominem pictum vivo ſi-
„miliorem contenderet, quam doctum
„indocto, vehi equo picto juſſit per
„hybernos pulveres Mediolanenſes.
„BASSO *lib. 3. de forma int. I. art. 2.* cum
„de ſtudiorum hominis infinita varie-
tate

philosophorum aut hominem sani cere-

tate declamasset, essentiæ quoque di-„ versitatem intulisse credidit. Eidem„ semitæ FR. SANCHEZ institit jam„ ante, *tr. quod nihil scitur p. 60.* Quæ„ refutare nec opus, nec locus est. His„ vero JCti videantur favere posse. Ne-„ que enim ausus dicere IMPERATOR„ *l. 13. C. de contrab. stipul.* hominum o-„ mnium similem naturam, *pene similem*„ dixit. Et ULPIANUS *l. 31. ff. de so-*„ *lut. & liber.* Longam inter artifices„ differentiam esse ingenii, doctrinæ &„ institutionis. Huc & *lex 26. §. 12. de*„ *cond. indeb. & l. 12. de Leg. 3.* pertinent.„ Hinc naturalis ad dissentiendum fa-„ cilitas. *l. 17 §. 6. de recept. qui arbitr.* vid.„ HENR. GEBHARDUM *de princ. jur.*„ *concl. 14. p. 177.* Sed eadem responsio„ adhiberi potest, respectum esse ad sola„ accidentia, & quamvis interdum na-„ turæ mentio fiat, illa tamen etiam„ conditionibus, &, ut sic dicam, in-„ clinationibus individuorum tribui a-„ pud Latinos solet.„ Hactenus Leibnüzius, nondum vir ille celebris, sed tunc temporis juvenis, & præjudiciis a Præceptoribus haustis adhuc immersus. Hoc patet maxime ex illis, quæ pro

Respondetur ad objectionem de impietate.

cerebri ita deliraſſe, ut hoc para-
doxum


pro ſtabilienda ſententia communi mox ab initio diſputat, quaſi ea relicta fidei Chriſtianæ profeſſio damnum patiatur. Quaſi doctrina Scholaſtica de ſcala prædicamentali, & quod homo ſit ſpecies infima pertineat ad articulos fidei, & quaſi non in omnium Chriſtianorum ore ſit, Chriſtum eſſe mediatorem *humani generis* (non *ſpeciei*) imo quaſi non ſcripturæ convenientior ſit doctrina nova, cum in Actis *cap. 17. v. 26.* doceatur, quod Deus condiderit ex uno ſanguine omne *genus* hominum, ut habitarent per univerſam ſuperficiem terræ. Scio quidem, generis vocem ibi pro gente ſumi, & græcam vocem γένος plerumque progeniem denotare, ſed ſufficit quod ſcriptura doctrinam de homine ſpecie infima ignoret. Id vero aperte falſum eſt, quod urgetur, per doctrinam de genere humano diverſas hominum ſpecies continente *debilitari & eludi ingentem fiduciam & humani generis ſolatium.* Etſi enim concedam Autori, *Chriſtum non aliter eſſe noſtrum, quam communi nomine humanitatis*, id tamen humanitatis nomen æque *commune* eſt, ſive humanitatem ſub *generis* ſive ſub *ſpeciei* terminis

doxum, quod aſſerimus, defendere
fuerit

minis concipias. Porro quod in ſpecie notatum fuerit, Cardanum & reliquos duos Autores, ſpecificæ hominum unitati infeſtos, fuiſſe Medicos, eo pertinere videtur, quaſi Medici præ reliquis ſint de impietatis ſtudio ſuſpecti. Scilicet primi fuere Medici, qui libertatem philoſophandi, (non enormem quidem illam & Spinoſiſticam, ſed in dictamine rectæ rationis fundatam,) in Academias introduxerunt, atque hoc modo jugum ſervitutis Philoſophiæ Scholaſticæ excuſſerunt, adeoque jugum papale (id eſt, Philoſophiam illam ſtultam, inanem, faſtuoſam) cui hactenus etiam in terris Principum protestantium Doctores trium facultatum ſuperiorum tantum non alligati erant, primi abjecerunt, & ita ſuperioribus facultatibus ſimilia tentandi viam monſtraverunt. Quare ad reliquias Papatus pertinent, quod vulgus eruditorum, quorum intererat, populum & ſtudioſos, etiam apud Proteſtantes, in ſuperſtitione detineri, talibus Medicis per calumniam tribueret doctrinas periculoſas & tantum non atheiſticas. Quæ latius deduxi *in dedicatione*

De Medicis ſine cauſa ſuſpectis.





fuerit ausus. Tantum valet in animis

---

edit. noviss. notarum ad Monzambanum.

De intempestiva censura contra tres autores memoratos.

Quod vero Leibnüzius Cardanum & & Sanchezium *Atheos* & *Scepticos* vocet, Bassoni vero imputet, quod ipsi fortasse hic aliquid *spiritus Calvinianus* suggesserit, id quidem abunde demonstrat, quod ipse pro more illorum temporum non solum Medicos tales libertate philosophandi utentes pro Atheis, ut modo dixi, habuerit, sed & quod præterea odio erga Reformatos & Calvinum, (tanquam charactere indelebili hominis γνησίως id est Wittebergice & Calovice Lutherani) esset repletus, & quod adeo tum temporis magis orthodoxus esset, quam postquam edito in senectute tractatu de *bonitate Dei, libertate hominis & origine mali*, occasionem dedit Theologo, in vicina Academia orthodoxiæ præsumtionem ambienti, edita dissertatione de origine mali, eundem graviorum errorum reum faciendi. Sed tamen eo ipso simul ostendit, & tyronibus palpandum dedit, quod tum temporis judicii eclipsin passus fuerit, qui communis defectus hæretificum esse solet. De BASSONE equidem nihil amplius dicam, cum

mis hominum præjudicium autoritatis

---

cum nec Autor ipse mihi cognitus sit, nec scriptum ejus supra citatum mihi videre licuerit. At quod Cardanum attinet, & Sanchezium, de illis pauca quædam in contrarium notabo. Quod inter Atheos CARDANUM retulerit, non mirum, cum pro tali eum habeant communiter Lutherani, eminenter ita dici affectantes. Sed quod Scepticum & quidem cum asseveratione esse dixerit, indicio est, vel quod Cardani opera tum ipse non inspexerit, (quæ suspicio inde augetur, quod nec specialem locum ex Cardano nec ex Scaligero citet) vel quod genuinam inter scepticos & dogmaticos differentiam nesciverit, cum alias vel superficiaria lectio aut cursoria evolutio scriptorum Cardani vel stupidos convincat, Cardanum ad excessum usque voluisse esse Dogmaticum. Quod vero non Atheista fuerit, hactenus evidenter ostenderunt non pauci viri celebres, etsi in depingendo genuino Cardani charactere aliquatenus variantes. NAUDÆUS in *judicio de Cardano*, hujus tractatui de vita propria præmisso, docet, quod se ipsum

In specie de Cardano.

 ut

ritatis, & doctrina per secula continuata

ut hominem vitiosissimum depinxerit, & quamvis subinde in scriptis contestatus fuerit, quod mendaciis non fuerit deditus, tamen Naudæus distincte ostendit, eum fuisse mendacissimum; itidem ex varietate pugnantium inter se sententiarum apud Cardanum ubique occurrentium constare, quod mentis compos nequaquam fuerit. Et his tamen non obstantibus Naudæus eum dicit fuisse primum & unicum, qui simul in omnibus disciplinis (videlicet in humanioribus literis, in Philosophia, Medicina, Astronomia, Mathesi, Historia, Metaphysica, Politica, Ethica, nec non in remotioribus aliis) tam egregie versatus sit, ut videatur natura exemplum in eo ostendere voluisse majoris amplitudinis & immensitatis doctrinæ, quam homini hucusque concedere potuerit. BAILIUS *in Diction. voce Cardan. lit. D. & T.* variis exemplis & rationibus ostendit, Cardanum magis superstitioni stultæ deditum, quam ut de impietate & Atheismo suspectus esse possit, & a Naudæo saltim in eo dissentit, quoad stultitiam & insaniam Cardani, quod Nau-

nuata, ut album nigrum esse videatur,

Naudæus opinetur, magnam sapientiam Cardani habuisse aliquid dementiæ admixtum, cum ipse contra statuat, sapientiam in Cardano fuisse appendicem dementiæ. SAMUEL PARKERUS Anglus *diss. 1. de Deo sect. 15. p. 70. seq.* prolixe demonstrat, Cardanum, etsi virum rarissimæ eruditionis ob quatuor tamen causas tam multa in scriptis suis dementiæ signa edidisse, 1. ob anomalam naturæ indolem, 2. propter immensam cogitandi assiduitatem, 3. ob immoderatam gloriæ cupiditatem, 4. ob maximam vitæ calamitatem. Postea *p. 76.* concludit, tantum abesse, ut Cardanus Atheis sit annumerandus, ut potius in omni Philosophiæ genere tam pie philosophatus sit, ut Philosophorum nemo religiosius. *In scriptis*, pergit, *quæ ad mores spectant, religionem, vitæque futuræ spem unicum vitæ beatæ fundum esse statuit, ubique clamat, nullam mortalium nisi a morte felicitatem esse, neminem, nisi qui eam præstolatus fuerit, felicem esse; quemque, cum certissima sit, si felix esse velit, noctes atque dies præstolari oportere, & si ea, qua oportet, fiducia præstoletur, summa semper*

deatur, & lux confundatur cum tenebris.

Age

felicitate, quibuscunque confligetur calamitatibus, gaudere; denique hoc uno momento res humanas stare, si summa numinis providentiæ curæ simus, post funera neque ante felices fore, sin alias, nunquam nasci præstare, & propterea, cum nisi illius consilio in hanc vitam nasci non posse liqueat, quin in alteram venturi simus, prudenti cuivis dubitare non licebit. Tum libros Cardani citat, in quibus hæ doctrinæ ubique leguntur, potissimum vero *ad cap. 46. de vita sua* provocat, *ubi interroganti, annon vixisse pigeat, felicissimum se semper esse clamet, quod in misera hac mortalitate naturam suam divinæ immortalitatis participem certo esse noverit, & quidem tam gestienti animi affectu & ardore de vita futura semper loquatur, ut haud quemvis alium legisse meminerim,* (ita pergit Parkerus) *qui eam aut constantius credere aut ad eam acrius anhelare videatur. In Physicis Deo omnium autore semper usus est, atque rerum naturæ rationes a finibus, quos ipse in mundo condendo habuit, investigandas esse voluit* &c. Quodsi forte quis urgeat, & Naudæum & Bailium esse ipsos de impietate suspectos,

Par-

Age videamus paululum in gratiam dissentientium, quid alii de doctri- *5. Quamvis longe aliter docuerint Philosophi antiqui.*

Parkerum vero ad minimum non esse γνησίως Lutheranum, is responsionis loco a me accipiet, me credere Laicos in Lutherana religione educatos maximopere debere curare, ut sint γνησίως rationales, nec mulorum & equorum instar rationis usu se privare sinant ab aliis id intendentibus. Quod autem in specie sententiam Cardani de hominis genere vel specie attinet, (cum Leibnüzius de ea nihil certi & distincti proferat, nisi quod mentionem faciat, Cardanum dixisse hominem pictum vivo similiorem esse, quam doctum indocto) non quidem deprehendere potui, quod Cardanus usquam controversiam, utrum homo sit genus an species infima, ita conceptis verbis proposuerit, aut de ea disseruerit, interim nullum est dubium, quod nusquam asseruerit, hominem esse speciem infimam, sed quod potius multæ aliæ assertiones in eo occurrant, quæ suadeant contrarium. Ita quod initio libros de rerum varietate attinet, statim lib. 1. p. 19. homines in barbaros & moratiores dividit, & barbarorum denominationem derivat

Et de ejus de hominum natura assertionibus.

Cardani doctrinæ de differentia hominum.

Democritus, & Epicurus hic silent.

doctrina illa senserint. Democritus & Epicurus tantum abest, ut homines ejusdem speciei esse dixerint,

non a feritate, cum multis Græcis & Italis sint moratiores; nec a cultu morum neglecto, cum multæ inter illas nationes de luxu damnatæ sint; non ob ingenium, quod illis plerumque majus sit, non ob asperitatem, cum multi ex his, ut Germani & Galli sint mansuetissimi; sed quod ante intellectam rem furere incipiant, & postquam exarserint, eos sedare sit difficillimum &c. Propius ad rem pertinet, dum *lib. 8. p. 492.* sic scribit: *Solus homo videtur e diverso omnium animalium vices subire. Truculenti enim quidam ut tygres, alii rapaces ut lupi, alii immanes ut serpentes, alii fortes & crudeles, ut leones, timidi alii, ut lepores, & invidi, ut canes, sordidi alii, ut sues, alii natant ut pisces, alii virulenti ut viperæ, humani alii ut agni &c.* Voluit etiam in sequentibus causas investigare tam variantis naturæ humanæ & diversorum morum, atque *p. 494. seq.* eam in rem quædam disserit de diversitate regionum, in quibus homines vivunt, item *p. 497.* de diversis hominum temperamentis & hæc concomitantibus

rint, ut potius vel neglexerint pla-
ne

tantibus affectibus, sed pro more, non ordine ac decenter, verum vagando, & perpetuas digressiones immiscendo. In fine *libri 8. p. 594.* homines alio modo in 4. classes dividit. *Assimilantur homines quadrifariam. Deo imprimis, vocanturque probi. Eorum autem delectatio est vel in cognitione altissimarum rerum, vel secretarum, aut in opere secundum virtutem, unde probus homo idem qui sapiens: Vel propriæ perfectioni, vocanturque prudentes: eorum autem delectatio in opulentia & tractatione rerum maximarum civilium: Vel mulieribus, vocanturque effœminati: eorum autem delectatio in luxu est: Vel feris, vocanturque ferini. Eorum autem delectatio in cruciatu tam virorum quam etiam puerorum. Videntur enim omnes ad hæc genera reduci. Aut enim ad remissionem proclives sunt, ut effœminati, aut intentionem operum divinorum, aut humanorum, aut ferarum.* In libris autem de subtilitate *lib. 11. p. 626.* alia quatuor genera hominum constituit. *Triplex igitur hominum genus: divinum, quod non decipit, nec decipitur: humanum, quod decipit & non decipitur; belluinum, quod non decipit, & decipitur. Quod vero decipit, ac decipitur, quodque*

ne inquiſitionem debitam in humanam

maximam ſolum occupat humani generis partem, non ſimplex modus, ſed miſtus hic eſt ex bellùino, humanoque genere. Pag. 627. & ſeq. latius docere vult, quod homines in rebus quatuor ſequentibus magis inter ſe, quam beſtiæ ab illis diffideant, videlicet in lege, lingua, provincia, moribus &c. Quid in his a Cardano dictis improbem vel approbem, fuſius oſtendere hujus loci non eſt. Id tamen hujus loci eſt, monere, quod ad refutandum Cardanum non ſufficiat, provocare ad SCALIGERUM, quaſi hic Cardanum jam ſatis caſtigaverit. Oſtenderunt enim, ut paucis me expediam, tum NAUDÆUS in *dict. judic. de Cardano*, tum BAILIUS *voce Cardan. lit. II.* tum VOSSIUS *de orig. & progreſſ. idol. l. 3. c. 8. p. m. 1163.* quod Scaliger apud impartiales hac parte male audiat. *Auſim ego,* inquit inter alia NAUDÆUS, *pignore depoſito contendere, multo plures nævos eſſe, quos Scaliger exercitationibus ſuis immiſtos reliquit, quam eos, quibus adverſus Cardanum tam procaciter exagitandis totis novem annis inſudavit, idque non tam eruendæ veritatis ſtudio, quam ut effræni deſiderio ſuo ſatisfaceret, cum illis omni-*

Judicium de Scaligeri ſcriptis adverſus Cardanum.

manam naturam tanquam haud neces-

---

omnibus congrediendi, quos suo tempore literarum eruditionumque principes haberi cognoverat. Quemque vel per horulæ spatium & Cardani & Scaligeri lectioni absque præjudicio operam dantem, experientia propria confirmabit, verum esse judicium Naudæi. Ut taceam, me nihil in Scaligero deprehendisse, quod ad præsentem controversiam directò faceret, ne in isto quidem, quem Leibnüzius citat, loco. Sed nec hic tamen probat, quod probare debebat. Dixerat scilicet Cardanus, hominem pictum vivo similiorem esse, quam doctum indocto. Quid ad hæc refellenda attulit Scaliger? Jussit Cardanum vehi equo picto per hybernos pulveres Mediolanenses. Rides? Nec ego stimulos lacrymarum sentio, quia totum istud scomma insipidum sale & acumine, id est, ingenio & judicio caret. Sed satis de Cardano. Sequitur, ut nonnulla de SANCHEZIO addam. Dicitur hic, eidem semitæ institisse, & provocatur ad *ejus tractatum quod nihil scitur p. 60.* (edit. in 12.) *vel 29.* (edit. Lugdun. in 4.) Sed nihil ibi dicit Sanchez, quam quod exempla quædam afferat sympa-

In specie de differentia hominum.

De Sanchezio & pro ejus defensione.

thiæ

necessariam, vel eam ita difficilem
esse

thiæ & antipathiæ inter hominem & bestias, item inter bestias ipsas. Propius huc spectat, quod Sanchez *d. tract. p. 78. vel 39.* postquam varios hominum mores, varias staturas, formas &c. recensuisset, subjungit: *An tu his eandem rationem, quam nobis, omnino putes? mihi non verisimile videtur. Nihil tamen ambo scimus.* Vides adeo Sanchezium a Leibnüzio non accurate inter eos referri, qui negent, hominem specie differre, sed qui saltem ea de re dubitent. Et diversa sunt dubitare & negare, adeoque Scepticus non contradicit Dogmatico, sed saltem ei dubium movet. Postquam autem Cartesiani gravissimo errore dubitationem cum negatione confundere incœperunt, error hic latius serpsit. Porro quemadmodum ostendi, Cardanum nec Scepticum fuisse, nec Atheum, ita Sanchez quidem in dicto tractatu ostendit, se esse Scepticum, at hoc iterum ad calumniandi modos passim receptos referendum est, dum Sceptici Atheis annumerantur. Scientiam Sceptici oppugnant, non fidem. Et fidei suæ testimonia plura inseruit tractatui illi Sanchez, ut dum

p. 42.

esse sint arbitrati, ut certi quid ea de

---

p. 42. (edit. in 4.) inculcat, secundum fidem mundum & creatum esse, & finem habiturum, dum *p. 54.* soli Deo vindicat cognitionem perfectam, dum *p. 72.* asserit, Deum a se solum, ex nihilo & sine medio aut instrumento creare, &c. Restat, ut de JCtis quaedam dicamus. Ad loca adducta moneo, per ea quidem non directò probari, quod ipsi statuerint hominum esse varias species, sed valde tamen verosimile est, eos in illa sententia fuisse, si quis consideret, quae hic *in Oratione §. 5. 6. & 7.* prolixius adduxi de communi sententia Stoicorum & aliorum Philosophorum. Quid jam ad haec omnia Leibnüzius? Initio respondet, differentias hominum a Cardano & JCtis adductas esse accidentales. Ambigue & Sophistice. Si enim accidens hic opponit substantiae, responsio haec non ferit dissentientes, si vero opponit essentiae, committit petitionem principii, cum istae differentiae indicent, diversam naturam hominum. Sensit hoc ipse Leibnüzius, unde addidit, per naturam intelligi conditiones & inclinationes individuorum. Recte

De JCtorum sententia.

Ostenditur insufficientia responsionis Leibnüzianae.

de re definire noluerint. DEMOCRITUS enim ait, Hominem esse, quod omnes scimus. EPICURUS vero docuit, hominem esse talem vel talem effigiem animatam. *c*) Quid

Recte quidem, sed nihil ad rhombum. Nam individua, quæ inclinationibus naturalibus differunt, differunt etiam finibus & usibus. At quæ finibus & usibus differunt, differunt specie. Ita canes inclinationibus & usu differentes per structuram corporis indicatis constituunt diversas canum species. Ergo & inclinationes hominum ad varios fines & usus tendentes, quas potissimum facies indicat, species hominum diversas constituunt.

Testimonia Sexti Empirici de sententia Democriti & Epicuri.

c) Sextus Empiricus *adversus Mathem. p. m. 156.* (edit. Antwerp. 1569) interprete Gentiano Herveto. DEMOCRITUS, inquit, *conatus quidem est exponere notionem, sed de ea nihil amplius potuit pronuntiare, quam rudis & imperitus, dicens:* Homo est, quod omnes scimus. *Nam primum quidem canem quoque omnes scimus, sed canis non est homo, & equum omnes scimus, & plantam, sed nihil ex iis est homo* &c. *EPICUREI autem existimarunt, se posse vel indicando statuere hominis notionem,*

Quid sectatores Zenonis Stoici senserint perspicue explicatur a Seneca. *Id quod est*, ait, *genus est pri-*

Stoici homines dicunt specie differre.

tionem, dicentes: Homo est id, quod est tali forma præditum cum animatione. *Non noverunt autem, quodsi id quod ostenditur, est homo, id quod non ostenditur, non est homo* &c. Idem *lib.2.Pyrrhon. hypoth. cap. 5. p. 449.* interprete Henrico Stephano. DEMOCRITUS *ait*, hominem esse, quod omnes scimus, *secundum quæ verba non cognoscemus hominem, quia & canem scimus, & ideò sequeretur, etiam canem esse hominem. Sunt etiam aliqui homines, quos non novimus, propterea non erunt homines. Imo vero secundum hanc notionem nullus erit homo. Si enim ille dicit, oportere ab omnibus hominem cognosci, nullus autem est homo omnibus hominibus cognitus, nullus fuerit homo secundum illius sententiam. Atque hæc a nobis non dici sophistice ex doctrina ejus his consentanea manifestum est. Nihil enim aliud vere dicit esse hic vir, quam atomos & vacuum: quorum utrumque non animalibus solum, sed omnibus concretis inesse ait. Itaque ex his nequaquam perspicere hominis proprietatem possimus, quia sunt omnibus communia. Sed neque aliud quicquam subjectum est*

primum & antiquissimum, & ut ita dicam generale cætera genera quidem sunt, sed specialia tanquam homo genus est. Habet enim in se nationum species, Græcos, Romanos, Parthos; colorum, albos, nigros, flavos; habet singulos, Catonem, Ciceronem, Lucretium. Itaque qua multa continet in genus cadit, qua sub alio est, in speciem. d) Quid clarius dici poterat, quam secundum Stoicos homines ab hominibus differe specie? Neque magni momenti est censura Lipsii ad istum Senecæ locum. *Atqui*, inquit Lipsius, *e) supra species*

Notatur Lipsius.

est circa hæc. Nihil ergo habebimus, per quod hominem distinguere ab aliis animalibus & pure intellectu percipere possimus. EPICURUS autem dicit, hominem esse talem vel talem effigiem animatam. *Ergo secundum hunc quoque quoniam homo ostendendo manifestatur, is, qui non ostenditur, non est homo, &, si quis vir mulierem ostendat, vir non erit homo: si autem virum ostendit mulier, mulier non erit homo. &c.*

d) SENECA Epist. 58. p. m. 381.

e) LIPSIUS in notis ad Senecæ Epistolas d. l.

cies erat, sed ex Aristotele. *Hic Logicam Chrysippi sequi eum probabile est hodie ridendam.* Imo vero Lipsi, si manes Aristotelis tuum hoc judicium audirent, vel apud inferos illud albis, quod ajunt, riderent dentibus. Decepit te optime Lipsi persuasio, quod omnia quae tuo tempore in Academiis docebantur, autoritatem prae se ferrent Aristotelicam. At falleris omnino, falleris, si credis, Aristotelem unquam hominem ad species ultimas seu infimas retulisse. Dixerat quidem Aristoteles homo species est: Dixerat idem Seneca, istam Aristotelis sententiam paulo ante referens. Sed neuter dixit, esse speciem infimam. *Homo species est, ut Aristoteles ait, equus species est, canis species.* Haec sunt verba Senecae. f) At nec canis nec equi species ultima est.

6. Probatur, secundum Aristotelem, homines inter se

Et quid dabis mihi, Lipsi, imo quid dabitis mihi Auditores quicunque, qui autoritati Aristotelicae multum tribuitis, si vobis ostendero, C ipsum

f) SENECA d. Epist. 58. p. 381.

non numero sed ſpecie differre.

ipſum Ariſtotelem tantum non diſertis verbis, ſed & ratione graviſſima addita, ſtabiliviſſe veritatem doctrinæ, quod homines inter ſe ſpecie differant. Eſt pulcher omnino locus, & dignus, qui integer commemoretur, præprimis cum & brevitate ſe commendet. *Non ſolum*, inquit Ariſtoteles g) *ex pluribus*

Explicatur locus Ariſtotelis adductus adverſus Caſaubonum.

g) Ariſt. *Polit. lib. 2. cap. 1. p. 55.* edit. Conring. *Sed cap. 2.* edit. Caſaub. *p. 187.* habet quidem Caſaubonus in verſione ſua: *ex hominibus ſpecie*, id eſt ordine & fortuna & inſtituto vitæ, *differentibus.* Sed iſta quidem non verſio eſt, ſed commentarius. De verbis enim quæ addidit Caſaubonus, nil quicquam extat in Græco textu: *ὐ μόνον δὲ ἐκ πλειόνων ἀνθρώπων ἐςὶν ἡ πόλις, ἀλλὰ καὶ ἐξ εἰδεῖ διαφερόντων.* Nec convenit hæc explicatio Caſauboni (quaſi Ariſtoteles ſpeciei voce hic abuſive uſus fuerit) cum Ariſtotelis intentione, quod verba ultima hic excerpta demonſtrant, ubi diſerte dicit, *eas res ſpecie inter ſe differre, ex quibus rebus opus ſit unum fieri.* imo ne quidem communem ſententiam defendere poteſt explicatio Ca-

ribus hominibus est civitas, verum etiam e SPECIE differentibus. Non

C 2 *enim*

Casauboni, cum diversissimi illi ordines inter homines, & diversissima instituta vitæ sint indicia diversissimarum naturarum; At quæ naturâ, instituto, ordine differunt, speciẹ inter se differunt. Nec obstat locus alius Aristotelis Metaph. lib. 9. c. 9. ap. Casaub. p. 549. *Materia non facit differentiam. Non enim hominis species sunt homines.* Patet siquidem ex ipsa textus græci inspectione vertendum fuisse: *Non enim hominis materia sunt homines.* οὐκ ἀνθρώπου γὰρ ἡ ὕλη εἰσὶν οἱ ἄνθρωποι. Erroneè vero quidam pro ὕλη scripserant εἴδη. Scilicet disputat ibi Aristoteles, quod mulier a viro non specie differat, quia materia inter se differant, ut homo albus & niger, at vero hominis essentiam non consistere in materia sed in ratione, in masculis vero & fœminis (scilicet qua talibus) non esse contrarietatem rationis. Igitur ex hoc textu Aristotelis & ejus ratione modo adducta potius illustratur prior locus, quod & quare homines scilicet ratione (id est intellectu & voluntate) discrepantes, ut unione opus habeant, inter se specie differant.

Et alius locus ei parallelus ex libris Metaphysicorum.

enim conflatur civitas e similibus. Aliud enim est societas in bello & civitas. Hoc namque prodest quantitate, etiam si specie sit idem; Auxilii enim causa belli societas comparata est natura, quemadmodum, si majus pondus plus trahat atque auferat. Tali autem re differt etiam civitas a Gente, ubi unius gentis multitudo non per vicos divisa erit, sed Arcadum more dispersa. Ex quibus autem rebus opus est, unum fieri, ea res SPECIE inter se differunt. Fateor Sententiam Aristotelis etiam in illo brevi loco alicubi esse valde obscuram, neque adeo Conringium sine ratione conjicere eum locum mutilum esse *b*) sufficit tamen nobis

Conringii cogitationes de priore Aristotelis loco.

b) CONRINGIUS *in emendat. ad lib. II. Polit. Arist. cap. 1. p. 663.* ad verba Aristotelis, ubi dicit: *ea specie differre, e quibus opus sit unum fieri*, ita commentatur: *Hæc propositio non est, simpliciter quidem accepta, vero consentanea. Unum enim similare corpus potius constituitur ex specie iisdem partibus. Ex differentibus autem specie fit unum dissimilare &c. Itaque vel hinc liquet, locum hunc mutilum esse,*

nobis, quod ipsa propositio, quod homines non tantum numero, sed & specie differant, sit perspicua, & quod non obscura ratio sit subjuncta, quod illæ res specie differant, quæ unione opus habent. Et quomodo scilicet pugnantia *i*) possent esse

ac mendosum, ne nunc urgeam, nullam haberi hic cum proxime antecedentibus & consequentibus connexionem &c.

i) Contextus ostendit, Aristotelem loqui de unione morali vel politica voluntatum; unde circa locum modo ex Conringio allatum notandum est, quod ille vel ideo Aristotelem non videatur adæquate intellexisse, quod ipse putavrit, Aristotelem loqui de unione vel physica vel artificiali v. g. quæ fit per ferruminationem aut plumbaturam. Huc enim respiciunt potissimum ejus verba, quæ de differentia corporum similarium & dissimilarium loquuntur. Interim & hæc Conringii meditatio illustrat doctrinam Aristotelis & nostram. Ait Conringius: corpora dissimilaria ex partibus specie differentibus esse composita. At quis civitatem ad corpora similaria referre vellet,

Illustratio hic dictorum ex Conringio.

esse ejusdem speciei ? Non tygris tygridem odit, non lupus lupum. Non ferrum ferro repugnat, nec magnes magneti. At homines aliena opera sunt uniendi, natura enim plerique sibi adversantur.

7. *Quis ergo autor erroris communis?* Ergo cum & Stoici & Aristoteles derisam a Lipsio, & eruditis hodiernis prope omnibus, sententiam docuerint, & sensus communis eam confirmet, *k)* qui factum est, Auditores, ut tam constanter in Scholis Christianorum hactenus doctum fuerit, hominem esse speciem infimam, & hominem ab homine saltem differre numero. Sane Sacræ literæ hic non erunt in subsidium trahendæ, cum, facillime doceri posset & illas multa suppeditare ad refellendum errorem illum com-

vellet, cum & tot statibus hominum diversis & tantum non oppositis singulæ civitates vel Respublicæ sint compositæ.

Communis loquendi modus. *k)* Adde communem loquendi modum: Dicimus *genus* humanum, non *speciem*.

communem, si modo temporis & instituti ratio id nunc permitterent. Quid verbis opus. PORPHYRIO debetur istud falsum, ex cujus isagoge *l*) illud per tot secula in Scholis

Porphyrius.

l) Ita enim Porphyrius *cap. 2.* ex versione Julii Pacii: *Etsi species multis attribuuntur, non tamen specie sed tantum numero differentibus. Homo enim cum sit species, Socrati & Platoni attribuitur, qui non specie inter se differunt sed numero: animal autem, cum sit genus, homini, & bovi & equo attribuitur, qui specie quoque inter se differunt, non saltem numero &c.* Et postea: *Homo est specialissimum illud, quod solum est species.* Et iterum. *Homo est quidem species animalis rationalis, sed non est etiam genus particularium singulorum hominum, verum species tantummodo, & quicquid ante individua positum proxime iis attribuitur, species solum est, non etiam genus. Ut igitur substantia, quæ in summo loco posita est, quia nullum habet ante se genus, est generalissimum illud; ita etiam homo, qui est species, postquam non est alia species, nec aliquid, quod possit dividi in species, sed individua (individuum enim dicitur Socrates & Plato &*

Locus Porphyrii.

lis Christianorum tam altas radices egit, ut ego quidem nolim laborem illum plusquam Herculeum in me suscipere, atque id dogma ex animis hominum Scholasticæ doctrinæ deditorum evellere. Maneat ibi, per me, &, si placet, altiores adhuc agat radices, modo mihi libertas relinquatur, ut eidem non cogar subscribere, modo vos, Auditores honoratissimi, cogitare velitis, Porphyrium fuisse Philosophum Platonicum, *m*) PLATONEM

Sectator Platonis.

Alcibiades & hoc album) solum est species & extrema illa species, &, ut diximus, specialissimum illud.

Porphyrius an Platonicus?

m) Fuit enim discipulus PLOTINI & præceptor JAMBLICHII. Eunap. *in vita Porphyrii & Jamblichii.* Popeblount *Cens. celebr. Autor. p. 206. ab init.* Inter Platonicos ob excellentiam *Philosophus* cognominatus. Hic habitus omnium Platonis mysteriorum consultissimus. Popeblount *ibid. ex Wiero.* Nec est, quod opponas, Porphyrium tamen in Isagoge, ut statim ab initio patet, voluisse explicare doctrinam categoriarum

NEM vero eum eſſe, qui, non di-
cam, totam doctrinam Chriſtianam
cor-

rum Ariſtotelicarum, imo ex Ariſtote-
lis Topicis ſumſiſſe, quæ de quinque
vocibus (genere, ſpecie &c.) compo-
ſuit (in dicta Iſagoge) Popeblount *p.
207. ex Ludovico Vive.* Sciendum eſt
enim, quod Porphyrius putaverit, Pla-
tonicos & Ariſtotelicos non docere di-
verſa aut oppoſita, cum ſeptem libros
conſcripſerit ea intentione, ut probet,
Platonis Ariſtotelisque ſectam unam
eſſe. Popeblount *p. 206.* Deinde, etſi
quoad reliqua prædicabilia forte ante
oculos habuerit Topicos Ariſtotelis
libros, certe tamen in illis, quæ de
ſpecie & quidem ſpecialiſſima diſſerit,
nihil ex Topicis Ariſtotelis deſumere
potuit, cum Ariſtoteles ſaltem quatuor
voces ſeu prædicabilia agnoſcat, de-
finitionem, genus, proprium, accidens,
& differentiam ad genus referat. *To-
pic. lib. 1. cap. 4. 5. 6. 7. 8.* adeoque ſpeciei
hic plane non faciat mentionem. Imo
in ipſis locis Topicis *in libro 2. & 3.* qui-
dem loci ab accidente, *in libro 4.* a ge-
nere, *in libro 5.* a proprio, *in 6.* a defi-
nitione deſumti recenſentur, de locis
autem a ſpecie deſumtis nihil ibi inve-

corrupit, (nam nec hujus rei demonstrationem permittit instituti ratio) sed qui ita sensu suo abundavit, ut, cum hominis definitionem deberet tradere, hominem satis perspicue definiri putaverit, si diceret, *n*) eum esse animal bipes implume, &,

Platonis ineptiæ circa definitionem hominis.

---

nio, nisi quod in *cap. 3. lib. 4. p. m. 623.* obiter quasi mentionem speciei faciat, sed ita, ut nescias, quid ipse velit, dum modo asserit, *genus & speciem esse synonyma*, modo tamen statim addit, *omnis generis esse plures species*, & iterum, *genus attribui speciei proprie non metaphorice &c.* His adde, quæ *lib. 2. cap. 4. p. m. 565. seq.* docet: *ea, quæ generi non accidunt, nec accidere speciei, contra quæ speciei accidunt, accidere etiam generi*; item: *cui genus attribuitur, ei etiam aliquam attribui speciem.*

n) Ita enim Laërtius *in vita Diogenis cap. 40. p. 335. edit. Menagii. Platone item definiente*, homo est animal bipes sine pennis, *cum placeret ista ejus definitio, nudatum pennis ac pluma gallum gallinaceum in ejus invexit scholam* (Diogenes) *dicens: Hic Platonis homo est, unde adjectum est definitioni:* latis unguibus *&c.* Sextus

Definitio hominis Platonica.

tus

&, cum Diogenes ad ostendendas Platonis ineptias gallum gallinaceum plumis ac pennis nudatum ejus auditorio immisisset, ad corrigendam pulchram illam definitionem adderet; hominem esse animal bipes, implume, latis unguibus: Quis jam ab hoc Philosopho *o*) &

tus Empiricus *advers. Mathemat. p. m. 158. Plato pejus, quam alii definit hominem, dicens:* homo est animal implume, bipes, latis unguibus, capax civilis scientiæ. *Unde etiam oculis se offerunt, quæ debent adversus illum dici. Rursus enim non exposuit hominem, sed quæ homini accidunt, & non accidunt. Nam animal, & bipes, & latis esse unguibus, accidunt: civilis autem scientiæ esse capax, aliquando quidem accidit, aliquando vero non accidit.*

o) Interim fateor, dubium esse, an PLATO hominem dixerit vel docuerit, esse speciem infimam, ita ut Porphyrius hanc sententiam ex Platone hauserit; Ea enim de assertione nihil in Platone reperio, quamvis nec de altera ei opposita, quod homines specie differant, perspicua verba adducere possim. Interim sufficiat, hic sequentia

Sententia Platonis dubia an hominem habuerit pro specie infima.

& ejus sectatoribus, ac Porphyrio

tia loca ex Platone notasse. Initio *in Alcibiade secundo p. m. 452. seq.* hominum alios dicit esse *imprudentes*, alios *prudentes*, alios *insanôs*, & tum pro more tædiose disputat, utrum detur species imprudentum media inter prudentes & insanos, & quomodo imprudentes ab insanis differant, scilicet ut inexperti ab extreme stultis. Propius ad rem facit, quod *lib. 2. de Rep. f. 599.* sub persona Socratis doceat, *homines nasci non admodum similes, sed inter se differentes, singulosque ad singula & diversa opera vel artes promtos a natura produci.* Iterum *lib. 9. de Rep. f. 734. seq.* postquam docuisset, tres animæ partes esse, *rationalem*, qua homo discit, *irascibilem*, qua irascitur, quæque hominem ad potentiam, gloriam & victoriam tota trahit, & *concupiscibilem*, quæ homines ad cibum potumque & rem veneream rapit, item ad pecuniarum & lucri cupiditatem; subjungit, *tria esse hominum genera prima, philosophum, contentiosum, avarum* (ita tamen, ut avarus, ut modo dictum, etiam de cibi & potus ac rei venereæ cupido dicatur.) Inter hos præstare *philosophum* reliquis, ut qui solus præter volu-

rio *p*) sani quid expectaret in cognoscendi

voluptates avarorum & contentiosorum gustaverit etiam & expertus fuerit suavitatem, quæ ex veritatis contemplatione oriatur &c.

p) Non injucundum, credo, erit Lectori, si de Isagoge Porphyrii adjungam hic judicium LUDOVICI VIVIS quanquam paulo prolixius. Ita vero disserit *de causis corrupt. art. lib. 3. p. 180. seq.* Post utraque Analytica sequuntur octo„ libri de locis argumentorum, quæ di„ cuntur Topica. Locos vocant, & ceu„ thesauros argumentorum, cum ipsi ar„ gumentorum nihil habeant; neque e„ nim hi loci sunt pyxides, quibus conti„ nentur pharmaca, sed pyxidum indices.„ Opus Aristotelis est longum, varium;„ multa sunt in eo præclara, sed ita tamen„ disserit, tanquam qui colligit sparsa,„ non qui formulas & præceptiones artis„ tradit ad usum aliquem conducibiles.„ Qua de re jam antea jure questus est„ Rudolphus Agricola. Neque enim ex„ operis illius satis justi lectione, quam„ libet diligenti & sedula, facultatem„ se ullus sentiat nactum unius argu„ menti inveniendi. Sunt inquisitiones,„ quæ sint genera, quæ differentiæ, quæ„ pro-

Judicium Ludovici Vivis de Isagoge Porphyrii.

gnoſcenda hominis natura? Igitur re-

„propria, quæ accidentia, quæ diffini-
„tiones loquaces, involutæ, moleſtæ:
„& quod liceat cum bona tanti viri gra-
„tia dicere, nonunquam etiam ſubine-
„ptæ, ſed infrugiferæ prorſum. Neque
„enim quærit unquam aliquis, quid
„cujus ſit aut genus, aut ſpecies, aut
„accidens. Admiſcet, quæ ſunt alie-
„nisſima, ut de eligendo & fugiendo,
„in quo videtur Philoſophus ſylvam
„quandam ad communes locos conges-
„ſiſſe, ut ſuos in theſibus exerceret, &
„quæſtionibus indefinitis, ſed ad inve-
„niendi rationem parum commode. Ex
„his libris Topicorum ſumſit Porphy-
„rius, quod de quinque vocibus compo-
„ſuit opus, ut, mea utique ſententia, uti-
„liſſimum, ita longe ab utilitate traditum.
„Prætereo tavtologiam & moleſtiam o-
„rationis: de re loquar. Primum in ea
„locum obtinent quæſtiones, quarum
„nec numerus eſt ullus, nec ordo certus.
„Alii alia quærunt, alii prius, alii po-
„ſterius, prout eſt cujusque ingenium
„& mentis intelligentia: nos enim re-
„ſpiciunt, & noſtrum captum, non na-
„turam. Jam unde ſumuntur quæſtio-
„nes hæ? quid eſt? quale eſt? & ea,
quæ

relinquamus eos insanienti suæ sapientiæ & discursu nostro propius
ac-

---

quæ hisce respondentur? nonne ex» vulgo? quod Aristoteles fatetur primo» Topicorum. Atqui ad multa quæsi-» ta per *quid* est? *qualitatis* responsum» adjungimus, ut quid vides? hominem» album, armatum, patrem tuum, ut» apud Poëtam: *Dic mihi, quid feci, ni-» si non sapienter amavi?* Et in Propheta:» *Quid vides Amos? trullam commentarii.*» Et ad *quale*, ποῖον Græci *substantiam* sæ-» pe reddunt; Latini quoque, ut: *qua-» lis* res est homo? *animal ratione prædi-» tum.* Nam & qualitatem compositum» naturale vocant quidam, ut Cicero in» Academicis, sicul Stoici ποιότητα. Jam» vero quid dicunt esse prædicari *in quid*?» Ea, inquit Porphyrius, prædicari in» quid, quæcunque convenit eum, qui in-» terrogatus est, *quid est* aliquid? reddere.» Atqui ad hujusce rei intellectum ne-» cesse est evolvisse totam philosophiam,» quæ est de natura: Neq; enim Aristote-» les ipse in libris Topicis tot verbis tam» alte, tam anxie repetitis explicare vo-» luit, quid *genus* esset, quid *species*, quæ» dicuntur *per quid*, & *accidens*, ac *propri-» um*, quæ per *quale*. De *genere* locutu-»
rus

accedamus ad id, cujus gratia sermonem istum incepimus.

Dies

„rus Porphyrius *patrem* & *patriam* dicit „esse genus. In qua lingua? in Phoe„nicia credo. *Et mihi genus a Jove sum„mo est*, inquit ille. Et, *genus*, *qui du„cis Olympo*: quod & ipse ostendit Por„phyrius suo exemplo: *sive a parente*, in„quit, *sive a patria. Sic enim Orestem a „Tantalo dicimus habere genus: Hylum ab „Hercule*. Rursus: *Pindarum genere The„banum esse, Platonem vero Atheniensem. „Est enim patria principium cujusque gene„rationis, ut Pater.* Non dixit, Tanta„lum esse Orestis genus, aut Thebas „Pindari. *Differentiam* Porphyrius finit, „*qua abundat species supra genus*, quasi „non & abundet risibili homo supra „animal, quemadmodum & rationali. „Quodsi dicatur, non eatenus esse spe„ciem supra genus, responsioni huic „aqua hærebit, quod ajunt, *petitur „principium*, & vitiosissima erit defini„nitio, nempe perplexa, & id, quod „accuratius esset explicandum & de„clarandum, pro luce inferetur minus „etiam obscuri. Quum enim ex ac„cessione differentiæ ad genus con„stituatur species, quomodo tu in de-

fini-

Dies hic destinatus est ad publice enunciandos & creandos Doctores, qui secundum leges Academicas facultati Juridicæ adscriban-

8. Philosophi, Medici, JCti, Theologi specie differunt.

finitione differentiæ de specie memi- »
nisti tanquam jam nota & explicata? »
Cedo quas differentias affers? Miram »
earum penuriam dicet esse Aristoteles, »
nec ullis nos rebus, quum magis in- »
digeamus, magis carere, *Rationabile* »
est hominis differentia: vix aliam »
proferunt simplicem, nec ea ipsa est »
hominis ex sententia Philosophorum. »
Nam & angeli sunt rationales, quos »
illi vocant Deos, & quidem animalia »
rationalia. Quod si in adjectivo illo, »
rationale, animal pro substantivo in- »
telligas, potius erit justa definitio, »
quam differentia. Sed *rationale* dicunt »
differentiam, *capacem disciplinæ* dicunt »
proprium. Quid hoc plus habet aut »
minus, quam illud. Quæso, *bipes*, & »
quadrupes & *volatile*, & *aquatile*, quæ »
ab Aristotele & Porphyrio pro diffe- »
rentiis ponuntur, implent rationem »
illam differentiarum, quæ essentiam »
dicunt & formæ rationem, & *diffini-* »
tionis essentialibus sint aptæ, quum »
accidens designent? Quod si & hæ sint »

ſcribantur. Sunt enim, ut noſtis, qua-

„differentiæ, quid Ariſtoteles differen„tiarum inopiam deflet? Quomodo „hæc congruunt cum hoc Porphyrii „dicto? Interius autem perſcrutantes „non quodlibet eorum, quæ ſub eo„dem genere ſunt, dividentium eſſe „differentiam, ſed quod ad *eſſe* condu„cit, & quod quid erat, eſſet, & ejus „rei partes? Ergo bipes, aut volatile „non ſunt *differentiæ*. Verum enim „vero quis hoc dictum intelligat, quis „ullam aſſignet differentiam tam arctis „limitibus concluſam? Non immerito „Ariſtoteles ait, nos differentiarum ve„xari paupertate, ſi differentiæ omnes „ad tam exactam cenſuram æſtimantur, „Quis vero ſcit, an *mortale* ad eſſe ho„minis conducat. Quaſi vero non „poſſint homines eſſe *immortales* ex Dei „munere, ut anima: corporeum vero „& incorporeum non formam attin„gunt ſed materiam, quæ pro *differen„tiis* ponunt in ordinatione. Quid „quod Quintilianus mortale & immor„tale ſpecies dicit eſſe animalis generis. „Sed *Rhetoris* dictum parum exacte ad „philoſophiæ formulas dicit eſſe torna„tum: quale illud eſt Ciceronis, & Ciceronem

quatuor genera Docentium in A-
cade-

ronem secutorum Senecæ, Victorini, »
& Capellæ, *Romanum* & *Trojanum species* »
esse hominis, quum non sint *hominis* »
sed *nationis*; neque enim *ad essentiam* »
hominis pertinent, sed ad *accidens*, & de- »
suis individuis non in *quid* prædican- »
tur, sed in *cujus*. Nam, quod dici- »
tur *humanum genus*, & de genere homi- »
num, alios Romanos esse, alios Tro- »
janos, genus eo loci pro *gente* sumitur »
aut natione, aut forma & ratione & »
modo, ut *genus vini*, genus *cibi*, ge- »
nus *dicendi*, genus *belli*. Sed hæc »
omnia ita sunt perplexe & *obscure de-* »
finita, ut mirum non sit, labi in eis »
magnos viros & contraria inter se di- »
cere. *Bipedem* Aristoteles *differentiam* »
facit, & Aristotelem secutus Quinti- »
lianus. Porphyrius dicit esse *pro-* »
prium. Martianus etiam sic finit *dif-* »
ferentiam: est *sufficiens* ad id, quod »
susceperis, discretio. Et alio loco: »
differentia est *sufficiens* quæstioni di- »
scretio, ut, si quæratur inter homi- »
nem leonemque quid intersit, re- »
spondeatur, quod homo mitis, leo »
ferus sit, quod quidem nec hominem »
a mitibus cæteris, nec leonem a feris »

 aliis

cademis, Philosophorum, puta, Medicorum, JCtorum, & Theologo-

„aliis distinguit animalibus. Sic ille: „quæ omnia Porphyrius de Schola re„jiceret, tanquam imperita. Sed de „*proprio* quid dicunt? *Porphyrius* pro„prium in quatuor significatus dividit, „quod soli, quod omni, quod soli & „omni, quod soli, omni & semper. „*Quintilianus* etiam proprium dicit, aut „quod soli accidit, ut homini sermo, „risus, aut utique accidit, sed non so„li, ut igni calefacere. Quomodo „potest *proprium* vocari, quod sit alii „*commune?* non secus, quam si bonum „dicas malum, album nigrum, cali„dum frigidum, idque Aristoteles ve„tat fieri: Nam bipes non *proprium* est „homini, sed *generale* & amplius. Nec „quod *aliquo tempore* inest soli, nisi et„iam proprium dicas esse homini *bipe*„*dem* esse, cum solus sedet domi cum „cane & equo, aut *a dextris* esse, quod „Aristoteles admittit. Quo nihil video „absurdius? Adde quam ineptum est „*tertiæ* rationis proprii exemplum Por„phyrii: *canescere in senectute.* Atqui si „hoc omni homini accidit, semper ac„cidit, nempe in senectute canescere.

Neque

logorum. At illud forte non nostis, aut certe non cogitastis, tot novas hominum species a me fuisse recensitas, quot docentium Ordines retuli. Nihil tamen verius est; Accede tu iterum Aristoteles, & asserti hujus veritatem ad

Neque enim Porphyrius canescere pro" exemplo dedit, & explicuit, in sene" ctute, sed totum hoc est pro exemplo" datum, canescere in senectute. Sed" de verbis ne simus nimium solliciti," conniveamus ad hæc minuta. Ajunt," *differentiam & proprium non recipere ma*" *jus & minus.* Ego vero non video," cur unus homo non sit altero & *disci*" *plinæ* capacior, & ad *navigandum* aptior," aut ad artem *medicam.* Nam si *essen*" *tia* capacitatis aut facultatis ad disci" plinas, ad navigandum consideretur," *nihil* magis recipit aut minus; tam e" nim *alba* est hæc charta, quam ille" gypsus in *essentia* rei albæ. Et hæc" adeo obscura, involuta, difficilia tra" duntur pueris paulo ante e ludo tri" viali egressis, quæ non intelligunt" grandes natu in philosophia detriti ac" pene consumti." Hactenus Ludovicus Vives.

oculum demonstra. *Specie differunt*, inquis, *quæ unione opus habent*. Quod si verum est, uti verum esse jam ostendimus, profecto non solum Philosophi a Medicis, hi a JCtis, isti a Theologis specie differunt, sed & vereor, ne infinitæ Philosophorum & JCtorum & reliquorum species inde deduci ac monstrari possint. Ita videlicet raro conveniunt & sententiis & animo, sed sæpissime unione habent opus, quæ hactenus aliquoties elocutus sum, quatuor nomina. Nolo rem parum jucundam pluribus verbis declarare, cum non dubitem, quin quilibet, quorsum tendam, facile sit intellecturus.

9. Philosophia, Medicina, Jurisprudentia, Theologia non solum specie differunt,

At si Theologi & JCti, & Medici & Philosophi specie differunt, specie etiam different disciplinæ, unde diversas appellationes istas Doctores sunt sortiti. Et quis vestrum neget, Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam, & Philosophiam differre specie, cum id fa-

fateantur omnes, cum id doceatur in omnibus scholis, cum ejus doctrinæ fructus præcipuus sit, vigilantia illa & attentio, ne specierum diversarum mixtura fiat, & ut nemo, quod in proverbio est, falcem mittat in messem alienam. Sed istud quidem jam non volo. Id potius intendo, quemadmodum quatuor facultatum Doctores dixi esse homines diversæ speciei, ita & facultates ipsas assero esse *animantia* specie diversa. Haud dubie & hoc assertum rideret Lipsius, si viveret & audiret, uti risit doctrinam Senecæ. Forte & inter Vos, Auditores, haud pauci sunt, qui talia audientes ab irrisione, vel certe a suspiriis vix sibi temperant, & me plane stultum evasisse, aut saltem Stoicum esse factum arbitrantur. Notum enim est, quod Stoici justitiam, fortitudinem, prudentiam cæterasque virtutes, tam intellectuales quam morales ad classem animalium retulerint. Sed absit, ut istas Stoicorum ineptias

Sed sunt plane animalia specie diversa.

Non quidem in sensu Stoico,

 in

in mente habeam, quas ipſe Seneca, quantus etiam Stoicus fuerit, ſalſe ludere, & ut ipſe loquitur *q*) titil-

Stoicorum ſententia, quod virtutes, vitia, affectus ſint animalia.

q) Liceat & hic apponere ſententiam Stoicorum latius a Seneca & expoſitam & irriſam Epiſtolo 113. „Deſideras, tibi ſcribi a me, quid ſentiam „de hac quæſtione: *An* juſtitia, an fortitudo, prudentia cæteræque *virtutes* „*animalia ſint.* Hac ſubtilitate efficimus, „Lucili cariſſime, ut exercere ingenium „inter *irrita* videamur, & *diſputationibus* „*nihil profuturis* otium terere. Faciam, „quod deſideras, & quid *noſtris* videatur „exponam. Sed *me* in alia ſententia „profiteor eſſe. Puto quædam eſſe, „quæ decent phæcaſiatum palliatum„que. Quæ ſint ergo quæ *antiquos* mo„verint, dicam. *Animum* conſtat *animal* „eſſe, cum ipſe efficiat, ut ſimus ani„malia, & cum ab illo animalia nomen „hoc traxerint. *Virtus* autem nihil aliud „eſt, quam *animus* quodammodo ſe ha„bens, ergo animal eſt. Deinde virtus „*agit* aliquid: agi autem nihil ſine *impetu* „poteſt; ſi impetum habet, qui nulli eſt, „niſi *animali*, animal eſt. Si animal eſt, „inquit, virtus, habet ipſam virtutem. „Quidni? habet ſe ipſam. Quomodo ſapiens

Rationes Stoicorum.

titillare non desiit. Non meum id vitium est, si quod vitium in ista assertione latet, sed vitium seculi. Mihi nihil imputari poterit, si

sed quia secundum communem doctrinam, corpore & anima constant.

---

piens omnia per virtutem gerit, sic vir-„ tus per se. Ergo inquit, & *omnes artes*„ animalia sunt, & omnia, quæ *cogitamus*,„ quæque mente complectimur. Se-„ quitur, ut multa animalium millia„ habitent in his angustiis pectoris, &„ singuli multa simus animalia, aut„ multa habeamus animalia. Quæris,„ quid adversus ista respondeatur? Una-„ quæque res ex istis animal erit, multa„ animalia non erunt. Quare? dicam,„ si mihi commodaveris subtilitatem &„ intentionem tuam. Singula animalia„ singulas debent habere substantias, ista„ omnia unum animum habent, itaque„ singula esse possunt, multa esse non„ possunt. Ego & animal sum & homo,„ non tamen duos esse dices. Quare?„ quia separati esse debent, ita dico, alter„ ab altero debet esse diductus, ut duo„ sint. Quicquid unum multiplex est,„ sub unam cadit naturam: itaque unum„ est. Et animus meus animal est, &„ ego sum, duo tamen non sumus„ Quare? quia animus mei pars est,„

Responsiones ad objectiones.

si ostendero, facultates illas quatuor

„Tunc aliquid per se numerabitur, cum „per se stabit: ubi vero alterius mem„brum erit, non poterit videri aliud. „Quare? dicam, quia quod aliud est, suum „oportet esse & proprium & totum, & „intra se absolutum. Ego in alia esse „me sententia professus sum. Non enim „tantum virtutes animalia erunt, si hoc „recipitur, sed opposita quoque illis *vitia* „& *affectus*, tanquam ira, timor, luctus, „suspicio. Ultra res ista procedet, o„mnes *sententiæ*, omnes *cogitationes* ani„malia erunt, quod nullo modo reci„piendum est. Non enim quicquid ab „homine fit, homo est. *Justitia* quid „est, inquit. *Animus* quodammodo se „habens, itaque si animus animal est, „& justitia. Minime, hæc enim *habitus* „*animi* est, & quædam vis. Idem a„nimus in varias figuras convertitur, & „non toties animal aliud est, quoties „aliud facit, nec illud, quod fit ab animo „animal est. Si justitia animal est, si „fortitudo, si cæteræ virtutes, utrum „desinunt animalia esse subinde, ac „rursus incipiunt, an semper sunt? De„sinere virtutes non possunt: ergo mul„ta animalia, imo innumerabilia in hoc animo

Rationes Senecæ dissentientis.

tuor Academicas ex communi & rece-

---

animo versantur. Non sunt, inquit, *multa*, quia ex uno religata sunt, & *partes unius* & membra sunt. Talem ergo faciem animi nobis proponimus, qualis est *hydræ multa* habentis *capita*, quorum unumquodque per se pugnet, per se noceat. Atqui nullum ex illis capitibus animal est, sed animalis caput: cæterum ipsa unum animal est. Nemo in chimæra leonem esse animal dixit, aut draconem: hæ partes erunt ejus, partes non sunt animalia. Quid est, quo colligas justitiam animal esse? Agit, inquit, aliquid, & prodest. Quod autem agit aliquid & prodest, impetum habet; *quod autem impetum habet, animal est.* Verum est, si *suum* impetum habet: suum autem non habet, sed *animi*. Omne animal, donec moriatur, id est, quod coepit: homo, donec moriatur, homo est: equus item & canis: transire enim in aliud non possunt. Justitia, id est animus, quodammodo se habens, animal est. Credamus. Deinde animal est fortitudo, id est animus quodammodo se habens. Quis animus? Ille, qui modo justitia erat: tenetur in priore animali: in aliud animal ei trans-

recepta doctrina corporibus pariter,

„transire non licet. In eo illi, in quo „primum esse coepit, perseverandum „est. Prætera *unus* animus *duorum animalium* esse non potest, multo minus „*plurium*. Si justitia, fortitudo, temperantia cæteræque virtutes animalia „sunt, quomodo unum animum habebunt? Singulos habeant oportet, aut „non sunt animalia. Non potest unum „corpus plurium animalium esse, hoc „& ipsi fatentur. Justitiæ quod est cor„pus? Animus. Fortitudinis quod est „corpus? Idem animus. Atqui unum „corpus esse duorum animalium non „potest. Sed idem animus, inquit, „justitiæ habitum induit, & fortitudinis „& temperantiæ. Hoc fieri posset, si „quo tempore justitia esset, fortitudo „non esset, quo tempore fortitudo esset, „temperantia non esset. Nunc vero „omnes virtutes simul sunt. Ita quo„modo erunt singula animalia, cum „unus animus sit, qui plusquam unum „animal non potest facere? Denique „*nullum animal pars est alterius animalis*: „justitia autem pars est animi, non est „ergo animal. Videor mihi in re con„fessa perdere operam. Magis enim indignan-

ter, & animabus esse præditas, specie

---

dignandum de isto, quam disputan-»
dum est. Nullum animal alterius»
pars est. Circumspice omnia corpora:»
nulli non color proprius est, & figura»
sua & magnitudo. Inter cætera, pro-»
pter quæ mirabile divini artificis in-»
genium est, hoc quoque existimo, quod»
in tanta copia rerum nunquam in idem in-»
cidit: etiam similia quæ videntur, cum»
contuleris, diversa sunt. Tot fecit ge-»
nera foliorum, nullum non sua pro-»
prietate signatum, tot animalia, nulli»
similitudo cum altero convenit. U-»
tique aliquid interest. Exegit a se,»
ut quæ alia erant & dissimilia,»
essent, & imparia. Virtutes, ut di-»
citis, omnes pares sunt, ergo non»
sunt animalia. Nullum non ani-»
mal per se aliquid agit. Virtus autem»
per se nihil agit, sed cum homine. O-»
mnia animalia aut rationalia sunt, ut»
homines, ut dii, aut irrationalia, ut»
pecora. Virtutes utique rationales»
sunt. Atqui nec homines sunt, nec»
Dii, ergo non sunt animalia. Omne»
rationale animal nihil agit, nisi pri-»
mum specie alicujus rei irritatum est,»
deinde impetum cepit, deinde assensio,»
con-

ſpecie diverſis. Si enim iſtud de- mon-

„confirmavit hunc impetum. Quid ſit „aſſenſio, dicam. Oportet me am- „bulare: Tum demum ambulo, cum „hoc mihi dixi, & approbavi hanc o- „pinionem meam. Oportet me ſedere, „tunc demum ſedeo. Hæc aſſenſio in „virtute non eſt. Puta enim, pruden- „tiam animal eſſe, quomodo aſſentietur. „Oportet me ambulare? Hoc natura „non recipit: prudentia enim ei, cujus „eſt, proſpicit, non ſibi. Nam nec ambu- „lare poteſt, nec ſedere: ergo aſſen- „ſionem non habet. Quod aſſenſionem „non habet, rationale animal non eſt. „Virtus, ſi animal eſt, rationale eſt. Ra- „tionale autem non eſt, ergo nec animal. „Si virtus *animal* eſt, animal autem *bonum* „eſt, *omne bonum animal eſt.* Hoc noſtri „fatentur. Patrem ſervare bonum eſt, „& ſententiam prudenter in ſenatu di- „cere bonum eſt, & juſte decernere „bonum eſt. Ergo & patrem ſervare „animal eſt, & prudenter dicere ani- „mal eſt, eousque res excedet, ut riſum „tenere non posſis. Prudenter tacere „& cœnare bene, bonum eſt, ita & „tacere & cœnare animal eſt. Ego me „hercle, *titillare* non deſinam, & mihi

Ineptitudo ſubtilium diſputatio-

ludos

monſtravero, quis eſt, qui negare
ſit

---

ludos ex iſtis *ſubtilibus ineptiis* facere. Ju-» num Stoi-
ſtitia & fortitudo ſi animalia ſunt certe» carum.
terreſtria ſunt. Omne animal terreſtre»
alget, eſurit, ſitit: ergo juſtitia alget,»
fortitudo eſurit, clementia ſitit. Quid»
porro non interrogabo illos, quam fi»
guram habeant iſta animalia? homi-»
nis, an equi, an feræ? Si rotundam»
illis, qualem Deo dederint forſean,»
quæram, an & avaritia & luxuria & de-»
mentia æque rotundæ ſint? Sunt enim»
& ipſæ animalia. Si has quoque cor-»
rodundaverint, etiamnum interroga-»
bo, an prudens ambulatio animal ſit,»
nec ne? Confiteantur neceſſe eſt.»
Deinde dicant, ambulationem eſſe a-»
nimal, & quidem rotundum. Ne»
putes autem, me primum ex noſtris»
non ex præſcripto loqui, inter Clean-»
them & diſcipulum ejus Chryſippum»
non convenit, quid ſit ambulatio.»
Cleanthes ait, ſpiritum eſſe a princi»
pali usque in pedes permiſſum, Chry-»
ſippus ipſum principale. Quid eſt»
ergo, cur non ipſius Chryſippi exemplo»
ſibi quisque ſe vindicet, & iſta tot»
animalia, quot mundus ipſe non po-»
teſt capere, derideat. Non ſunt, in-»
quit,

ſit auſurus, omnes quatuor facultates

„quit, virtutes multa animalia, & „tamen animalia ſunt. Nam quemadmodum aliquis & poëta eſt, & „orator, & tamen unus; ſic virtu„tes iſtæ animalia ſunt, ſed multa „non ſunt. Idem eſt animus & ju„ſtus & prudens & fortis, ad ſingu„las virtutes quodammodo ſe habens. „Sublata eſt quæſtio. Convenit nobis: „Nam & ego interim fateor, animum a„nimal eſſe poſtea viſurus, quam de iſta „re ſententiam feram. Actiones ejus „animalia eſſe nego. Alioquin & omnia „verba erunt animalia & omnes verſus. „Nemo, ſi ſermo prudens, bonum eſt, „bonum autem omne animal eſt; ſer„mo ergo animal eſt. Prudens verſus „bonum eſt, bonum autem omne a„nimal eſt, verſus ergo animal eſt. I„taque: *arma virumque cano* animal eſt, „quod non poſſunt rotundum dicere „cum ſex pedes habeat. Textorium „inquis, totum me hercle illud eſt, quod „cum maxime agitur, diſſilio riſu, cum „mihi propono ſolœciſmum animal „eſſe & barbariſmum, & ſyllogiſmum, „& aptas illas facies tanquam pictor, „aſſigno. *Hæc diſputamus attractis ſuperciliis*

tates esse animantia specie differentia.

At

ciliis, fronte rugosa. Non possum hoc,, loco dicere illud Cæcilianum: *O tristes*,, *ineptias!* ridiculæ sunt. Quin itaque,, potius aliquid utile nobis & salutare,, tractamus, & quærimus, quomodo,, ad virtutes venire possimus, quæ nos,, ad illas via adducat: Doce me, non,, an fortitudo animal sit, sed nullum,, animal felix esse sine fortitudine, nisi,, contra fortuita convaluit, & omnes,, casus antequam exciperet, meditando,, prædomuit. Quid est fortitudo? mo-,, numentum humanæ imbecillitatis in-,, expugnabile: quod qui circumdedit,, sibi, securus in hac vitæ obsidione,, perdurat. Utitur enim suis viribus,,, suis telis. Hoc loco tibi Posidonii no-,, stri sententiam referre volo. *Non est*,, *quod unquam fortunæ armis putes esse*,, *te tutum, tuis pugna contra ipsam, fortuita*,, *non armant.* Itaque contra hostes in-,, structi contra ipsam inermes sunt. Ale-,, xander quidem Persas, & Hyrcanos,, & Indos, & quicquid gentium us-,, que ad Oceanum extendit Oriens, va-,, stabat, fugabatque; sed ipse modo,, occiso amico, modo amisso jacebat in,,

Utiliores doctrinæ de virtute & ejus studio.

E tene-

10. Probatur assertum. At hoc opus erit, hic labor erit, ista demonstrare. Aliis forte, mihi

„tenebris, alias scelus, alias desiderium „suum moerens, victor tot regum at„que populorum iræ tristitiæque suc„cubuit. Id enim egerat, ut omnia „potius haberet in potestate, quam af„fectus. O quam magnis homines er„roribus tenentur, qui jus dominandi „trans maria cupiunt mittere, felicissi„mosque judicant, si multas per milites „provincias obtinent, & novas vete„ribus adjungunt, ignari, quod sit il„lud ingens paratumque regnum. Im„perare sibi maximum imperium est. „Doceat me quam sacra res sit justitia, „alienum bonum spectans, nihil ex se „petens, nisi usum sui. Nihil sit illi „cum ambitione famaque; sibi placeat. „Hoc ante omnia sibi quisque persuade„at. Me justum esse gratis oportet. Parum „est, adhuc illud persuadeat sibi. Me in „hanc pulcherrimam virtutem ultro et„iam impendere juvet; ut tota cogitatio „a privatis commodis quam longissima „aversa sit. Non est, quod spectes, quod „sit justæ rei præmium majus, quam „justum esse. Illud adhuc tibi affige, „quod paulo ante dicebam: nihil ad rem

hi res erit præstitu facillima. Incipiam,

rem pertinet; quam multi æquitatem» tuam noverint. Qui virtutem suam» publicari vult, non virtuti laborat,» sed gloriæ. Non vis esse justus sine» gloria? at mehercules sæpe justus esse» debebis cum infamia. Et tunc, si» sapis, mala opinio bene parta dele-» ctat.» Hactenus Seneca. Cave tamen ne putes, me omnia approbare, quæ hic Seneca contra ineptientes Stoicos disputat, multa enim sunt, quæ hic monere possem, si instituti ratio id permitteret. Sufficiat, si dicenda in summam contraham. Initio vel hæc disputatio sufficienter probat, quantis ineptiis & litigiis gravissimi illi Stoici operam dederint, ad nihil aliud aptis, quam ut discipulos suos sub specie sapientiæ excitarent ad inanes logomamachias & sophisticationes: Deinde Senecam etiam ejusmodi ineptiis adsuetum, & in ipsa harum expugnatione non raro ipsum ineptire, & sophisticationes sophisticationibus repellere velle. Quid opus tot ambagibus in re evidenti? Si tollas thesin, animum esse animal, sua sponte corruit Stoicorum conclusio, quod virtus sit

Varia monita circa præcedentem Senecæ Epistolam.

cipiam, cum venia facultatis Theologicæ & absque præjudicio superioris

---

animal, quia nulla alia basi nititur, quam quod virtus sit animus quodammodo se habens. At videamus, quomodo Stoici probent, *animum esse animal. Id constat*, inquiunt, *quia animus efficit, ut simus animalia, & cum ab animo animalia nomen traxerint.* Has ineptias sicco pede transit Seneca, imo *interim fatetur animum animal esse.* Quid dicitis? si ideo animus est animal, quia efficit, ut simus animalia, ideo anima rationalis erit homo, quia efficit, ut simus homines, ideo faber lignarius vel scriniarius erit mensa, quia efficit mensas. Si ideo animus est animal, quia ab animo animal dicitur, caro etiam erit carnifex, quia a carne carnifex dicitur, ars erit artifex, quia ab arte artifex dicitur. Quid unquam absurdius, quid viro gravi indignius dici poterat? Serio procedendum est cum insanire affectantibus, & tentandum, an pudor in iis excitari possit. Si ineptias ipse cum illis, si cum Seneca eos *titillare* velis, nunquam eos emendabis. Æque enim ineptit, qui in titillatione aliorum delectationem quærit,

Ostensio ineptiarum, quibus Stoici probare voluerunt, animum esse animal.

rioris loci, qui illi jure debetur ma-

rit, quam qui titillari cupit. Æque ineptit, qui Stoicis concedit, *animum esse animal*, ac ille, qui *actiones animi pro animalibus habet*, ergo nihil promovit Seneca, dum prius concedendo posterius impugnat. Porro nescio, an majores sint ineptiæ Stoicorum, quibus volunt probare, animum esse animal, an Senecæ, quibus voluit probare, virtutem non esse animal. *Si virtus*, inquit, *animal est, virtus autem bonum est, omne bonum animal est*, & tum misere ludit probando per exempla, quod multa bona evidenter non sint animalia. Mallem ut ejusmodi ineptiæ plus quam pueriles non admissæ fuissent a Seneca. Haud dubie enim vel levissimus Stoicorum tyro ipsi ostendere potuisset fallaciam a Seneca in argumentando commissam. Nunquam ex doctrina, quod virtus sit animal, sequitur, omne bonum esse animal, adeoque frustra hanc conclusionem nonnisi in Senecæ cerebro natam impugnat Seneca. Quid respondisset Seneca, si quis ita conclusisset: *Si leo est animal, leo vero corpus est, ergo omne corpus*, & v. g. arbor, lapis, &c. est *animal?* Quid re-

Similes ineptiæ Senecæ probare volentis, quod virtus non sit animal.

maximo, a Jurisprudentia nostra.
An

---

spondisset, si quis ei objecisset: *Si Seneca est Philosophus, Seneca vero est bipes, aut maritus, ergo omne bipes*, & v. g. cuculus, *omnis maritus* & v. g. Marcolphus *est Philosophus*? Scilicet vitium in forma est. *Si virtus animal est, virtus autem bonum est*, non omne, ut Seneca dicebat, sed *quoddam bonum est animal*. Sed hoc posito omnes illæ titillationes Senecæ, quibus per varias instantias probare intendit, quod non omne bonum sit animal, evanescunt.

Ineptiæ quatenus diverso respectu tristes & ridiculæ.

Cæterum nec *Cæcilianus* peccavit, quod omnes ejusmodi Philosophorum ineptias *tristes* vocaverit, nec *Seneca*, quod *ridiculas*. Utrumque enim prædicatum commode iis poterit applicari. *Tristes* sunt, quatenus Philosophi *tristes* tanquam si doctrinæ utiles essent, eas *attractis superciliis & fronte rugosa* inculcant discentibus, & de iis serio disputant; *ridiculæ*, quatenus homines præjudiciis stultæ autoritatis non penitus immersi palpabiles istas & vix pueris condonandas stultitias certe & distincte cognoscunt, & non ira nec commotione sed contemtu & irrisione dignas esse judicant. Felices interim erant conditiones

An negabitis Jurisprudentiam habere corpus, quæ multa corpora habet, & ipsa specie inter se differentia. Habet Corpus juris r) Civi-

(t) *Jurisprudentiam habere multa corpora.*

nes illorum temporum, quibus Stoicus honore, bonis & vita salvis stultitias Stoicorum tuto ridere & eos titillare poterat. Nobis hodie non ita semper licet esse tam felicibus, cum sæpe ineptiæ hominum tristium attractis superciliis & fronte rugosa propositæ tantum non vim legum pœnalium per jura canonica & horum reliquias apud Protestantes etiam obtinuerint, & *tristes* effectus ope piæ crudelitatis in earum contemtoribus producere soleant. Unde adhuc dum serio precandum est iis, qui ejusmodi tristes ineptias abhorrent: *Ab attractis superciliis & fronte rugosa Stoicorum, ineptias ut præcepta sapientiæ inculculcantium, libera nos Domine.*

r) Per jus enim intelligitur hic ipsa jurisprudentia, id est, ut Ulpianus ex Celso id describit *l. 1. pr. de just. & jure, jus est ars æqui & boni*, aut ipse eam definivit *l. 10. §. 2. eod. jurisprudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia.* Neque enim cum Feltmanno *in comment. ad d. l. 10. &*

Jus pro arte sumtum & jurisprudentia sunt synonyma.

Civilis, Corpus juris Canonici, Corpus juris Saxonici, Corpus juris militaris, & quis omnia jurisprudentiæ corpora enumeraret? Sed forte corpora ista vita carent, forte truncis, ficulnis, lapidibus & similibus sunt annumeranda. Imo vero spiritu intus aluntur, nec destituta sunt animo tanquam causa multarum & infinitarum actionum in republica Leges, Canones, capitula, constitutiones, articuli, uno verbo leges & consuetudines, potissimum tamen leges scriptæ & visibiles sunt Corpus Jurisprudentiæ; rationes legum invisibiles, sunt anima legum, & vegetativa & sensitiva & rationalis. Modo enim

Et animam vegetativam, sensiti-

§. 2. nimium subtili & in recta ratione parum fundata distinctione inter juris artem & jurisprudentiam utente, facimus, etsi facile concedamus eidem, quod jurisprudentia sit vel consultatoria, vel legislatoria, vel judicialis, & ambæ definitiones modo memoratæ possint ad singulas illas tres species, accedente debita explicatione, applicari.

enim Legis ratio verba legis i. e. corpus jurisprudentiæ *extendit*, ecce animam *vegetativam*, modo *sensus* legis dicitur: ecce *sensitivam*, modo *mens* legis vocatur ecce *rationalem*. *vam, & rationalem.*

Facultatem Theologicam quod attinet, illa initio tota, & quanta quanta erat, mere spiritualis erat, & adeo corpore carebat. Non intelligo saltem Apostolorum tempora, & ubi libri novi fœderis nondum editi, ac Doctrina Christi nondum scripta erant, sed & tempora primitivæ Ecclesiæ, in qua docentes docebant simplicem ac puram atque vivificam doctrinam librorum novi fœderis. Sed postea corporea facta est Theologia & adeo mere spiritualis esse desiit. Non fert propositi ratio inquirendi, quo tempore id fieri inceperit. Id nosse sufficit animo harum rerum curioso, tum incepisse Theologiam corpore indui, cum traditiones Ecclesiasticæ & expositiones doctrinæ subtiliores simplicitati illi & per- *II. (2) Theologia olim erat mere spiritualis, sed postea corporea evasit,*

spicuitati pristinæ accederent. Etsi vero optandum esset, hac incorporatione nunquam mutatam fuisse pristinam Theologiæ faciem, etsi non diffitear, corpoream Theologiam magnam, & forte maximam, partem esse Theologiam larvatam, non tamen animus est, omnem corporeitatem Theologiæ extirpare velle aut inutilem dicere. Multa sunt in rerum natura & utilia & minime suo movenda loco, quæ vel causas vel occasiones certe habuere non optimas. Ita Medicinæ occasio morbi sunt, & tamen quamdiu ægrotant homines, sine absurditatis notâ non possunt remediis medicis privari, sub prætextu, quod medicamenta corrumpant sana corpora, & quod cibi durioris concoctionis conservent sanitatem stomachi. Interim meum non erit, ut differentiam ostendam, & signa, quibus Theologia corporea larvata a vera possit secerni. Pertinet ea res ad curam Venerandorum Dominorum Theologorum. No-

eaque partim larvata partim genuina.

Utriusque expositio relinquenda Dominis Theologis.

Nobis jam alia restant agenda scilicet id non est omittendum, sed commemorationem pariter ac meditationem ulteriorem requirit. Theologia Scholastica ante reformationem etsi crasso corpore fuerit induta, noluit tamen hanc corporeitatem suam fateri, sed operam dedit maximam, ut istam materiæ molem sub nomine spiritualitatis meræ astute occultaret. Unde observatu non indignum est, quod, si recte memini, demum post reformationem a Theologis protestantibus corporeitas Theologiæ dissimulari desierit. Ex hoc enim tempore notum est *Corpus* doctrinæ Philippi, *corpus* doctrinæ Julium, & similia, sive id factum fuerit a Theologis ex sincera confessione, quod morbi, Ecclesiam etiam post reformationem afficientes non patiantur adhiberi doctrinam mere spiritualem, sive etiam tituli hi doctrinæ Theologicæ originem sumserint ab honesta imitatione & æmulatione JCtorum, ad

12. Theologia Scholastica corporeitatem dissimulavit.

Post reformationem in confesso est, Theologiam habere corpus.

ad sua juris corpora ubique provocantium.

13. Consensus Theologorum & JCtorum in impediendis novis doctrinis. Quia enim facultatum istarum duarum, Theologicæ & Juridicæ, utraque (relicta cura corporis humani facultati Medicæ) animi humani felicitatem pro scopo habent, æternam Theologica, temporalem Juridica, non mirandum est, quod potissimum a reformationis tempore id observare licuerit, inter utriusque facultatis Doctores perpetuam fere harmoniam & honestam æmulationem viguisse, & cum connexæ esse debeant felicitas temporalis & æterna, utramque facultatem vigilasse sedulo ac diligenter, ne per falsam doctrinam alterutrius communis scopus damnum pateretur. Quare & hodienum inveniuntur utriusque Facultatis Mystæ, qui fratres exhortantur, vel in publicis scriptis, vel clanculum per literas & consilia, ne patiantur doctrinæ hactenus receptæ, tanquam causæ communi, præjudicium fieri per novaturientes doctrinas aliorum,

nume-

numerum quinarium, ausu temerario & detestando, *ex numerorum parium classe eximere satagentium, s)* quique

s) Fuerunt ex Auditoribus, quibus hæc propositio obscurissima visa est, dicentes videlicet, nullum unquam hominem sanæ mentis statuisse, numerum quinarium esse parem, adeoque etiam non potuisse ullum eximere inde numerum quinarium, multo minus potuisse alios huic ausui tanquam temerario irasci, cum non entis nulla sint prædicata. Sed hi statim acquieverunt, simulac eos interrogavi, annon recordarentur proverbii Germanici: Es ist ein guter ehrlicher Mann, er läst fünffe gerade seyn; vel: Es ist ein verdrießlicher eigensinniger Kerl, man bedencke nur, er will nicht mehr fünffe gerade seyn lassen &c. Quod vero proverbium Germanicum verbis latinis hic proposuerim, factum est, ut acrimoniam ironiæ obscuritate temperarem, cujus sensus est, quod post reformationem hodienum etiam præjudicium autoritatis apud Protestantes in Academiis regnet, & quod duæ facultates superiores hactenus tantum non ubique detectionem palpabilem harum reliquiarum Papatus satis crassarum,

Explicatio temeritatis eorum, qui numerum quinarium ex numerorum parium classe eximere voluerunt.

quique omnem adhibent industriam, ne corpus doctrinæ utriusque damnum patiatur ullum.

14. Differentia inter corpora & animas Jurisprudentiæ & Theologiæ. Quemadmodum autem inter corpus doctrinæ Theologicæ, & corpus Juris ingens est diversitas, ita & anima utriusque facultatis non est eadem. Diximus rationem esse animam jurisprudentiæ, sed SS. Theologia longe alia gaudet anima, scilicet revelatione, cum de rebus tractet, ad quæ ratio nequit attingere. Et cum ratio, in jurisprudentia, tanquam regina legibus ceu corpori præsit, aliter plane se res habet in Theologia, ubi videlicet contenta esse debet ratio, si ipsi ministerii gloria relinquatur, & si tantum non ut hostis tractetur aut mancipium.

15. Corpora & anima (3) Fa- Jam vero non obscurum erit divinare de corpore & anima facultatum

---

sarum, tanquam crimen maxime horrendum conjunctis viribus persecutæ fuerint.

tatum duarum, quæ restant. De Corporibus res erit planissima, etsi eorum vocabula non soleant intuitu illarum facultatum usurpari. Vis exempla corporum facultatis Medicæ cogita v. g. Galenum, Hippocratem, Sennertum; Vis Philosophicæ, cogita Aristotelem, Cartesium, Gassendum, & utrobique infinita alia. Anima facultatis Medicæ experientia est, Philosophicæ, autoritas, ut quando de puritate sermonis, de quantitate Syllabarum, de flosculis rhetoricis, de factis in historia Philosophus disserit. Scio quidem & Medicam facultatem & Philosophicam ratione ut anima uti, sed tamen nec illud negari potest, in medicina experientiam superare rationem, uti revelatio in theologia rationem superat, & in facultate Philosophica, rationis usum certe non esse universalem, cumquoad disciplinas memoratas rationis usus sit exiguus, contra vero in Jurisprudentia ratio utramque faciat paginam,

De cultatis Medicæ & (4) Philosophicæ.

nam, *t*) & nec indigeat revelatione, nec acquiratur experientia, nec

Objectio ex Hubero, quod in Jurisprudentia ratio non ubique sit attendenda.

t) Sed huic videtur objici posse, quod Clericus *Biblioth. univ. Tom. 6. p. 466.* ex ULRICI HUBERI tractatu de concursu rationis & sacræ scripturæ refert his verbis: On montre dans le 3. chap. que ces Messieurs (*Brouwer* & *Roëll*) ont allegué mal a propos l' exemple de la *Jurisprudence*, pour faire voir, *que la raison èt par tout souveraine.* Ils disent, qu'on y considere d' abord les sens des Loix, qu'on tache de bien comprende la pensée du Legislateur, & qu' ensuite on la compare aux regles de l' equitè, a laquelle toutes les loix se doivent rapporter. Mais M. *Huber* leur soutient, *que la justice & l' equitè naturelles ne sont pas les regles de la Jurisprudence*, que l' on tromperoit les Juges & les Parties, si au lieu de leur citer des passages expres du Code, on leur alloit faire de longs raisonnements sur le juste & injuste: que la science du droit naturel & de l' equité est une partie de la Philosophie, & que Justinien *l. 21. ff. de legib.* defend, *de rechercher les raisons des choses qui sont etablies; parce qu' autrement on renverseroit plusieurs*

nec etiam autoritate adjuvetur, sed potius corrumpatur.

Post-

sieurs choses certaines. Sed ad ista facilis est responsio. Respondeat pro seipso Huberus *Auspic. domest. omit. 9. p. 267. seq.* »Legum eruditio, inquit, vobis est» proposita sed ni *rationem* ubique con-» junctam teneatis, cœcam imperfe-» ctamque *juris scientiam* scitote vos ha» bituros. Non solum *Philosophi* sed &» *JCti* hanc oportet esse sententiam: *Fe-» lix, qui potuit rerum cognoscere causas.*» Futilis & fluxa studiosi hominis disci-» plina fuerit, quæ in sola præceptorum» memoria sine luce rationis consistit.» Jurisprudentia ad *imperandum, judican-» dumque*, id est, ad sceptrum vibran-» dum nata & idonea facta est. Quid» autem res divinas & humanas imperio» temperat atque gubernat, nisi *ratio?*» Quid civium controversias & Reipu-» blicæ fata componit ac moderatur, nisi» *ratio?* Denique *Lex* ipsa quid est, nisi» *fons* & *fundamentum* ejus sit *ratio? Ob-» jectatur*, sed immerito arti nostræ, quod» ipsi conditores ejus ita tradiderunt:» *Rationes eorum, quæ constituta sunt, in-» quiri non oportet*, idque propterea, quod» *non omnium, quæ a majoribus tradita sunt,*»

Responsio ex eodem Hubero.

F *ratio*

14. Transitio ad Propositionem. Postquam ita hactenus satis ac sufficienter demonstratum est, quatuor facultates Academicas diversis gaudere corporibus & animis; non

»*ratio reddi potest.* l. 20. 21. de LL. quasi »pudendum vel ignorantiæ vel servitutis »asylum in his dictis contineatur. E»nimvero non ita JCtos inducere ani»mos oportere, uti quæ non intelligunt, »improbare, legumque vigorem in æsti»matione sua pendere velint, dicere »jam occupavimus. Id enim si proce»deret, *multa, quæ nunc certa sunt, sub»verterentur*, ait Neratius, in libro sexto »membranarum. Satis est ad vindi»candam legum autoritatem, eas non »pugnare cum necessariis æternisque »boni honestique regulis, etsi cuncta »rationum singularia post longam ævi »memoriam forte minus sint conspicua. »Sed qui Romanæ Jurisprudentiæ scru»tati sunt adyta, facile norunt, ejus»modi capita vel nulla, vel rarissima in »libris Justiniani esse relicta; verum ut »artis hujus initia ex ipsius naturæ prin»cipiis educta sunt, ita nihil imprimis »huic fundamento, nisi incorruptæ ra»tionis cynosuræ conveniens, inædifi»catum est &c.» Scilicet aliud est, asserere

non credite, Auditores, ista a me ludendi aut jocandi causa esse allata. Quin potius ea, quæ hucusque disserui, nullum alium in finem a me sunt adducta, quam ut attentionem excitarem vestram, atque ut mihi ipsi viam panderem absque hæsitatione progrediendi in themate, de quo jam dicturus sum. Nimirum, uti inter homines fieri debet, ut probe gnari simus personarum, cum quibus frequentia habemus negotia, ne ab aliis, qui eorum personas mentiuntur, decipiamur, ita & Studiosis sapientiæ incumbit, ne decipiantur a larvis Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ & Philosophiæ, & ut accurate præcognoscant, quænam sint criteria, quibus veras illas & genuinas sapientiæ filias a spuriis & fucatis possint dignoscere.

serere, rationem esse animam legum & jurisprudentiæ, aliud est, leges & jurisprudentiam sola ratione constitui. Nostra doctrina ut ex tota oratione constat, prius asserit, de posteriori loquitur objectio.

PROPOSITIO. 17. Ostendenda differentia veræ & fucatæ Jurisprudentiæ, ex doctrina de corpore & anima ejus.

Atque de reliquis quidem facultatibus non amplius ero sollicitus, sed linquo eam doctrinam Venerandis, Gratiosis, atque Clarissimis earum Mystis. De jurisprudentia forte non erit injucundum, si quædam, secundum ductum eorum, quæ hactenus de corpore & anima jurisprudentiæ dixi, distinctius considerentur, & ex modo positis principiis ostendatur differentia veræ & fucatæ Jurisprudentiæ.

18. COMMENDATIO THEMATIS ET CAPTATIO BENEVOLENTIÆ.

Neque enim thema eligere potui, quod magis conveniret cum solennitate hujus diei; neque credidi, Vobis, Auditores, gratius quid atque acceptius offerri posse, quam si sensibilia signa vobis exhibeantur, bonos viros, (tales enim sunt JCti genuini) a deceptoribus separandi. Non tamen expediam hoc propositum compto & ornato sermone, sed pergam sermone uti, simplici quidem, sed sincero. Cum nec orator sim, nec illum, qui larvatæ jurisprudentiæ fucum detrahere vult,

vult, ullo modo deceat, fucis oratoriis imponere auditoribus, & affectuum suscitatione impedire quietam & liberam veritatis perceptionem. Quin & de Vobis, A.O.O. & D.H. eam spem voveo, ut non tam de corpore orationis meæ, quam de ejus anima solliciti sitis futuri, & ea, qua par est, modestia a Vobis contendo, velitis magis nucleum gustare eorum quæ dicturus sum, quam parum forte amœno ac parum dulci verborum cortici inhærere.

SECTIO II.

TRACTATIO. Jurisprudentiæ unicæ & veræ requisita.

SUMMARIA.

TRACTATIO. XIX. *Jurisprudentia vera corpore gaudet & anima.* XX. *Id est lege & ratione.* u) w)

u) *Simili ratione Hubero lex est liber.*

w) *Consensus ejusdem de moribus sub lege comprehensis.*

XXI. *Jurisprudentia legislatoria est spiritualis,* x) *Judicialis vero corpo-*

x) *Parallelus locus Huberi de differentia inter Jurisprudentiam Principis & Judicis.*

re gaudet, id est verbis legis. y)

y) *Scopus trium orationum Huberi de statua Eugnomosynes.*

XXII. *Verba legis modo angustiora, modo augustiora comparantur cum corporibus pusillis & longioribus. Dictum Baldi.* z) XXIII. *Inde orta*

z) *Bartoli, (an Baldi?) jocus de longis hominibus, expositus contra Wissenbachium & Feltmannum, ac Philosophice examinatus. Locus Boccalini parallelus.*

divisio interpretationis in restrictivam & extensivam. Utriusque fundamentum aequitas. aa) bb) XXIV. *Declaratio dictorum exemplo de prohibita frumenti exportatione.* XXV. *Respondetur ad dubium, aequitatem scriptam non esse spiritum sed corpus.* cc) *usque ad* mm) XXVI. *Officium*

aa) bb) *Huberi loci paralleli de aequitate.*

cc) *De controversia, an detur aequitas scripta, locus Wissenbachii.*

dd) *Senecae judicium de Legibus ratiocinantibus.*

ee)

ee) ff) gg) *Allegationes textuum juris Civilis.*

hh) *Genuina ratio, cur Justinianus adulteros a pœna capitali liberaverit.*

ii) *Stulta assertio, uxorem esse dotis dominam.*

kk) ll) *Allegationes textuum.*

mm) *Explicatio genuinæ rationis, cur partus ancillæ non sit in fructu.*

JCti intuitu verborum legis & ejus rationis. nn) oo) pp) qq)

nn) *Consensus Huberi de conjungenda ratione & lege.*

oo) *Illustratio dictorum de idea boni JCti.*

pp) *Differentia inter JCtum perfectum, & sapientem Stoicum. Varia notabilia de hoc ultimo.*

qq) *Allegatio textus.*

ACcedite igitur Auditores, & quam primo loco vobis exhibeo jurisprudentiam veram oculis mentis paululum attentius perlustrate. Est rara avis in terris, & adeo raro conspiciendam se exhibet. Ergo vel ex hoc capite non supine, sed cum cura eam considerate. Vera Jurisprudentia viva est, & integra, falsa & larvata vel *TRACTATIO. 19. Jurisprudentia vera corpore gaudet & anima.*

vel mortua est vel truncata & mutilata. Vivit illa, quam jam ostendo, & integra est. Nam & corpus habet & animam, lege constat & ratione.

20. Id est lege & ratione. Dum legem dico, principaliter quidem jus scriptum intelligo, *u*) quod corpus visibile habet, verba in scripturam redacta, sed tamen non excludo consuetudines & mores, *w*) ubi corporis loco sunt facta con-

Simili ratione Hubero lex est liber. *u*) Eadem est sententia Huberi oratione 8. & 9. Legem & rationem conjunctim commendantis studiosis. *Lex*, inquit orat. 9. p. 275. *est liber, & quis liber, non est difficilis conjectura* &c. *Unus est liber, quam manu præfert Eugnomosyne, & hoc uno Justiniani libro studiosos juris inde ab initio contentos esse velim, satis magno tamen illo, qui universum disciplinæ juridicæ corpus amplectatur.*

Consensus ejusdem de moribus sub lege comprehendendis. *w*) *Ignoscant*, inquit alibi Huberus, dict. orat. 9. p. 283. *quicunque fori porticus frequentant, si nec Advocatos, nec judices aliter rationes inire permitto, quam ut* legem *&* rationem *pro summa, forte & unica, patrocinandi judicandique regula admittant, modo per* legem *non modo jus Roma-*

continuata publica. Per rationem legis intelligo omnia, quæ pertinent ad genuinum sensum legis eruendum & mentem legislatoris intelligendam, ut postea ad facta singularia juste & convenienter applicari queat, quorsum pertinet etiam consideratio antecedentium & consequentium, naturæ item negotii, de quo agitur, & naturæ communis hominum sive affectuum, quibus communiter præditi sunt, qui talia negotia tractant, & quæ alia esse solent, ex regulis bonæ interpretationis observanda. Haud dubie tamen hic eminet ratio legis stricte dicta, hoc est occasio, quæ legislatorem impulit ad legem ferendam, & quam obtinere voluit per promulgationem legis.

Hæc vero dum percipitis Auditores, facile intelligitis, sermonem meum non occupatum esse in exponenda Jurisprudentia Principis, *21. Jurisprudentia legislatoria est spiritualis.*

Romanum, sed & propria cujusque gentis statuta *vel* mores *intelligantur* &c.

pis, x) quæ leges ferre docet, sed de jurisprudentia judiciali me loqui,

Parallelus locus Huberi de differentia inter jurisprudentiam Principis & Judicis.

x) Quæ hic de differentia inter jurisprudentiam principis & judicis summatim dico, illustrabuntur ex loco plane parallelo Huberi orat. 8. p. 252. seq. *Sicut regnantis*, ait, *atque judicantis admodum diversa ratio est, ita negari non potest, quin aliter* Princeps *aliter* judex *in legibus secundum æquitatis regulas corrigendis versetur. Cum enim, quicquid Principi placuit, legis vigorem habeat, etiam hoc in potestate Principis inesse intelligitur, ut quibus casibus exercitio legum durior acerbiorque videatur, iis benigna dispensatione tabulas legum non tollat equidem sed vertat paulisper, aliterque decernat, quam mens & verba in hoc ipso casu faciendum fuisse dictabant, ita, quemadmodum* Claudium Cæsarem *fecisse modo retulimus, & quemadmodum* senatus, *qui vice principis judicabat,* erga Fundani familiam *statuere potuisset. At respectu* judicis, *qui solum minister juris est, vere dici queat, Legem esse rem surdam & inexorabilem, nihil laxamenti nec veniæ habere, si modum excesseris.* Reges *e contra esse homines, a quibus impetres, ubi jus, ubi injuria opus sit; esse gratiæ locum, esse beneficio, & irasci & ignoscere posse. Quapropter,*

qui, quæ leges latas explicat & applicat. Nam legislatoria illa mere spi-

propter, si qua lex non dubii sensus aliquo loco prædura & iniqua videatur, non est in potestate judicis, aliter sententiam ferre, quam lex manifesta jubeat; sed ad Principem Regemve negotii arbitrium referri oporteret, qui non modo justitiæ sed & gratiæ dispensationem exercere potest; judicem vero clementiorem esse lege non oportet, ait Justinianus. Idem de juris interpretibus, quod in judicibus observandum est; non ille, si qua lex disputando inepta, inutilis aut injusta demonstrari queat, hoc agere debet, ut aliter consultus respondeat, quam legislatorem voluisse cognoverit. Ulpianus id autoritate sua firmavit in libro quinto de adulteriis, l. 12. §. 1. ff. qui & a quib. manum. *Ubi mulierem adulterii ream negat servos ancillasque manumittere posse, ne quæstioni subducantur, nec quidem eos, qui extra ministerium mulieris fuerint, quod quidem perquam durum est, ait, sed lex ita scripta est.* Refert hic inter alia se Huberus ad superius dicta de Claudio & Fundanio. Ita vero paulo ante *p. 249.* de utroque exemplo differuerat. *Sit igitur hæc species æquitatis, quando lex nulla verborum ambiguitate laborans, factoque propo-*

ſpiritualis & rationalis eſſe debet nullo alligata corpori legum humanarum

propoſito exacte conveniens, ob rationes æqui bonique flectitur & mitigatur, quemadmodum de Claudio *Tranquillus memorat, cum ſæpe duritiem legum in judicando ſecundum æquitatem eſſe moderatum. Si exemplum deſideratis, non poteſt illuſtrius eſſe, quam quod Romæ in ſenatu agitatum eſt, cum Pedanius ſecundus urbis præfectus a ſervo ſuo trucidatus eſſet. Vetus lex erat, ut familia omnis, quæ eodem tecto manſitaverat, ad ſupplicium ageretur, & apud* Fundanium *quadraginta utriusque ſexus & omnis ætatis ſervi habitaverant. Non erat dubia mens legis, ſed immane videbatur, tot innocentes ob ſcelus unius exitio dari. Ideoq; tota civitas miſericordiam Senatus & æquitatem implorabat, nec in ipſo ſenatu deerant ſtudia nimiam ſeveritatem aſpernantium. Sed lex & mos antiquus effecit, ut pars, quæ ſupplicium decernebat, prævaleret.* Cæterum, quod ſententiam Ulpiani *in l. 12. §. 1. qui & a quib. manum.* attinet, ad quam etiam provocat Huberus in fine loci primi, ea eſt quidem communis de mente Ulpiani ſententia; ſed verius eſſe, Ulpianum hic verba legis captaſſe, eaque ſine juſta ratione juſtiori legis inter-

narum & ſcriptarum, cum doctrina Politica doceat, principem his eſſe ſolutum. At legum interpretes & Judices, quibus parendi gloria relicta eſt, ſunt legum miniſtri. Unde horum jurisprudentia non poteſt eſſe plane incorporea, etſi nullum ſit dubium, rationi tanquam animæ magis auſcultandum eſſe, quam verbis. Uti enim corpus & anima ſunt partes hominis eſſentiales, inter quas tamen haud dubie anima eſt pars præcipua & nobiliſſima, ita & jurisprudentiæ partes eſſentiales ſunt lex & ratio, y) ex illis tamen ratio verba legis diri-

Judicialis vero corpore gaudet, (id eſt verbis legis,)

Ratione legis animato.

interpretationi reſtrictivæ oppoſuiſſe, perſpicue, ut puto, probavi *in diſſert. de rite form. ſtatu controv. circa uſum jur. Juſtin.* §. 41. & 42.

y) In eo totus eſt Huberus, ut in tribus, quæ in *Auſpiciis domeſticis* extant, orationibus integris, ſcilicet 7. 8. & 9. a *p. 225. ad p. 290.* occaſione ſtatuæ Evgnomoſynes, quæ fuit in foro Conſtantinopolitano juxta ſtatuam Hermæ Emporii poſita, quamque initio poſitionum

Scopus trium Orationum Huberi de ſtatua Evgnomoſynes.

dirigit & temperat, ut anima corpus.

22. *Verba legis modo angustiora, modo augustiora*

Etsi enim Legislator intendat verbis legis sensum animi sui exprimere, evenit tamen non raro, ut modo verba sint augustiora mente, modo arctiora. Rarissime evenit, ut verba juste & ad punctum efferant cogitata mentis. Habes & in natura corporis humani hujus rei simulacrum.

comparantur cum corporibus

Videmus non raro homines pusilli corporis magno

---

tionum juris contractarum in effigie delineatam exhibuerat, exponeret, Evgnomosynen designare ipsam Jurisprudentiam, per sceptrum vero intelligi rationem, & æquitatem tanquam animam legis, per librum intelligi legem ipsam seu corpus juris. Adeoque non diffiteor, has orationes tres Huberi, tanquam quæ mihi occasionem dederunt ad meditationem præsenti oratione expositam, tantum non totas multum illustrare brevius a me hic dicta, & hanc causam esse, quod in gratiam eorum, qui isto Huberi libello destituuntur, hactenus loca quædam scopo meo convenientia inde excerpserim, & in posterum excerpturus sim.

gno animo præditos esse, contra vasta corpora nonnunquam pusilla anima regi: unde non sine acumine Baldus z) brevis staturæ homo, ut

pusillis & longioribus.

Dictum Baldi.

z) Equidem Wissenbachius Exercit. 6. ad Pand. th. 1. Bartolo hoc dictum tribuit: *Jus dicentis officium*, inquit, *est latissimum. Nam & bonorum possessionem dare potest* &c. l. 1. ff. h. t. *Cur Ulpianus dixit latissimum & non longissimum? Quia*, inquit Bartolus, *homines longi raro sunt sapientes. Ratio profecto vix Mopso aliquo, nedum tanto viro digna.* Hunc secutus Feltmannus *in comment. ad d. l. 1. th. 2.* eidem Bartolo id dictum tribuit, simul Bartolum contra Wissenbachium defendere cupiens. *Cur non longissimum?* ait. *Respondet* Bartolus, *quia viri longi raro sunt sapientes. Cui graviter ideo irascitur* Wissenbachius. *Sed voluit iste J-Ctorum Deus ostendere, jus dicentem non debere esse hominem bardum, sed prudentem. Antiquitus autem longum hominem pro insulso & blenno acceptum fuisse discimus ex Catullo*, carm. 68.

- - ne tollat rubra supercilia
Longus homo est.

Neque id veterum dicterium cum Trajano Boccalini, ragguagli di Parnasso cent. 1. pag.

Bartoli, (an Baldi?) jocus de longis hominibus expositus contra Wissenbachium & Feltmannum, & philosophice examinatus.

ut se adversus scommata, quæ a lon-

pag. 74. *sic explicaveris, quasi per longum hominem intellexerit eum, qui sit tardus, morasque nectat, nam hoc Græcorum μέγας, quod idem est, quod stolidus, ac ineptus, haud admittit. Hodie frustra sollicitus sis, quia si audis Juvenal.* sat. 15.

Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.

Sed, quantum recordor, quamvis nesciam ubi, legi, non Bartolum, sed Baldum istius dicti esse autorem. Cum autem nec Bartoli nec Baldi opera ad manus sint, nec tanti res esse videatur, ut ex aliorum bibliothecis conquirantur, causam, cur magis ad Baldum quam Bartolum hic inclinem, saltem afferam. Ea vero in sequentibus Panciroli *de clar. leg. interpr. lib. 2. p. 202.* verbis latet: *Baldo, qui corpore exiguus erat, ubi primum gymnasium ingressus est, ad pusillam hominis staturam ab auditoribus acclamatum fuisse dicitur:* Minuit præsentia famam. *Ab illo vero opportune responsum:* Augebit cætera virtus. *Quo dicto omnibus admirationem sui injecit. At Philippus Cassolus, qui, ut memoria cæteris antecellebat, ita superbo titulo Doctorum Doctor vocabatur, ingenio fretus, se ex omnibus ulti-*

longioribus sæpe patiebatur, vindica-

dica-

---

ultimarum voluntatum quæstionibus ex tempore responsurum professus est. Statuta ad dicendum die, cum in magna exspectatione esset, surgens Baldus interrogavit, ubi in jure cautum reperiretur, parem non esse ejus, qui non vult, ei, qui non potest, conditionem. Ad primam interrogationem hæsitante Philippo, cum Baldus de proposita quæstione legem ostendisset, (scil. leg. Pater Severinam 101. ff. de condit. & demonstr.) *magnam gloriam retulit.* Paucis, Baldus brevis staturæ & facetus erat, quas circumstantias in vita Bartoli non deprehendo; Valde igitur verosimile est, quod scomma illud ad pungendos longos homines brevitatem ejus irridentes, & ei exprobrantes, & nullam aliam ob causam, commentario suo ad titulum de jurisdictione inseruerit, sive jam commune proverbium tum temporis extiterit, quod longi homines raro sint sapientes, sive quod ipse Baldus primus ejus propositione iram longorum hominum & risum reliquorum excitare voluerit. Solemus enim ridere dicta inexpectata, alios non sine ingenio proferentis pungentia. Unde dixi, *non sine acumine* dicterium id fuisse a Baldo

dicaret, retorsionis quasi loco ita com-

---

prolatum, scilicet non sine acumine *ingenii*, etsi, si serio ab ipso id prolatum fuisset, facile agnoscam ipse, omni *judicio*, adeoque multo magis acumine judicii id carere. Sed hactenus dicta ostendunt facile, nil minus intendisse Baldum vel Bartolum, quam ut mentem Ulpiani hic exponere voluerit. Unde poterat & Wissenbachius a censura Bartoli, & Feltmannus ab ejus defensione abstinere, cum utraque sit valde intempestiva. Sed Wissenbachium facilius excuso, partim quod occasionem joci ignoraverit, partim quod ipse videatur longior statura fuisse. Quod vero Feltmannum attinet, uti in omnibus ejus scriptis variam lectionem admiror, sed judicii defectum deploro, ita vel hic maxime in paucis verbis supra excerptis multiplicem judicii eclipsin videtur passus esse. Nam 1. etsi omnia, quæ de longorum hominum imprudentia ibi affert Feltmannus, vera essent, ineptissime tamen ea fuissent allata a Bartolo vel Baldo, ad seriam interpretationem dictorum ab Ulpiano, cum quilibet homo saltim sensu communi utens quovis pignore cer-

commentatus est JCti Romani verba, qui

certare paratus esse debeat, istam observationem nunquam Ulpiano venisse in mentem. 2. Valde est a vero absimile, vel Bartolum vel Baldum Catulli carmen, quo sententiam de imprudentia longorum probare voluit Feltmannus, multo minus commentarios variorum in Catullum inspexisse aut cognitos habuisse. 3. Si quis citatum Catulli carmen 68. & ejus contenta respiciat attentius, certissime sibi persuadebit, vel verba a Feltmanno inde adducta plane aliud quid in longo homine notare voluisse, vel certe nil minus ex illis, quam quod Feltmannus intendit, probari posse. 4. Unde falsum etiam est, quod Trajanus Boccalini respexerit veterum dicterium de stupiditate longorum hominum, sed potius omnes circumstantiæ in Boccalino docent, respexisse eum ad novius hoc dicterium vel Bartoli vel Baldi. 5. Verosimiliter Boccalinum non serio dictum illud exponere voluisse, sed pro more suo satyrice, cum forte & ipse fuerit brevioris staturæ, longiores homines parum amans. 6. Quod idem Feltmannus de græca significatione vo-

qui *latiſſimum* docuerat *eſſe jus di-*
centis

cis μέγας immiſcet, uti parum pertinenter ad locum Boccalini affertur, ita 7. Feltmannus locum ex græco autore debuiſſet notare, ubi id aſſereretur, aut certe Douzam allegare, cujus hic notam ad d. verſic. Catulli deſcripſit Feltmannus, qui hac parte quamvis nimis generaliter ad Ariſtophanem provocat. 8. Si quis iſtud *hodie*, quod Feltmannus annectit, cum præcedentibus conferat, quilibet putabit, eum ſenſum eſſe Feltmanni: Olim tempore Ariſtophanis, Catulli, Ulpiani, longos homines habitos fuiſſe pro blennis & inſulſis, at hodierno, id eſt, vel Bartoli, vel quo iſta ſcribebat Feltmannus, tempore, breves homines & puſillos haberi pro malis, ſed ſi quis ſtatim videat citari Juvenalem, non poterit ſatis obſtupeſcere, dum videt iſtud *nunc*, quod extat in verſu Juvenalis, a Feltmanno mutatum eſſe in *hodie.* Ut taceam, 9. non contrarium eſſe, ſi quis aſſerat, longos homines eſſe inſulſos, puſillos malos, prius enim defectum intellectus, poſterius voluntatis denotat; item 10. Juvenalem puſillos homines ibi non opponere longis hominibus ejus-

centis officium: Latissimum dixit, non

ejusdem seculi, sed, ut contextus ostendit, putat olim homines communiter longiore statura fuisse præditos, quam subsequentibus seculis &c. Quod rem ipsam attinet, si philosophice istam comparationem longiorum & breviorum hominum considerare velimus, paucis sic dicendum. Omnes homines stulti nascuntur, & fiunt demum multa cura & industria sapientes, neque ut citius aut tardius fiant, longitudo aut brevitas staturæ multum tribuit, sed singulæ conditiones humani generis sua commoda & incommoda habent, prout vel prudenter vel imprudenter quis iis utatur. Longiores homines communiter tardiore circulatione sanguinis præditi sunt, & non magna ingenii vivacitate pollent, sed sunt simul in rebus agendis & in veritate doctrinarum expendenda circumspectiores, & magis ab iracundia & præcipitantia alieni. Contra breves & iracundiores sunt, & magis præcipitantiæ præjudicio subjecti, quorum utrumque si caveant, magnos progressus faciunt in negotiis, ubi & vivacitate ingenii & promtitudine judicii maxime opus est. Igitur

non longissimum inquiebat Baldus, *quia*

---

si jocus Baldi alio joco esset repellendus; ego pro longis hominibus ipsi respondissem: verum esse; *Ulpianum dixisse jus dicentis officium esse latissimum non longissimum, quia longi homines raro sint sapientes, nec tamen etiam dixisse brevissimum, quia brevium hominum sapientia plerumque sit nasuta, non genuina.* Coronidis loco apponam ad illustrationem præcedentium locum ipsum Boccalini (ad quem respexit Felmannus) ex versione Germanica. Verwichenen Dienstag erschienen allhier für öffentlicher Audienz mehr als dreyhundert Gelehrte, welche allesamt um ein gutes grösser waren, als andere Menschen insgemein zu seyn pflegen, worüber sich dann Apollo und die sämtliche Musæ nicht wenig verwunderten, auch ein jeglicher unter ihnen leichtlich ermessen kunnte, es müste die extraordinari Versammlung so vieler grosser Gelehrter etwas sonderlichs auf sich haben, wie sich dann in der That befand. Denn der Ehrwürdige Herr Cinus, Auditor Rotæ in Parnasso brachte im Nahmen seiner gantzen Gesellschafft bey Ihrer Majestät an und vor, wie daß alle die tugendhafften, so Ihre Majestät da

Locus Boccalini parallelus.

quia longi homines raro sunt sapientes.

Quoties-

da gegenwärtig sähen, in allen Künsten und Wissenschafften dermassen erfahren, wie männiglichen bekannt, und Ihrer Majestät eigene Bibliothec solches genugsam bezeugete. Dessen allen aber ungeacht würden Sie doch von dem mehrern Theil der Gelehrten allhier verhönet und verspottet, ja gar für halbe Narren und ungeschickte Leute gehalten. Um welche unerträgliche Injurien willen sie genöthiget worden wären, es bey Ihrer Majestät anzubringen, und dieselbe um Hülffe und Rettung zu ersuchen. Solchem übel aber, daraus leichtlich grösser Unheil entstehen könnte, abzuhelffen, wollten diese grosse (lange) Gelehrte, daferne jedoch Ihrer Majestät solches für gut erkennen würden, hiermit die kleinere in freyen Feld herausgefordert haben, da Mann gegen Mann, zween gegen zween, oder wie es dem Gegentheil am besten gefallen würde, in allen freyen Künsten sich mit disputiren biß auf Verlust der reputation wacker gegen einander streiten, und herum wetzen sollten. Im Fall aber Ihre Majestät diese Probe für unnöthig und überflüßig, und diejenige, so

23. Inde orta divisio interpretationis in restrictivam & extensivam.

Quotiescunque igitur verba & ratio ut ita loquar, in legibus commensurantur, verba rationi sunt aptanda non ratio verbis, unde & divisio JCtorum oritur in Interpretationem extensivam & restrictivam, sub quibus commode declarativa

einer ungewöhnlichen grossen statur, für Gelehrte tugendsame Leuthe hielte, die sich beflissen, diejenige zu seyn, dafür man sie ansähe; so wolten Sie Ihre Majestät allerunterthänigst gebeten haben, die gemeine Regul: Homo longus raro sapiens, daß ein langer Mann selten gar gescheid sey, (daher alle dis Parlament entstanden,) für falsch und unwarhafftig zu erklären. Ihre Majestät höreten diese des Cini Klage mit sonderer Lust zu, gab Ihn drauff zur Antwort: Sie verspühreten, daß seine Gelehrte etwas übel und partheyisch von ihren Personen geredet hätten. Dieweilen aber die sentenz an sich selbst wahr wäre, könnte er dieselbe in keine Wege für falsch declariren. Es werde aber ein langer Mensch nicht (wie der gemeine Pöbel unverständiger Weise urtheilet) daher also genennet, welcher von ungewöhnlicher grosser Leibes-

rativa comprehendi potest, dum nimirum verba duplicem significatum habent, & laxiorem & angustiorem. Dicitur autem hæc ratio legi applicata æquitas, *aa*) quæ nihil aliud est, quam correctio sensus

Utriusque fundamentum æquitas.

des-statur sey, sondern welche in ihren actionibus und resolutionibus langsam und schläffrig procedirten. Denn die Langsamkeit in expedition wichtiger Geschäffte sey ein gewisses Merckzeichen grosser Ungeschicklichkeit, Tölpeley und Faulheit. Dieweil diejenige allein für kluge verständige Leuthe zu halten, welche sich geschwinde in alle Händel zu schicken, und Sachen von grosser importanz zu schlichten wüsten.

aa) Huberus oratione 8. p. 248. *In describenda æquitate quem tutius autorem sequemur, quam eum, quem ad intellectus humani finem pervenisse veteres crediderunt, Aristotelem, a quo definitur correctio juris scripti.* Et *p. 253. Judicis officium nullum expers æquitatis esse credendum est*, &c. *Hoc, inquam, agere oportet eum, qui jurisdictioni præest, ut æqui bonique notitiæ jungat accuratam verborum, quibus auctor legis usus est, explicationem, ut non modo*

Huberi loci paralleli de æquitate.

ſus grammatici verborum ex ratione Legis. Et quamvis fere de interpretatione reſtrictiva æquitas prædicari ſoleat, non tamen repugnat, quin & de extendente dicatur, cum & hæc verba legis per extenſionem emendet. Adde, quod jus ſtrictum, *bb)* quod & ſum-

externum eorum corticem, ſed vim ſententiamque habeat perſpectam, eaque ita circumſtantiis facti comparet, ut nihil inter partes ſtatuat, niſi quod legislatoris voluntati ſit conſentaneum.

bb) Rurſus eadem orat. 8. p. 250. *Non immerito jus illud æquitati, hoc eſt mitigationi legis oppoſitum jus ſtrictum rigidumque appellatur, imo non deeſt, qui hoc ſummum jus ſummam injuriam vocat. Sæpe fit, ut leges ambiguis, aut nimis, quod ſæpius accidit, generalibus conceptæ ſint verbis. Ejusmodi dicta præciſe adverſus omnes ſine diſcrimine rerum caſuumque urgere & exequi juris ſtricti fuerit, ſed expendere merita circumſtantiarum legesque factis ita applicare, ſicut ipſe legislator ſua verba, ſi adeſſet, interpretaturus videatur, id humanitatis & æquitatis eſſe dicitur. Agit hac de re Marcus Tullius in oratione pro Cæcina, ubi eos, qui*

summum jus dicitur, æquitati opponatur,

qui verbis & literis nituntur, summo jure contendere ait, iisque opponit, qui bono & æquo se defendunt, qui non ex callido versutoque jure res judicari oportere contendunt. Scriptum jus, *addit*, sequi calumniatoris est, boni judicis, voluntatem scriptoris utilitatemque defendere. *Placet inducere aliquot exempla, quibus utitur Tullius, ad rem declarandam. Edictum Prætoris de vi datur* dejectis. *Si proprietatem verbi consideramus, prodesse non potest, nisi his, qui præcipites de superiore loco acti sunt; at si mentem ac sententiam Prætoris expendimus, non est dubium, quin auxilium ejus omnibus*, quibus quoquo modo vis infertur, *comparatum sit.* Item actio proposita est in actorem præsentem, *ait* his verbis: *Quandoquidem te in jure conspicio:* Hac actione Appius ille *Cæcus* uti non posset, si tam vere homines verba consectarentur, quam rem, cujus gratia verba sunt, considerarent. *Pergit Cicero:* Testamento si recitatus hæres esset *pupillus*, isque jam annos *viginti* haberet, *secundum juris stricti interpretes* amitteret hæreditatem &c. Exempla ab Hubero ex Cicerone modo adducta simul declarant

natur, in vulgari dicto: Summum jus esse summam injuriam, seu iniquitatem. At jus strictum est, quod verborum tonum saltem sequitur, sive ex regulis æquitatis extendendorum ad casus similes, sive arctandorum, ita ut quidam casus sub verbis comprehensi a sensu legis excludantur.

24. Declaratio dictorum exemplo de prohibita frumenti exportatione. Res clarior fiet exemplo: Si caritas annonæ metuatur, sæpe Principes prudentes frumentorum venditiones sub pœna interdicere solent. Ergo finge legem in hæc verba conceptam: *Qui frumentum exportaverit, mulctam centum aureorum solvito.* Jam sunt qui exportarunt avenam, sunt qui exportarunt farinam, sunt denique qui exportarunt frumentum, sed in molendinum, ea intentione, ut farina inde confecta eam domum reportent. Hic si jus strictum & verba

clarant ea, quæ modo dixi, in verbis orationis præcedentibus, æquitatem non solum de restrictiva, sed etiam de extensiva interpretatione prædicari.

verba ſpectes, in primo caſu dubium erit an frumentum, quod ſæpe pro tritico ſaltem aut hordeo ſumitur, in laxiore ſignificatu hic ſit intelligendum, ut avenam ſub ſe comprehendat, in ſecundo caſu dicendum videbitur, farinàm exportantes non eſſe puniendos, quia farina non eſt frumentum; & in tertio, eos qui molendi cauſa frumentum exportarunt, tamen puniendos eſſe, quia ſufficit, quod exportaverint. At vero ſi rationem tanquam animam legis reſpicias, ea in primo caſu ſuppeditabit cauſam definiendi per interpretationem *declarativam*, avenæ etiam exportationem cenſeri prohibitivam, ſi & in ea metuatur caritas annonæ, in ſecundo per interpretationem *extenſivam* exportantes farinam æque puniendos eſſe, ſi non gravius, cum in fraudem legis id commiſerint, obſervatis ejus verbis violantes intentionem legislatoris, atque hos delinquentes ſimiles eſſe illis, qui prohibiti

biti exportare lanam, totos ovium greges exportaverunt. In tertio denique casu per interpretationem *restrictivam* eos a pœna absolvet, qui molendi causa exportaverant.

25. Respondetur ad dubium: æquitatem scriptam non esse spiritum, sed corpus.

Sentio vero aurem mihi vellicare nescio quos, qui mihi haud dubie sunt objecturi, istam doctrinam de ratione, anima jurisprudentiæ, & corpore ejus in verbis legum quærendo totam turbari & confusissimam reddi, si quis cogitet, rationem legis sæpe scribi, adeoque hoc intuitu rationem legis, quam simul diximus esse æquitatem, non esse animam, sed corpus Jurisprudentiæ, vel tum corpus & animum jurisprudentiæ, unum idemque esse, & sic totam nostram meditationem reddi inanem. Sed huic dubio non difficulter potest satisfieri. Initio enim non urgebo autoritates aliorum JCtorum, non dari æquitatem scriptam, *cc*) demon-

De controversia, an detur æqui-

cc) In hac sententia est Wissenbachius *Exerc. 2. ad Pand. thes. 12. p. 4.* "Video, inquit,

monstrantium. Est enim hæc controversia non nova. Deinde non inquiram in originem legum ratiocinantium & prologis utentium ac epilogis, quas Seneca jam suo tempore rebus ridiculis accensuit. *dd*) Sal-

quit, quosdam distinguere inter æ-„ quitatem scriptam & non scriptam.„ De illa accipiunt *l. 8. C. de judic.* de hac„ *l. 1. C. de LL.* Male nulla est æquitas„ scripta *l. in his 16 ff. de C. & D.* ubi ma-„ nifeste æquum & bonum a scripti juris„ ratione distinguitur· Æquitas nihil„ aliud est, quam jus, quod lex scripta„ prætermisit. Æquitas scripto compre-„ hensa nomen æquitatis amittit, juris„ vero & legis assumit. Diss. Mynsing.„ *6. obs. 63.* Equidem vulgo legitur *in*„ *d. l. 8. æquitatisque scriptæ.* Sed in vetu„ stis Codicibus vox: *scriptæ*, deest. An-„ ton. August. *4 emend. 8.* Duar. *2. disp.*„ *anniv. 18.* Connan. *1. Comm. 11.* Donell.„ *1. comm. 13. & 26 comm. 2.* Petr. Fab. *in l.*„ *90. ff. de Reg. J.* Bronch. *1. antin. 7.* Albert.„ Bolognet. *de leg. jur. & æquit. c. 33.*„

tas scripta locus Wissenbachii.

dd) Seneca *Epist.* quæ incipit: *Eam partem Philosophiæ* & in mea editione est *94.* p. m. 556. *Hic adjice, quod leges quoque*

Senecæ judicium de legibus ratiocinantibus.

Saltem id moneo, graviter errari communiter, dum rationes ſcriptæ habentur pro corpore jurisprudentiæ. Neque enim verba quævis ſunt corpus jurisprudentiæ, ſed verba legum. At ratio ſcripta non eſt lex, etſi pro lege habeatur. Lex enim eſt propoſitio practica, præſcribens hominibus, quid ſit agendum. Sed rationes legum ſæpe ſunt propoſitiones theoreticæ, v. g. quod uxor ſit domina dotis etiam conſtante matrimonio, *ee*) quod homo in fructu hominis eſſe non poſſit, quia hominis gratia fructus omnes ſint comparati, non homo fru-

quoque proficiunt ad bonos mores: utique ſi non tantum imperant, ſed docent. In hac re diſſentio a Poſſidonio. Non probo, quod Platonis legibus adjecta principia ſunt. Legem enim brevem eſſe oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emiſſa divinitis vox ſit. Jubeat, non diſputet. Nihil videtur mihi frigidius, mihi ineptius, quam lex cum prologo. Mone, dic, quid me velis feciſſe; non diſco, ſed pareo.

ee) *l. 30. C. de jure dot.*

fructuum causa, *ff*) & ita de cæteris. Sed voluit tamen, inquis, Princeps eo ipso dum rationem legi inseruit, eam simul promulgare, & sic vim legis ei dare. Quod vero Principi placuit, *gg*) legis habet vigorem. Imo vero, inquam ego, quod principi placuit, animo legis condendæ. At Princeps in legibus suis ratiocinans, Doctorem agit, non legislatorem, adeoque dum docendi animum habet, animo legis ferendæ caret. Sed & illud considerandum, non semper rationes veras in legibus poni, atque ita multas rationes in legibus positas haud quaquam pro veris esse habendas. Solent enim Principes quandoque prætextibus uti in legibus, uti communiter utuntur in declarationibus bellorum, & sic veras causas, quæ ad legumlationem impulerunt, occultare. Ut cum

ff) Tribon. §. *31. instit. de R. D.* Gaius *l. 28.* §. *1 de usur.* Ulpianus *l. 68. pr. de usufr.*

gg) §. *sed & quod. Inst. de J. N. G. & C.*

Justinianus in favorem Theodoræ adulteras æ pœna capitali eximit: *bb*) Solent ministri, quibus princeps

Genuina ratio cur Justinianus adulteras a pœna capitali liberaverit.

bb) Commentarii loco hic esse poterunt, quæ differit Huberus *Prælect. ad ff. tit. ad L. Jul. de adulter.* §. *3.* „De pœna, ait, adulterii, quæ fuit olim ex „lege Julia, & quæ est ex Jure novo, „quod satis est, diximus *ad instit. n. 6.* „nec plura post tot alios addere lubet, „nisi causam scire libeat, quamobrem „Justinianus *Novel. 134. c. 10.* mulieribus „pœnam capitalem remiserit, ejus loco „substitutis virgis ac claustro monasterii, „virosque omnino adhuc dum gladio „punire voluerit, contra rationem juris „antiqui, quod mulieres gravius delinquere statuit. Quin mulier spem, re„deundi ad virum, matrimoniique re„dintegrandi habet, si maritus amoris „adversus eam memor emolliatur; po„test enim cis biennium eam repetere, „quo non facto neglecta, vel morte viri „destituta perpetuam monosterii habet „mansionem *d. Nov. 134. c. 10.* Hanc di„stinctionem in Germania hodieque ser„vari testatur Carpzovius *d. qu. 53. n. 27.* „*ex constit. crim. Caroli V. art. 120.* rebus„que judicatis idem illustrat, virum & mu-

ceps in legumlatione utitur, ex ignorantia prudentiæ Legislatoriæ ratio-

mulierem adulterii convictos illum» quidem gladio feriri, hanc virgis cædi» & monasterii loco in perpetuum rele-» gari; nisi conjuges illis ignoverint, quo» casu matrimonium redintegratur ad» exempl. *d. Nov 134. c. 10.* ut tamen Ger-» mani utrosque tum solum vertere ju-» beant. Carpz. *qu. 53. n. 53.* Idem de» ratione probabili hujus differentiæ la-» borat, admodum frustra *n. 11, & seq.*» Nec potest, opinor, alia reddi, quam» quod vir satis in una τάνπαιδοποιὸν ἀδο-» νὰν, ut Jocasta loquitur *in Phœniss. Euri-» pid.* explere possit: mulier facile plu-» res exerceat, nec unius consuetudi-» ne tentationes carnis, pro sexus infir-» mitate, scilicet, evitare posse videatur.» Quæ ratio tamen Augustæ (*scenicæ o-» lim) Theodoræ*, quam satis constat, mi-» nime in hoc genere fuisse morosam,» quam Justiniano Cæsari adscribenda» videtur. Illa sane, quam hoc erat di-» gnior.» De vita & fatis Theodoræ vide summatim Procop. *Hist. Anecd. p. 33. seq. edit. Eichel.* Ad confirmandam Huberi sententiam, quod lex allata in gratiam vel instinctu Theodoræ scripta fuerit,

rationes falſas ac iniquas veris im-
miſcere, ut dum Tribonianus uxori dominium rei dotalis tribuit conſtante matrimonio, *ii*) dum inceſtuoſis

faciunt verba Procopii ex verſione Alemanni p. 86. vers. 254. *Connubiale jus totum penes ſe eſſe voluit* (Theodora) *Nullus ante nuptias ſponſus voluntarius; ſubito cuique conjux hæc erat, non quæ (ut vel barbaris uſu venit) cuique placeret, ſed quæ Theodoræ. Hæc & puellis erat ſubeunda fortuna, ut in matrimonium invitæ viros acciperent. Sæpe per vim ſponſa e thalamo abſtracta, matrimonio ſponſum exturbavit, ſe lubente id fieri irate negans.* &c.

Stulta aſſertio: uxorem eſſe dotis dominam.

ii) *d. l. 30.* (*C. de jure dot.*) Scilicet voluit Juſtinianus uxoribus in concurſu creditorum intuitu dotis dare privilegium, ut præferantur etiam illis, qui anteriorem hypothecam habent. Non diſputabo hic de æquitate vel iniquitate hujus conſtitutionis, quamvis multa poſſint afferri pro demonſtranda ejus iniquitate, facile colligenda ex autoribus citatis Philippo *ad deciſ. nov. Elect. deciſ. 5. obſ. 2.* unde & moribus noſtris tentata eſt in pluribus locis correctio hujus iniquitatis per reſtrictionem ad hypo-

ſtuoſis liberis ne quidem alimenta deberi aſſerit. *kk*) Solent denique & JCti, quorum reſponſa in Pandectis vim legum acceperunt, ex nævis prudentiæ judicialis rationes infirmas aliquando ſuppeditare, ut cum Ulpianus aſſertionis, quod partus ancillæ non pertineat ad u-

pothecas tacitas. Beyer *ad Pand. de privil credit.* §. *30.* Ponamus fuiſſe non iniquam, ſufficiebat ad legis efficaciam promulgatio voluntatis imperatoriæ, non opus ratiocinatione, imo, ut ſupra vidimus ex Seneca, non principibus ſed doctoribus convenit ratiocinatio. Ratiocinari tamen & præſidium rei ſtultæ dare voluit Tribonianus, ſed dedit æque ſtultum; dixit, uxorem eſſe dominam dotis marito datæ, quod & juri naturali *arg. §. 40. de R. D.* & apertæ juris civilis diſpoſitioni *pr. Inſt. quib. al. lic.* repugnat. Adde Wiſſenb. *ad d. l. 30. C. de jure dotium p. 142.* & quæ latius de hac re diſſerui in *diſſert. de rite form. ſtat. contr. circ. uſ. jur. Juſtin* §. *37. p. 82.*

kk) *Nov. 89. cap. ult.* Vide iterum, quæ ad explicationem hujus aſſerti dixi in modo citata diſſertatione *d.* §. *37. p. 83. ſeq.*

susfructuarium, sed ad proprietatis dominum, eam dat rationem, quod fructus omnes hominis causa sint comparati, adeoque homo in fructu hominis esse nequeat, *ll*) alibi videlicet meliorem substituens, quod ancillæ non ad pariendum, sed ad operas comparari soleant. *mm*)

Ergo

ll) *d. l. 68. pr. de usufr.* vide modo *notam ff.*

Explicatio genuinæ rationis, cur partus ancillæ non sit in fructu.

mm) *l. 27. de hered. petit.* Nam si hæc ratio esset, cur partus ancillæ non pertineat ad usufructuarium, quod homo non sit in fructu hominis, nec ad proprietarium pertineret partus ancillæ, sed liber fieret. Hic obiter nota: Doctores communiter hanc controversiam tractantes, imaginantur sibi, quasi hæc decisio causam domini ancillæ meliorem, usufructuarii deteriorem reddat. Ego contra puto per hanc dispositionem meliorem fieri causam usufructuarii, deteriorem domini. Nam & in eo ingens est differentia fructuum reliquorum & partus ancillæ. Reliquos fructus vel statim, si lubet, vendimus aut consumimus ipsi. Servos natos nec consumere

Ergo firma manet assertio nostra, legem & rationem conjungi debere a JCto genuino. *nn*) Non debet verba

25. *Officium JCti intuitu verborum legis & ejus rationis.*

mere aut comedere solemus, nec vendere, quis enim emeret servum infantem tempore infantiæ nullum commodum ipsi præstantem. Ergo onus domini est, quod ipse debeat partui ancillæ nato alimenta præstare, cum tamen ipse nullum usum ei præbeat, & hæc videtur intelligere voluisse Ulpianus *d. l. 27.* nimirum, eum, qui alteri usumfructum reliquerit, intendisse, ut ad tempus ipsi benefaceret, per constitutionem ususfructus, at nequaquam beneficium, sed onus esse, acquirere partum ancillæ, nullum commodum præstantem. Vaccas enim v. g. & reliqua etiam animalia sexus fœminini comparari etiam eum in finem, ut pariant, quia fœtus hi statim a primo momento varias utilitates præstent, sed aliam rationem esse ancillarum, quæ nequaquam eum in finem emerentur, ut pariant, sed ut operas præstent.

nn) Eadem est sententia Huberi *in d. orat. 8. p. 260. Credo*, inquit, *me vobis haud difficulter approbaturum, æquitatem, sive judicium corrigendi leges, nihil aliud esse,*

Consensus Huberi de jungenda ratione & lege.

verba legum negligere, quia sæpe sunt indices rationis, non debet rationes legum ignorare, quia in iis anima Jurisprudentiæ consistit. Cum autem rationes legum sine notitia occasionis, occasio sine notitia status, omnia ista sine notitia & scientia doctrinæ moralis, & juris naturæ percipi nequeant, inde negari nequit, ad ideam boni & perfecti JCti Germanici *oo*) requiri fundamenti loco

esse, quam rationem cum lege conjunctam. Nam sive princeps aut senatus, qui jura principis exercet, arbitraturi sint, utrum leges ob asperitatem in certis casibus emendandæ, an, ut scriptæ, ita exequendæ sint; sive judices verba legis cum probabili mente sententiaque legislatoris secundum merita causarum comparare velint, manifestum est, utroque casu, tam libro opus esse, id est, accurato examine verborum legis, quam ratione sive ingenio judicioque veri a falso, æqui ab iniquo, liciti ab illicito separandi &c.

Illustratio dictorum de idea boni JCti.

oo) Commentarii loco hic esse poterunt, quæ in disput. *de charactere Medici ad emend. processum adhibendi* prolixe disserui *a* §. *4. ad* §. *17.* quod scilicet bonus JCtus debeat pollere judicio naturali, tem-

loco doctrinam moralem & studium historicum non solum Antiquitatum Romanarum, sed & Græcarum, omnium maxime vero Germanicarum, & nequaquam bene sibi consulere, qui sine hac debita præparatione irrumpunt, in penetralia Jurisprudentiæ, nubem videlicet amplectentes pro Junone, id est pro vera larvatam Jurisprudentiam, & quæ titulum Jurispru-

temperamenti lætioris esse, sed nemini nocentis, provectæ ætatis & experientiæ, quod callere debeat doctrinam inveniendæ veritatis & interpretandi, item Philosophiam genuinam moralem, principia communia prudentiæ consultatoriæ, & civilis seu Politicæ; Historiam item civilem & Ecclesiasticam; præcipue historiam scholarum & Academiarum, historiam judiciorum seu processus judiciarii; historiam odii inter Professores Juris & Scabinos in Germania, & in specie in Saxonia; porro fundamenta genuina juris naturæ & gentium, jus Justinianeum & Canonicum, & ut intuitu utriusque sit affectu vacuus, denique jus publicum Imperii Germanici.

dentiæ nequaquam meretur. Cum vero JCti perfecti forte æque rarum sit exemplum atque sapientis Stoici, *pp)* inde dignum foret, ut non solum

Differentia inter JCtū perfectum & sapientem Stoicum. Varia notabilia de hoc ultimo.

pp) Sapiens Stoicus Deum antecedit (Senec. *tom. 1. edit. Amstelod. 1519. in oct. p. 368.)* Deos æquat (*p. 547.*) similis Deo est, excepta mortalitate (*tom. 2. p. 351.)* etiam in Phalaridis tauro perustus exclamabit: dulce est, (*Tom. 1. p. 404.*) externa incommoda sentit, nulla interna (*p. 431. seq.*) incurvari & succumbere non potest, (*p. 428.*) miser fieri nequit, (*p. 546.*) nec liberorum nec amicorum amissione affligitur, (*p. 441.* nihil cupit, (*p. 172. seq.*) non est dolorum expers, (*p. 428. 494.*) non ignoscet nec veniam dabit, (*tom. 2. p. 255. seq.* non miserebitur, sed succurret & proderit, (*p. 256. seq.*) non se indignum ullis fortunæ muneribus putat, (*p. 280. s.*) non timet, (*t. 1. p. 393.*) nulla injuria vel contumelia affici potest (*t. 1. p. 47. t. 2. p. 340. s.)* nulla re indiget & tamen multis illi opus est, (*t. 1. p. 221.)* nunquam commovetur, (*p. 296.* omnibus affectibus vacuus est, (*p. 490.)* solus scit referre gratiam, & beneficium dare, (*p. 471.*) surdum se amantissimis præstare debet,

lum studiosi, sed & doctores juris per-

debet, (*p.* 287.) tremet, dolebit, expallescet. (*p.*429.) In ordinem & certas propositiones redegit Lipsius paradoxa Stoicorum de sapiente, & singula variis testimoniis corroboravit *Manud. ad Philos. Stoic. lib.* 3. *diss.* 3. *seq.* nimirum sapientes omnes pares esse; sapientem sibi parem, & in gaudio semper esse, vel in tormentis beatum esse, esse apathem & imperturbabilem; eum non opinari, non ignorare, non fallere, non mentiri, nihil ei præter opinionem evenire; eum sibi sufficere, se solo contentum esse; omnia sapientis esse, & solum esse divitem, solum sapientem, liberum, cæteros omnes servos censeri; solum sapientem regem esse; sapientem esse Deo parem; sapientem omnia recte facere, etiam digitum exerendo; sine peccato esse; sapientes solos inter se amicos, solos amare gnaros; solum sapientem pulcrum, nobilem, civem, magistratum, vatem, Rhetorem, & plura esse; eum non injuria, non insania, non ebrietate affici; non ignoscere, non misereri &c. Idem Lipsius *d. manud. lib.* 2. *diss.* 8. disquirit, an Stoicorum sapiens detur, & recte respon-

perpetuo aurea Celsi verba, rem quam

spondet, non dari, consentiente Plutarcho & Cicerone, etsi Seneca *Epistola 42.* voluerit saltem raritatem existentiæ defendere, ubi asserit, sapientem illum excellentem Stoicorum *fortasse tanquam Phœnicem semel anno quingentesimo nasci* & alibi *de constant. sapient.* fortius asserat, *non esse, quod dicas, hunc sapientem* Stoicum *nusquam inveniri; non fingi istud humani ingenii vanum decus, nec ingentem imaginem falsæ rei concipi, sed qualem conforment, exhibuerint, & exhibituri sint* (Stoici.) *Raro forsitan magnisque ætatum intervallis inveniri; neque enim magna & excedentia solitum ac vulgarem modum crebro gigni; cæterum se vereri, ne M. Cato supra* Stoicorum *exemplar sit.* Verum si nullum alium, quam Catonem allegare potuit Seneca, facile ostendi posset, si ratio instituti id pateretur, nil minus fuisse Catonem, quam sapientem mediæ classis, tantum abest, ut summæ. Scilicet illa paradoxa Stoicorum de characteribus sui sapientis vel nudas & nugaces logomachias, vel inanes phantasias involvunt, adeoque nullius usus sunt, quicquid etiam hic dicat dissentiens Lipsius *d. diss.* 8. *lib.* 2. *in fin.*

quam hactenus docuimus brevissime comprehendentia, haberent ante oculos: *Scire leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim & potestatem.* qq)

SECTIO III.

Jurisprudentiæ falsæ tres species: Prima, Jurisprudentia cadaverosa.

SUMMARIA.

XXVII. *Jurisprudentia falsa quænam. Ejus prima species, cadaverosa.* rr) *Hujus filiæ duæ, Legulejistica & Rabulistica.* ss) XXIIX. *Juris-*

rr) *Huberi sententia de Jurisprudentia cadaverosa.*

ss) *Rabulæ & Leguleji apud Ciceronem. Quomodo differant. Erasmi Judicium de Legulejis.*

pru-

---

fin. Alia vero est ratio perfecti JCti: quæ enim recensuimus ejusdem requisita, rara quidem sunt, sed non impossibilia aut inania. *Conf. dict. disp. de Charact. medici &c. §. 18.* Hinc etiam dixi in oratione: *FORTE æque rarum esse exemplum JCti perfecti, ac sapientis Stoici.*

qq) *l. 17. ff. de LL.*

prudentiæ cadaverosæ origo. An a primis Glossatoribus? Negatur. Neque enim cadaverosa jurisprudentia est, verba legum tenere, sed ea sola tenere. tt) XXIX. *Primorum Glossatorum præstantia præ hodiernis. Hodiernorum supina negligentia.* XXX. *Origo vera jurisprudentiæ cadaverosæ debetur Clero Papali, credulitatem cœcam commendanti & rationes supprimenti.* XXXI. *Qua ratione hoc malo fere ubiqve Jurisprudentia infecta fuerit.* uu) XXXII. *Larva hujus jurisprudentiæ, (quod scilicet JCtus non debeat sine lege loqui, ei detracta.* ww) xx) XXXIII. *Altera causa*

tt) *De nævis Glossatorum & Humanistarum.*

uu) *Leges digerere, vel deglutire.*

ww) *Varia de brocardico: Erubescere JCtum, si sine lege loquatur. Ludovici Vivis locus de cadaverosa jurisprudentia sola memoria leges complectente, leges legibus cumulante, & quidem Romanas, præterea negligente scientiam æquitatis. Quid sit sine lege loqui. Differentia inter JCtos & Juris elenchos. Allegationes legum sine Judicio & pudore. Inepta allegatio argumen-*

gumentorum ex legibus, exemplo Accursii & aliorum Glossatorum. Impertinens doctrina de casibus rarissimis singularibus.

xx) *Exempla ineptarum allegationum.*

Jurisprudentiæ cadaverosæ neglectus juris naturæ & prudentiæ civilis. yy)

yy) *Causæ hodie exosi studii juris naturæ & genuinæ Politices.*

XXXIV. *Apud nos jurisprudentia cadaverosa non regnat.*

ATque hæc de vera Jurisprudentia pro ratione instituti sufficiant. Falsam non sensibilius depingi posse arbitramur, quam si mentis oculos iterum referamus ad partes jurisprudentiæ. Corpus sine anima, & anima sine corpore, hominis nomen non merentur, ita nec lex sine ratione, nec ratio sine lege nomen Jurisprudentiæ. Corpus humanum anima privatum cadaver est, non homo; Verba legum scire sine vi & potestate earum jurisprudentiæ cadaver est, rr) non san-

27. Jurisdentia falsa quænam.

Ejus prima species, cadaverosa;

rr) Deprehendi postea, cum notas ad Huberum de jure civitatis scriberem, easdem

Huberi sententia de Jurispru-

ſancta illa Themis, cujus ſacerdotes ſunt JCti. Atque hæc cadaveroſa jurisprudentia duabus gaudet filiabus, Legulejiſtica & Rabuliſtica. Leguleios voco, qui rationes legum ignorant, verba tamen ſciunt egregie, Rabulas qui nec verba ſciunt, nec rationes, ſed confuſiſſimam legum ideam habent. Quamvis etiam non ſim interceſſurus, ſi Legulejos dicere malis verba legum torquere ex ignorantia rationum, Rabu-

Hujus filiæ duæ, Legulejiſtica & Rabuliſtica.

---

dentia cadaverosa. eaſdem prope cogitationes mecum de Jurisprudentia cadaveroſa habuiſſe. Ita enim *lib. 3. ſect. 1. cap. 2. n. 22. p. 558. Quid ſibi vult igitur, dicat aliquis, rationem eſſe animam legis? Æſtimatione juris naturalis & gentium valeat regula, valeat ſenſu quoque civili. Sed tum ratio intelligitur, quæ legis autori placuit, non quam ratiocinator excogitet. Illa plerumque recta, tametſi non omnium optima ſemper. Eſt equidem anima legis, & verba ſunt corpus, quæ a ratione, qua motus eſt legis autor, animantur, & juxta placidum ſummæ poteſtatis effectus ſuos exercent, ut ubi ratio illa ceſſat, verba veluti CADAVEROSA vim obligandi non habeant.*

Rabulas ex affectu & malitia, aut Legulejos in cathedra, rabulas in foro quæras. *ss*)

Hujus

ss) Utriusque artis & Legulejisticæ & Rabulisticæ mentionem facit Cicero *in libro 1. de oratore* ubi initio, dum de charactere genuino oratoris agit, inter alia (*cap. 46.*) sic loquitur: *Non causidicum nescio quem, neque proclamatorem aut RABULAM hoc sermone nostro conquirimus, sed eum virum, qui primum sit ejus artis antistes* &c. Porro, ubi ideam perfecti JCti proponere vult, & de differentia & convenientia inter jurisprudentiam & oratoriam tractat, adversus Crassum sic disputat (*cap. 55.*) *Vide Crasse, ne, dum novo & alieno ornatu velis ornare juris civilis scientiam, suo quoque eam concesso & tradito spolies atque denudes. Nam si ita diceres, qui jureconsultus esset, esse eum oratorem, itemque qui esset orator, juris eundem esse consultum, præclaras tuas artes constitueres, atque inter se pares & ejusdem socias dignitatis, nunc vero jurisconsultum sine hac eloquentia, de qua quærimus, fateris esse posse, fuisseque plurimos: oratorem negas, nisi illam scientiam assumserit, esse posse. Ita & tibi jureconsultus ipse per se nihil, nisi LEGULEJUS quidam cautus & acutus,*

Rabulæ & Leguleji apud Ciceronem. Quomodo differant?

28. Jurisprudentiæ cadaverosæ origo.

Hujus mali sane & hodienum frequentissimi valde prodesset scire primam originem, ut eo melius de illius

---

præco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum. Sed quia sæpe utitur orator subsidio juris in causis, idcirco istam juris scientiam eloquentiæ tanquam ancillulam pedissequamque adjunxisti. Rabulæ hodierno usu fere unanimiter vocantur Advocati latratores, justitiam ejusque administrationem studio protrahentes & corrumpentes, quos in certas classes distinxit & vivis coloribus depinxit Ammianus Marcellinus *lib. 30. p. m. 448 seq.* & pleno tractatu *de arte Rabulistica* horum criteria exposuit Zieglerus, cujus synopsin dedi *in notis ad Lancelott. lib. 3. not. 148. p. 1351. seq.* Utinam & artis legulejisticæ effigiem simili industria quis depingeret, præprimis cum locus Ciceronis descriptus non ita perspicue indicet, quid per legulejum intelligat. Unde etiam Lexicographi hic hæsitant. Ita v. g Thesaurus Fabri Buchnerianus non solum Rabulam reddidit einen Zungendrescher, sed & rationem denominationis dedit, quod rabida contentione radat, seu ut Quintilianus dicat, nimia verbositate feriat aures, at quid ex legu-

illius remediis cogitare possent, ad quos

legulejo faciat, nescit. Modo enim Legulejum explicat esse eum, qui legum studia sectetur, einen Vorsprach, einen, der in Rechten studiret, procuratorem, & ad ipsum Ciceronis locum modo descriptum provocat, quasi hanc differentiam inter JCtum & Legulejum ipse suppeditet, modo pro Synonymo rabulæ utitur, dum (sub voce rabula) dicit: *Senecam & Ammianum rabulas sive legulejos canibus comparasse* &c. Facit etiam Erasmus *in encomio Moriæ* mentionem Legulejorum *p. m. 83.* eorumque stultitiam cum stultitia aliorum eruditorum comparat. *Quamquam inter has ipsas disciplinas hæ potissimum in pretio sunt, quæ ad sensum communem, hoc est ad stultitiam, quam proxime accedunt. Esuriunt* Theologi, *frigent* Physici, *ridentur* Astrologi, *negliguntur* Dialectici. *Solus* Medicus *vir multis æquivalens aliis. Atque in hoc ipso genere, quo quisque indoctior, audacior, incogitantiorque, hoc pluris fit, etiam apud torquatos istos principes. Atqui medicina, præsertim ut nunc a compluribus exercetur, nihil est quam assentationis particula, non minus profecto quam Rhetorica.*

Erasmi judicium de Legulejis.

An a primis glossatoribus? quos ea res pertinet. Sunt qui originem deducant a primis doctoribus Italicis, commentarios breves in cor-

---

Secundum hos proximus datur locus Legulejis, *& haud scio, an primus, quorum professionem, ne quid ipsa pronunciem, velut asininam Philosophiam magno consensu ridere solent. Sed tamen horum asinorum arbitrio maxima, minimaque negotia transiguntur. His latifundia crescunt, cum* Theologus *interim excussis totius divinitatis scriniis lupinum arrodit, cum cimicibus ac pediculis assidue bellum gerens* &c. Et iterum p. 149. *Quanquam docti quoque interim, dum hæc magna cum animi voluptate rident, & aliena fruuntur insania, non paulum mihi debent & ipsi. Quod inficiari non possunt, nisi sint omnium ingratissimi. Inter eruditos* Jure Consulti *vel primum sibi vindicant locum, neque quisquam alius æque sibi placet, dum sisyphi saxum assidue volvunt, ac sexcentas leges eodem spiritu contexunt, nihil refert, quam ad rem pertinentes, dumque glossematis glossemata, opiniones opinionibus cumulantes, efficiunt, ut studium illud omnium difficillimum esse videatur. Quicquid enim laboriosum, illud protinus & præclarum existimant.*

corpus juris ſcribentibus. *tt*) De his enim notum eſt, quod ita corpus juris totum memoriæ impresſerint, ut nec librorum aut titulorum numeros nec legum ipſarum citare fuerint ſoliti, ſed ſolum rubricas titulorum & verba initialia legum allegaverint. Sed falluntur, *Negatur.* qui viris optimis, & de jurisprudentia melius meritis, quam ſit hodie, iſta mala imputant. Jurisprudentia cadaveroſa non in eo con-

 ſiſtit

tt) Notum eſt odium, quod Gloſſatoribus cum Humaniſtis olim interceſſit. Humaniſtæ Gloſſatores accuſabant eſſe Legulejos, contra Gloſſatorum defenſores Humaniſtis hoc vitium imputabant. Si dicendum, quod res eſt, & Gloſſatores & Humaniſtæ laborabant nævis genuino JCto vitandis. Latius hæc expoſui *in notis ad Melch. ab Oſſa Teſtam. not. 182. 183. p. 398. ſeq. item not. 187. 188. p. 407. ſeq.* Et quæ Gloſſatoribus opponi jure poterant, (quæ ſummatim expoſui *in delin. hiſtoriæ jur. Rom. German. § 155. 156. p. 59 ſeq.*) magis erant vitia ſeculi, quam ſingulorum, ut latius hoc loco id declaro.

De nævis Gloſſatorum & Humaniſtarum.

Neque enim cadaverosa Jurisprudentia est, verba legum tenere, sed sola tenere. sistit, quod qvis verba legum memoria teneat, sed quod sola teneat, & rationem legis ignoret. Est singulare ornamentum omnis eruditi, excellenti memoria esse præditum, est singulare diligentiæ signum, verba legum & numeros tenere memoria. Et tantum abest, ut vel calumniari velimus Viros undiquaque famigeratissimos, qui felicitate memoriæ hac in parte fuere præditi, & adhuc excellunt, vel iis invidere; ut potius propriam deploremus memoriæ imbecillitatem, & imo propriam fateamur negligentiam, quod de verbis legum memoria imprimendis non adeo fuerimus solliciti, quam de mente earum judicio concipiendis.

29. Primorum Glossatorum præstantia præ hodiernis. Primi Glossatores, (ut ad eos redeam) non solum dabant operam, ut memoria tenerent leges, sed & ipsæ glossæ testantur, etiam dedisse operam sedulo ac diligenter, ut & eas intelligerent. Si enim fateri volumus, quod res est, non habemus diligentiores commentarios,

in

in pandectas, & Codicem, imo in totum corpus Juris Justinianeum, quam glossatorum illorum. Quodsi sæpius aberrarunt a ratione legis, quod diffiteri nolumus, vitium hoc non ipsorum erat, sed seculi, in quo docebant. Latebant eo tempore historiarum & antiquitatum thesauri; captivi tenebantur, & numellis quasi alligati in monasteriis. At nunc thesauri illi, in quibus abscondita est anima jurisprudentiæ, ubique præstant, & tamen paucissimi rationes legum callent. Sunt ubique venales libri, qui Antiquitates Græcas & Romanas & Historiam utramque elegantissime exponunt: laborarunt maxima ingenia & adhuc laborant in eruendis antiquitatibus Historiæ Ecclesiasticæ, ex quibus ratio Juris canonici petenda est: Occupati sunt JCti famigeratissimi, etsi pauci, in explicandis antiquitatibus Germanicis, sine quibus non solum recessus Imperii, sed & rationes plerarumque, si non omnium, rerum in Germania judicatarum

Hodiernorum supina negligentia.

rum & judicandarum intelligi nequeunt. Et tamen ex illis, qui illuſtre JCtorum nomen vel ambiunt, vel etiam ſive bona ſive mala fide poſſident, valde pauci ſunt, qui vel mediocrem antiquitatum Græcarum & Romanarum ſibi compararunt notitiam, pauciores, qui hiſtoriæ Eccleſiaſticæ dant operam; Pauciſſimi, qui vel ſaltem putent, JCto neceſſariam eſſe aut utilem ſcientiam morum patriorum, tantum abeſt, ut ipſimet illarum experientia, quæ alicujus ſit momenti, polleant.

30. Origo veræ jurisprudentiæ cadaveroſæ debetur Clero Papali, credulitatem cæcam commendanti, Igitur alia mali hujus origo eſt quærenda, quam prava exempla Gloſſatorum. Si me non fallant omnia, prava exempla facultatis Theologicæ in Papatu, & defectus Facultatis philoſophicæ, quibus hæc ante reformationem laborabat infecerunt JCtos. Pertinet ad arcana Politica Cleri Papalis, ut uſus rationis arctis coerceatur limitibus, & ut laici ita dependeant a Cleri autoritate, ut credulitas habeatur pro fide

fide salvifica seu virtute omnium maxima. Hinc a tenera juventute adsuefiunt laici, ut memoria teneant catechismos suos, & oratiunculas, etsi eas non magis intelligant, quam moniales Psalmos latinos. Ergo is demum bonus Theologus apud illos olim erat, qui memoria tenebat dicta sacrarum literarum & decreta conciliorum, etsi nihil de sensu eorum & mente perciperet; contra, qui secundum rationis rectæ regulas asserta sæpe absurdissima Theologiæ Scholasticæ papalis & eorum, quæ per concilia erant definita, volebat examinare, ille non pro Theologo, sed pro novatore, hæretico, aut atheo habebatur.

& rationem supprimenti.

Postquam vero hoc veneno infecta esset Facultas Theologica in Papatu, facile idem serpsit ad Juridicam, tanquam dignitate & gradu proximam, ut videlicet, & JCti illi haberentur pro excellentissimis & maxime celebribus, qui leges memoria tenerent, & ad omnia

31. Qua ratione malo hoc infecta fuerit Jurisprudentia fere ubique.

verba ex legibus desumta possent locum, ubi talia verba extarent, allegare, etsi de ratione & sensu legum nihil intelligerent, aut etsi ea verba, quorum causa allegarentur leges, essent effata communis rationis, quibus etiam rustici & stupidi assurgunt, ut adeo nulla legum allegatione in iis fuisset opus. Uti contra pro corruptoribus Jurisprudentiæ, & quasi hæreticis Juridicis fuere ab illis temporibus traducti, & perpetuo diffamati, quasi grillos saltem & inutilia docerent, aut mere theoretica, nullum usum in praxi habitura, qui animam legis urgerent jungendam esse corpori. Hoc modo igitur JCti inceperunt leges ope memoriæ deglutire non vero amplius ope judicii digerere. *uu*)

32. Larva hujus Jurisprudentiæ. Porro quemadmodum Theologi in Papatu dicta sacræ scripturæ torquebant,

Leges digerere vel deglutire.

uu) Sic & apud Huberum *Auspic. dom. orat. 9. p. 288.* legitur. *Hoc agite, ut leges in Academia non DEGLUTIATIS, quod hi faciunt, qui tantum eas memoriæ mandant, sed easdem ratione, judicioque DIGERATIS.*

quebant, ut illam suppressionem rectæ rationis & credulitatis cœcæ necessitatem ac utilitatem commendarent, potissimum illud urgentes, rationem captivandam esse sub mysterio fidei, ita & JCti pariter torquebant dicta legum (sanum utique sensum admittentia, si bene explices,) ad persuadendam & commendandam unice verborum legis commemorationem memoriæ firmiter impressam, quale est illud, non convenire JCto, ut sine lege loquatur. *ww)* Cum enim is sit ejus dicti

tia, (quod scilicet JCtus non debeat sine lege loqui,) ei detracta.

ww) Duæ disputationes juridicæ communiter notæ sunt. Una Jenæ habita sub præsidio Adriani Beieri, sub titulo *speciminis hermeneutici occasione brocardici: Erubescit JCtus sine lege loqui ex N. 118. cap. 5. desumti*, altera Marpurgi sub præsidio Holtermanni 1680. cui titulus: Verkehrter Jurist, *seu sine lege monstrosus JCtus.* Quamvis utriusque videatur diversus scopus. Beierus enim videtur operam dedisse, ut genuinum usum & explicationem hujus dicterii genuinam proponeret, quamvis si quis pauca, quæ hic

Varia de brocardico, erubescere JCtum, si sine lege loquatur.

dicti sensus genuinus, JCtum debere

---

hic in oratione de genuino sensu duobus verbis diximus, cum prolixa Beieri dissertatione conferat, Beierus prolixitate sua rem magis obscurasse, quam illustrasse videatur. Sed excusandus tamen est, quod tempore, quo scribebat, ejusmodi obscuritatum frequentissimus usus esset. Holtermannus vero, uti alia ab ipso publicata scripta (potissimum dissertatio contra Advocatos) satis declarant, eum ad primarios sui temporis Legulejos referendum esse, ita & hæc dissertatio legulejisticam ejus artem tantum non in singulis paginis ostendat, & monstrat, Holtermannum nugas istas ex invidia erga Grotium & illos Professores scripsisse, qui isto tempore commendatione juris naturæ, ejusque, præeunte Grotio, explicatione Legulejisticam artem a vera Jurisprudentia distinguere, & distinctionis hujus notas nimis sensibiles dare incipiebant. Cæterum de hoc ipso brocardico notandum, quod etsi Leguleji, qui isto abutuntur, velint, nullam sententiam a JCto esse proferendam, quæ non verbis legis alicujus corroboretur, tamen hoc ipsum brocardicum non extet in ulla

re intelligere vim & potestatem le-

ulla lege, sed ex *Nov. 118 c. 5.* per torturam verborum fuerit confectum, cum Imperator ibi nihil aliud dicat, quam quod *erubescat*, concubinarios liberos ad successionem ab intestato admittere, quia hoc *cum lege agere non* possit. Deinde, ut idem Beierus *cap. 1. §. 3. seq.* & Holtermannus *§. 17.* notarunt, JCti ab ipsis allegati, qui occasione dictæ Novellæ brocardicum illud primi excogitarunt, variis modis id circumscribunt. Modo enim propius ad verba dictæ Novellæ accedentes dicunt: *Erubescere JCtum sine lege loqui*; modo alii, potissimum recentiores: *Quod lege non cavetur, in practica non habetur*; alii: *quod lex non cantat, nec nos cantare debemus*: alii: *Lege non distinguente, nec nostrum est distinguere.* Antequam huc abeam, non ingratum fore credo Lectori, si adjiciam insignem locum Ludovici Vivis, non solum ea, quæ hic de illo brocardico dixi, sed & reliqua, quæ de cadaverosa jurisprudentia annotavi, valde illustrantem. *Nunc vero,* ait lib. 7. de caus. corrupt. art. p. 369. seq. *quid causa dicimus esse, quod multi simul sint imprudentissimi, & juris peritissimi, & quod mirere magis, stultissimi*

Ludovici Vivis locus de cadaverosa Jurisprudentia,

legum, & nihil proferre, quod legi-

tissimi etiam existimantur ab iis ipsis, a quibus & juris callentissimi? Videlicet facile est homini, quamlibet tardo & ignaro rerum omnium, memoriter leges illas cômplecti, & tanquam indicem, ubi quicquam habeatur, ostendere. Nam ego hos homines, qui leges alias super aliis accumulant, nulla addita ratione æquitatis, quæ ex ingenio & multarum rerum experimentis excuditur, non Jurisconsultos *soleo appellare, sed* Elenchos *aut indices legum. Miselli quid faciant, ubi nullius est legum Romanarum usus, ut apud Turcas, apud Christianos etiam fere omnes, in quibus unaquæque gens, alios mores sibi observavit, secundum quos viveret; alia leges invenit commodiores, quam essent Romanæ illæ. Nec injuria. Quippe quæ Romanis olim congruebant non omnibus jam congruunt; mutata est ratio vivendi, status rerum mutatus. Dialecticus ubique est Dialecticus; Medicus ubique est Medicus; Philosophus ubique est Philosophus; Peritus æquitatis ubique est peritus æquitatis: multum omni loco apud omne hominum genus pollet ac potest. Isti Jurisconsulti non ubique sunt Jurisconsulti, imo jam pene nusquam.* (O felicia Ludovici Vivis tempora præ nostris!) *Triplex quadruplexque est iis discendum jus civile, prout*

sola memoria leges complectente,

leges legibus cumulante,

& quidem Romanas,

præterea negligente

legibus repugnet, inceptum est illum

prout mutant locum, pro quibus omnibus una æquitatis scientia sufficeret, addita levi cognitione consuetudinum & morum ejus populi, in quo viverent. Acutius tum responderent de jure, & melius atque incorruptius. Jam quomodo citant has leges? non aliter utique, quam indices. Veteres illi antistites æquitatis adducebant quidem interdum placitum aliquod majorum suorum, qui scientia juris valuissent; sed raro, sed leviter: & ratione magis acquiescebant, quam alterius sententia atque opinione. Leges vero multo rarius: nam de illis constabat, de interpretatione vero erat quæstio. Isti nullum faciunt finem, leges alias super alias congerendi, quod est plures leges tenere, non plures intelligere: Et subinde occinunt nobis illud: Erubescimus, sine lege loqui. Quid est, sine lege loqui? Si absque citatione capitis alicujus legis, quid potest dici imperitius, quid ineptius, quam non esse sine ejusmodi loquendum lege. Sin vero, quod magis puto, sine lege, est sine ratione ac modo, erubescant, qui sine ratione & modo semper loquuntur, & sine lege suas leges semper profundunt, quod est utique ostentatio magis memoriæ, quam legum & juris explanatio. Dixi vobis, elenchos esse istos juris, non con-

scientiam æquitatis.

Quid sit, sine lege loqui.

Differentia inter JCtos

illum sensum dicto affingere, ac

& juris elenchos.

consultos. *Ceu vero sit puer aliquis, vel muliercula tam rudis, qui, si leges edidicerit, non possit, ubi de hoc aut de illo negotio aliquid legerit, dicere, & multas leges coacervare: duntaxat quomodo isti leges ad negotia applicant: in quo non parum & imperitiæ & torporis sui partem produnt. Nam non legerunt leges ipsas, sed Epitomas quasdam & summaria, quas vocant* rubricas, *atque utinam eas omnes.* Rubricæ *autem colligunt sæpe priorem legis partem, posteriorem relinquunt.*

Allegationes legum sine judicio

Illi ex rubrica *citant legem, cujus prior pars utcunque videtur pro iis facere, posterior est omnino contraria: ita ut suomet ipsi gladio crebro se jugulent. Alii proponunt longum sermonem, ex decem aut duodecim sententiis conflatum, in fine vero adjiciunt:* & ad hoc faciunt illa & illa lex, *cum ea tantum ad ultimam sententiam & quidem leviter faciant, in qua tamen sententia non erat cardo negotii. Alii, quum dicunt longam aliquam sententiam, legem afferunt, in qua sunt duo vel tria vel postrema verba illius sententiæ.*

& pudore.

Sunt, qui etiam omnino falso citent, & alias super alias impudenter & confidenter: Nam adeo multas simul aggerunt, ut nemo sit tam ferreus & patiens, qui eas sigillatim sustineat excutere. Ac quod male ab uno citatum est, *fide*

ac si JCtus deberet saltem verba legum

---

fide illius citatur ab aliis pluribus pejus. Neque vero in colligendis ex legibus argumentis sunt feliciores, sive ex ignoratione veræ Dialecticæ, sive ex judicio absurdo, sive ex ambobus: ex facto alicujus, quod refertur in lege, trahunt exemplum ad alia. Verbi causa, ut ex eo, quod Flavius scriba vulgarit fastos, & ideo factus est tribunus plebis, ff. de orig. juris, *sic annotat Accursius,* aliquem ex dolo suo præmium consequi, & facit infra *ad municip. l. Titio, & infra de suis & legitimis, l. intestato §. 15. plane.* Arguitur contra *C. de furt. & ser. corr. l. si quis servo.* vel dic, quod hoc fecit populus ignorans. *Sic ille. Miser, quid te torques? nec dolus fuit, nec populus ignoravit, nec leges quas stultissime allegas, faciunt ad rem.* Jam de rerum divisione l. in tantum §. cenotaphium quoque: magis placet esse locum religiosum, sicut testis in ea re Virgilius, sed Divi Fratres contra rescripserunt. Glos. in verb. Virgilius. Sed falsus testis est, ut infra lege proxima, & de religio. l. is qui. Et est argumentum, quod autoritates poëtarum sunt in causa allegandæ, ut supra de statu hom. l. septimo & de solut. l. si pater. Sed in lege proxima est argu-

Inepta allegatio argumentorum ex legibus,

exemplo Accursii & aliorum Glossatorum.

legum tenere, aut ad singula di-
cta,

mentum contra, quod sint reprobandæ. *Quis Chrysippus aut Carneades potuisset tam acutum argumentum excogitare?* JCti alicujus opinio allegatur in jure, & reprobatur, JCti ergo autoritas allcganda quidem in causis, sed reprobanda. *Quid quod Virgilius non dicit, debere esse honoraria sepulcra sacra, sed Trojanis temporibus, aut certe Andromache fuisse. Istis vero hæc dici, est surdis cani carmen.* L. 15 qui nihil, loquitur de Poëtis, l. septimo, autore utitur Hippocrate ad fœtus naturam, l. si pater Aristotele ad numerum fœtus. *An hi etiam poëtæ? Nihil est frontis in hisce hominibus, non pudet tantæ & tam crassæ ignorantiæ? Jam quorsum pertinet allegari ea, quæ sint reprobanda? Scilicet Martianus, qui pro se adducebat Virgilium, indicabat, istius autoritate stari non oportere: talia sunt istorum omnia. Et quemadmodum viderunt altercantes Dialecticos & Philosophos in schola, ipsos quoque incessit libido, sua ostentandi. Altercationes invexerunt, id est velitationes & luctas. Hinc quod proximum erat, placita & sectas ex pertinacia.* Hæc opinio hujus, ista illius aut illius. *Nempe* de jure respondere, cum ratio ex æquitate non depromitur, facillimum est, *ut inquit*

cta, etiam de quibus nullum

Cicero pro Murana, multo adhuc facilius, si adsit impudentia, *ut idem in L. Valerium jocatur;* Cur hoc tibi JCti nomen non gratificer, nescio, præsertim cum his temporibus audacia pro sapientia liceat uti? *Et quo uberior esset disputandi materia, excogitarunt casus non illos quotidianos & crebro solitos usu venire, quorumque esset mentio in legibus, aut de quibus essent latæ leges, sed inusitatos, admirabiles, quique nunquam contingerent, ac proinde nec essent usui illi unquam futuri. Quæ res infinita est, quemadmodum Aristoteles docet in Ethicis. Quippe causarum & negotiorum innumera est vis ac multitudo, ut quæ levissimis varientur momentis, & iis adjectionibus, quas Græci* περιστάσεις *nominant, Quintilianus* circumstantias, *quæ positæ sunt in aliqua additione* personarum, locorum, temporum, causarum, modorum, casuum, factorum, instrumentorum, scriptorum & non scriptorum, *quarum rerum congregationem* negotium *Valgius appellat. Quo circa ea persequi operis esset nunquam finiendi: in quo declarant, quam sint artis imperiti, qui curam & præceptiones suas circa* singularia *consumunt, quæ quoniam sunt innumera, ad curam*

Impertinens doctrina de casibus rarissimis singularibus.

lum est dubium, *xx)* leges allegare.

33. Altera causa Jurisprudentiæ cadaverosæ neglectus juris naturæ & prudentiæ civilis.

Sed & exinde malum istud Jurisprudentiam afficiens magna sumsit incrementa, quod in Papatu a Facultate Philosophica doctrina juris naturalis vel negligeretur, vel corrupte traderetur, & exularet pariter genuina doctrina prudentiæ civilis, sine quibus subsidiis tamen rationes legum ab interpretibus indagari nequeunt. Quod vero

---

ram artis pertinere non possunt, sed certe neque ulla ars ad istorum curam pertinet: & dum illis occupantur, quotidiana & necessaria prætermittimus. Sicut Philosophi, qui, dum rerum naturam novam excogitant, amittunt istam &c.

Exempla ineptarum allegationum.

xx) v. g. ad sententias: expedit reipublicæ, ne quis re sua male utatur: sæpe de Facultatibus suis plus sperant homines, quam in iis est; calamitas matris non debet nocere ei, qui in ventre est: vim vi repellere licet: qui prior tempore, potior jure: delicta parentum liberis non nocent: animi motum vultus detegit &c. *vid. disp. de rite form. statu controv. circ. us jur Just.* §. *31. & 32.*

vero post reformationem nævi illi neque a JCtis neque a Philosophis fuerint statim emendati, & quod adhuc hodie etiam in Academiis Protestantium nævorum illorum reliquiæ subinde conspiciantur, etiam suas habet causas, *yy*) sed tamen temporis habenda ratio non permittit ut eas distinctius explicemus.

34. *Apud nos cadaverosa Jurisprudentia non regnat.*

Potius tanquam singulare opus providentiæ divinæ, & curæ paternæ Potentissimi Regis nostri veneramur atque decenti submissione de-

Causæ hodie exosæ studii juris Naturæ & genuinæ Politices.

yy) Intuitu eorum, qui genuinorum Theologorum nomine abutuntur, ne reliquiæ Papatus Politici in nostris Ecclesiis, scilicet hæretificationes & excommunicationes sub larva pœnarum spiritualium hactenus latentes, item ne larvata pietas aut orthodoxia detegantur, & principibus Evangelicis ad oculum demonstretur, se nihil minus habere aut possidere, quam genuinum jus circa sacra: intuitu JCtorum, sive Civilistarum, sive Canonistarum, ne ipsorum Pædantismus studiosæ juventuti tantum non palpandus exhibeatur &c.

deprædicamus, quod iſta cadaveroſa Jurisprudentia in noſtra Academia non regnet. Florent enim apud nos ſtudia Hiſtorica & Antiquitatum Romanarum pariter & Germanicarum, Politicarum & Eccleſiaſticarum. Florent ſtudia juris naturæ & prudentiæ civilis. Floret in facultate noſtra explicatio legum rationalis, & cum a nobis commendetur verborum cura, vis eorum & poteſtas ex rationibus legum petenda nequaquam negligitur.

SECTIO IV.

Secunda ſpecies falſæ Jurisprudentiæ, Sceleton Jurisprudentiæ.

XXXV. *Secunda ſpecies Jurisprudentiæ falſæ, ſceleton Jurisprudentiæ, quæ ſola nititur autoritate juris interpretum.* zz) XXXVI. *Quæ foro originem debet* aaa) *& legibus ac mori-*

zz) *Illuſtratio dictorum de ſceleto jurisprudentiæ ex Hubero.*

aaa) *Quædam de Raphaele Fulgoſio.*

moribus imperii, quamvis indirecte aucta, bbb) ccc) *ac per viros cele-*

bbb) *Sceleton Jurisprudentiæ quo pacto in Germaniam pervenerit, id est allegatione impertinente Legum & Doctorum legibus publicis introducta. Et quidem adhuc magis impertinentibus ac contradictoriis assertis, quorum emendatio postea in nova ordinatione Camerali frustra est tentata. Nova confusio ex allegatione publica verborum Scripturæ, Patrum &c. unde, orta fuerit. Locus anonymi de damno inde illato in jurisprudentiam, qui ob simplicitatem & perspicuitatem commendatur. Locus parallelus Autoris Parthenii litigiosi. Sed obscurus & confusus, ideo quia autor ipse hac jurisprudentia scabiosa laborabat.*

ccc) *Modus allegandi in relationibus Cameralibus & sententiis collegiorum, non legibus originem debet, sed moribus. Explicatio R. I. 1654. §. 61. contra Gamsium. Obiter, omnes rationes decidendi ad nihil prodesse, nisi ad protractionem justitiæ.*

berrimos propagata. ddd) XXXVII.

ddd) *Verba in factum temperata. Locus Lansii contra insanas jurium & Doctorum allegationes, item contra negle-*

ctum juris patrii, & allegationes Italorum & Hispanorum.

Non obstantibus quibusdam legibus adhuc hodie regnans in foro & collegiis juridicis. eee) fff)

eee) *Locus Blumii. Verba ipsius recessus imperii 1654. §. 96. iterum contradictoria admittentis.*

fff) *Autores alii de allegationibus juris.*

35. Secunda species Iurisprudentiæ falsæ, Sceleton Iurisprudentiæ.

IGitur relinquamus istud cadaver Jurisprudentiæ, ne forte ex ejus fermentatione nausea moveatur Auditoribus. Et quamvis alias cadaver sit res vilissima, usum tamen præbet aliquem in medicina, si forte more Ægyptiaco præparetur in mumiam. Datur adhuc res vilior cadavere. Etenim si cadaveri carnem adimas & intestina, id quod remanet, Sceleton dicitur, cujus adeo non major est usus, quam ut ornet cameras Anatomicas Medicorum & delectet curiosos. Sic & ordo nunc tangit, ut Vobis A.H. ostendam Sceleton Jurisprudentiæ. Illam videlicet jurisprudentiam intelligo, quæ jus non quærit in fontibus legum, sed in rivulis

Quæ sola nititur autori-

vulis Doctorum, quæ legibus non inspectis ad commentatores currit & interpretes; quæ legum pariter verba ac potestatem negligit, & sola nititur JCtorum autoritate. zz) Quam

tate juris interpretum.

zz) Quæ hic de sceleto jurisprudentiæ dissero, illustrari possunt per ea, quæ simili modo de neglectu studii legum, & nimia æstimatione interpretum docet Huberus *sæpius cit. orat. 9. p. 277. seq. Ingentia*, inquit, *volumina ad Institutiones, ad Pandectas, Codicemque, præterea de controversiis, de antinomiis legibusque intricatioribus scripta, neglectis aut obiter perlustratis Justiniani libris, recta via aggrediuntur, (studentes) & quanto quisque diligentior, ingenioque fortior est, tanto plures, majoresque legendos sibi sumit autores. In quibus intelligendis capiendisque non minus operæ, judiciique requiritur, ac ipsis legibus impenderetur &c.* Et paulo post: *Dicant, qui Treutleri theses, & Hunnii Bachoviique ad easdem commentarios legerint, studendoque subegerint, an post tot subtilitates, acerrimasque commissiones, vacuos paratosque se sentiant ad leges super iisdem capitibus a Justiniano collocatas, serio attenteque examinandas. Idem in Wesenbecio,* K 5 *Hab-*

Illustratio dictorum de sceleto jurisprudentiæ ex Hubero.

Quam bene id fiat, facile poteris intelligere, si modo comparationem

Habnioque faciatis periculum. Credo Bachoviani aut Habnienses facile citoque, Justinianei tarde & difficulter evadetis &c. Et iterum: *Quando in summa student, ut artem Justiniani secundum Institutiones & Pandectas redigant in memoriam; faciant hoc, ut Cæsar ipse præcepit, paratitla discendo, textus ipsos legendo, examinando. Si quid residui temporis ab hac occupatione abundet, hoc jam Cujacio, Donello, Bachovio aliisque scriptoribus, si velint, impendant, non tamen prius, quam illud alterum bene, distincte, valideque perfecerint.* Hæc de vitando sceleto jurisprudentiæ in studiis sufficiant. De ejusdem vitatione in scriptis *idem p. 280. seq. Antiquos artis juridicæ autores satis constat nullis aliorum citationibus in suis commentariis usos, sed hoc solo laudem admirationemque meritos esse, quod in legibus edictisque Prætorum enarrandis aut verborum proprietates aut æqui bonique rationes detegere & explicare sategerint. Nec in aliis operibus variarum inscriptionum* de ambiguitatibus, Membranarum, Quæstionum, Responsorum, Definitionum, Regularum, Variarum lectionum, Institutionum, Dispu-

nem cum sceleto mediteris ulterius. Non consistunt sua virtute sceleta, quippe

---

Disputationum, Sententiarum, Manualium, *& si quorum præterea per Pandectas sparsa sunt vestigia, videas disciplinæ nostræ conditores more farciendi sua scripta nominibus innumerabilium autorum unquam fuisse usos. Nihilo magis, qui in Græcia Jus Romanum ab ipsis adscitum commentati sunt, hoc negotii sibi datum crediderunt, nec qui post* Irnerium *in Occidentalibus provinciis Jus civile primi illustrarunt, id studio habuere, non* Azo, *non* Placentinus, *non* Accursius, *non* Durandus, *non* Bartolus, *non* Baldus, *non denique superiori seculo genuinæ Jurisprudentiæ instauratores*, Cujacius, Duarenus, Donellus, *& qui illos in eodem instituto vel præcesserunt, aut non multo post secuti sunt, id sibi placere testatum reliquerunt. Jam scire velim, quæ nos ratio utilitatis aut decori moveat, ut potius, quid a pragmaticis quibusdam scriptoribus superiori, & a plerisque præsenti seculo institui cœpit, imitemur, quam, quod omnis antiquitas & cultiora quælibet ingenia faciendum putaverunt, quodque jam pridem æmuli antiquorum Galli, & e nostratibus multi elegantioris doctrinæ viri in suis scriptis renovarunt* &c. *Malo ita inducere animum, non*

quippe nervis destituta, sed ferro multo opus est aut ligno ad eorum sub-

non esse tam miserum tacere, quam indices scribere, ubi fructus ingenii expectetur. Fruantur honore multæ lectionis, qui deformem putant esse paginam, cujus non pars dimidia nominibus concordantium vel dissentientium autorum referta appareat; utcunque pars maxima ex aliis descripta, pars etiam falso sententias, quibus approbandis adducuntur, si inquiras, laudare deprehenduntur. Addit tamen monitum, ne supprimantur nomina eorum, ex quorum doctrina profecimus, atque ea occasione justæ querelæ Mynsingeri contra Gailium meminit, (*conf. diss. meam de jurisd. & magistr. sec. mores German. diff. th. 7.*) Pergit *p. 284. Nihil inutilius putet* (Advocatus) *quam multa recensere nomina Doctorum, vel opiniones crepare communes, cum nihil sit notius, quam ludibrium ejusmodi autoritatum, si examinentur, interque se conferantur, neque desit, qui volumen ingens communium contra communes opinionum publico dederit* &c. *Proinde si hodieque non secundum legem & rationem, sed ex auctoritate Doctorum judicia regerentur, non ea sola, de quibus scribit* Menochius, *sed omnia in universum forent*

subsistentiam. Sic autoritas Doctorum varians est ac vacillans, nun-

---

forent arbitraria, *& jus ad instar Philosophiæ redactum esset, in qua jam olim super uno quæsito quadringentas esse diversas opiniones celebrium Autorum non erat insolens, & de qua vetus est proverbium, facilius inter horologia, quam inter Philosophos conventurum. Quot capita, tot sententiæ, dictum est æternæ veritatis, & in rebus judicandis vel maxime obtineret, nisi legis certitudo rationi moderaretur, neque prorsus extra terminos sibi præscriptos evagari permitteret* &c. Et iterum *p. 286. Turbatur judex multitudine factorum & narratione confusa, atque superflua, tum disputatione juris non certa, determinata, verbis sententiaque legis subnixa, sed rationibus vagis, longe petitis, undique corrasis autoritatibus & interpretum testimoniis* &c. *Nec dubito, quin, si scirent Advocati, quam parva ratio tot nominum allegatorum testimoniorumque citatorum habeatur in senatu, parcerent inepto labori seque* legi *&* rationi *diligentius applicarent. Rursus autem monitum volo, non adversari me famæ honorique magnorum hominum, qui tam presso silentio dehonestari viderentur. Non abnuo, cum res postulat, autoritatem probatorum quorundam*

nunquam bene connexa, semper contraria imo contradictoria. Non sole-

rundam interpretum persuadendis judicibus usurpari. Memini, cum & usum reperiret illa cura, sed non suadeo, sola nomina ipsorum, librorumque laudari. Ipsa verba, quibus liqueat, eos lege & ratione fuisse subnixos, producenda & ob oculos ponenda puta, ne cordato judici, pondere autoritatis rationem premere, verum consensu celebrium virorum magis illustrare velle videaris. Minus multos hoc modo citari atque produci posse fatendum est, sed hoc ipsum agebamus, & semper animadverti, illos paucos eo modo exhibitos & inculcatos profuisse magis, quam ingentem numerum solummodo nominatos & quasi ostentatos. Non ignoramus, esse fora, in quibus scripturæ Advocatorum non merentur laudem, nisi plaustra Doctorum ferant, & tamen his ipsis locis, quotquot feliciores acrioresque Patroni sunt, hos fiduciam contentionum suarum in lege *&* ratione *collocare non semel exploravi. Fuit* Omphalius *celebris* Spiræ *apud Imperiale tribunal Advocatus, ubi, si usquam terrarum, celebrantur autoritates. Hunc memini, juniores, qui ad discendam praxin ipsi se applicuerant, hortari consuevisse, ut in causis agitandis summum maximumque preceptum tene-*

solebant artis nostræ autores Romani ad autoritates aliorum provocare, neque deprehendes in libris variis membranarum, quæstionum, responsorum, definitionum, regularum, institutionum, disputationum, sententiarum, manualium, ex quibus Pandectæ sunt compositæ, JCtos Romanos hoc more farciendi sua scripta nominibus innumerabilium Autorum unquam fuisse usos. Imo ne quidem glossatores, qui vocantur istum perversum morem introduxerunt, non Azo, non Placentinus, non Durandus, non Bartolus aut Baldus. Non denique restauratores genuinæ jurisprudentiæ, Cujacius, Duarenus, Hotomannus, Donellus, & qui illos in eodem

---

tenerent, fundamentum theoreticum ut bene sibi constaret, eo cuncta referrent, eoque stabilito nihil, quod undique corraderent adversarii, morarentur. Quid autem aliud suo modo fundamentum ille theoreticum vocavit, quam quod a nobis urgetur, lex *&* ratio.

dem instituto vel præcesserunt, aut non multo post secuti sunt.

36. *Quæ foro originem debet.* Foro originem debet hoc cacoëthes, & imperitiæ Judicum & Advocatorum. Refert Raphael Fulgosius Antecessor Patavinus *aaa*) dictum Cyni, *quod sicut olim idola pro Diis, ita tunc Glossatores pro Evangelistis adorati fuerint.* Subjicit Fulgosius: *Volo potius pro me glossatorem quam textum. Nam si allego textum, dicunt Advocati diversæ partis & etiam judices: Credis tu, quod Glossa non ita bene viderit istum textum, sicut tu.* Orta sunt inde volumina communium opinionum contra

Quædam de Raphaele Fulgosio. *aaa)* Fulgosius *in l. si in solut. 6. C. de obl. & act. & l. ad officium 3. C. comm. divid.* citante Bornio *dissert. inaug. de jure in re cap. 1. §. 5.* Floruit autem Fulgosius circa medium seculi 15. & præter commentaria in jus civile reliquit etiam volumen responsorum. Pancir. *de clar. leg. interpret. lib. 2. cap. 83. circa fin. p. 224.* Et huc respexit etiam haud dubie Huberus, dum in præcedente nota pragmaticis originem abusus hujus in allegando adscribit.

contra communes, nec legum interpretes puduit allegare centuriam autorum tam pro affirmativa quam negativa quæstionis sententia, & postea loco decisionis subjicere: *Tu crede hanc sententiam præ altera, quia est pura veritas*, ut vel ex Farinacii criminalibus fidem facere possemus, si qui essent, qui de re notissima dubitarent. Regnabant hi mores allegandi plaustra Dd. cum in publicis imperii Germanici legibus *bbb*) modus hic allegandi ab-

Et legibus ac moribus imperii quamvis indirecte aucta.

bbb) Cum ejusmodi Doctores pragmatici ex Italia seculo decimo quarto & quinto cum Academiis in Germaniam venirent, & inde explicatio legum magistralis more Italico (per quam quid intelligatur exposui *in notis ad Melch. ab Ossa Testam. not. 182. p. 398.*) non solum in Academiis Germaniæ regnare inciperet, sed & in judiciis se insinuaret, & in aulis Principum commendaretur (Melch. ab Ossa *d. l. part. 2. cap. 8. per integr. pag. 382. seq. & ibi notata*) non mirandum est, quod in ipso conventu Imperii Ratisbonensi anni 1500. publico Statuum consensu ipsa Ordinatio

Sceleton Jurisprudentiæ quo pacto in Germaniam pervenerit.

absurdus partim exemplo, partim dispo-

Cameralis ab ejusmodi JCto, sceleton jurisprudentiæ pro ipsa jurisprudentia habente, concepta, & allegationibus ejusmodi ineptis & plusquam legulejisticis tantum non in singulis lineis nauseam genuinis JCtis movens ipsi Imperii Recessui, a tit. 36. von dem termin erster instanz ad finem, tota insereretur. Utque ejus rei specimen aliquod, etsi minimum, dem, adducam saltem verba ejus ordinationis, quæ de allegationibus ab Advocatis in judico observandis disponunt, d. Recess. & Ord. Camer. tit. 38. §. 4. Und sollen die Außzüge, Replicæ, Duplicæ, Triplicæ, Quadruplicæ gegründet werden auf die Geschicht und nicht auf das Recht in Articuls weiß. Also sagt die Ordnung zu Regensburg. Item alle exceptiones fol. 44. Daß diese Articul sollen auf die Geschicht und nicht auf das Recht gesetzet werden, wird bewiesen. Gloss. in cap. 2. de confessis in 6. Dann dem Articul, auf das recht gestatt, ist man nicht schuldig zu antworten. Pan. in cap. sæpe de appell. Glossa & Bart. in l. ornamentorum ff. de aur. & arg. leg. Aber auf die position, so Meldung thut von einer Gewohnheit, soll geantwortet

Id est allegatione impertinente legum & Doctorum legibus publicis introducta.

dispositione obscura (ubi & quando ab

tet und erwiesen werden. Bald. in l. 1. C. quæ sit long. consuet. Also auch in Statuten einer Stadt. Bald. in l. omnes populi ff. de just. & jure. Und mag der, so articuliren will die Geschicht, das gemeine Recht, so aus der Geschicht fleußt, fürbringen und allegiren, nach Innhalt voriger Ordnung. Joh. Andr. in addit. spec. in tit. de test. §. nunc vidend. post princip. Und soll sich derjenige, so sich auf das Recht will fundiren, fürsehen, daß er die Recht nicht ausdrücklich setze, und allegire, damit dem Wiedertheil nicht werde Ursache gegeben, zu disput, und zu cavilliren. Spec. in tit. de Advoc. & cons. §. item caveat. Wo aber der Richter nicht gelehrt wäre, ist es vonnöthen vor ihm die Recht zu allegiren. Spec. in tit. de alleg. & disput. §. 1. &c. Si non plane præjudicio autoritatis occœcati fuissent singulorum Imperii Statuum Consiliarii, saltem sensissent, plurimas contradictiones in isto paragrapho latentes, aut certe limitationes obscurissimas, & ita aptas, ut facile regulas adversas tantum non totas tollere possent. *Primo* jubetur, articulari non debere de jure, neque partem adversam obstrictam

Et quidem adhuc magis impertinentibus & contradictoriis assertis.

ab Advocatis in proceſſu jurium alle-

eſſe ut de jure reſpondeat. Si rationem inquiras, politica genuina non aliam ſuppeditabit, quam quod judex debeat jura noſſe, & quod probationum in genere finis ſit, ut judex de circumſtantiis facti informetur. Sed eam non admittit limitatio ſtatim ſequens, quod articuli ſuper conſuetudine poſſint concipi. Nam peritus judex æque de conſuetudinibus, quam de legibus ſcriptis informatus eſſe ſolet & debet. Ergo ut limitatio non videatur contraria rationi regulæ, mutanda illa erit, & dicendum, conſuetudinem ſupponere facta, & ex factis privatorum conſtare, adeoque eam eſſe differentiam inter jus ſcriptum & non ſcriptum quod ſcriptura illud ponat in omnium notitia, at conſuetudo propter incertitudinem factorum ſæpe ſit dubia & adeo hoc intuitu probanda. Sed (ut taceam, etiam ſæpius dari conſuetudines ſcriptas) & hæc ratio ſtatim deſtruitur per ſubſequentem additionem, quod etiam articuli probatoriales poſſint concipi ſuper ſtatutis, cum tamen ſtatuta omnia ſint ſcripta, & cum judex etiam ſtatuta talia callere debeat: *Secundo* quid prodeſt pro-

allegatio permitti debeat,) publice ap-

---

prohibere allegationem juris vel provocationem ad jura in articulis, cum tamen mox addatur, posse allegari jura ex facti circumstantiis profluentia. Fateor sane me nescire, quid sit contradictio aperta, si hæc non est? Accedit statim *tertia*, imo non allegandum esse jus, ne parti adversæ occasionem disputandi & cavillandi suppeditet allegans. Video quidem tollendæ contradictionis ergo addi jura non *expresse* ponenda (nicht ausdrücklich) sed hæc declaratio contradictionem non tollit. Quid enim est *jura non expresse ponere?* An ergo obscure & occulte? Quis non rideret ejusmodi ineptias? An non sunt verba legum expresse ponenda, sed saltem alleganda legum vel paragraphorum verba initialia. Homo sanæ mentis potius rem inverteret, cum allegationes illæ simplices legum & paragraphorum non ita perspicuæ sint, nec sic facile in sensus judicis incurrant, quam si verba legum, unde probationem pars perit, allegentur. Deinde nec distinctionem illam admittit ratio adjecta. Nam pars adversa ad cavillationem inclinans æque occasionem cavillandi arripiet, sive

approbaretur, & postea moribus in

---

allegentur verba ipsa legum, sive saltem numerus legum & paragraphorum. Sed nondum est finis ineptiarum. *Quarta* contradictio: imo allegandæ sunt leges etiam expressis verbis, & ne ea statim in sensus incurrat, additur nova larva limitationis, quoties scilicet judex non est satis doctus. Sed hæc ipsa declaratio non limitat assertionem præcedentem sed tantum non illimitabilem facit. Quodnam enim habebis criterium, an judices sint satis docti. Haud dubie quidem concipiens (quem paulo post Melchior ab Ossa secutus est) Doctores juris in Italia potissimum promotos solos pro doctis habuit, Scabinos non promotos pro indoctis. Sed quemadmodum *in not. ad dict. cap. 8. Testamenti Ossani* satis sufficienter vindicavi honorem antiquorum Scabinorum, ita & tum temporis non deerant exempla noti proverbii Italorum: Sumimus pecuniam & mittimus Asinos in Germaniam. Adde, quod ipse Imperator Justinianus divinum esse judicaverit, omnium legum habere memoriam, aut stilo Juris Canonici, leges omnes in scrinio pectoris tenere inclusas. Ergo semper

in Camera receptis, ut Referentes
in

ſemper ſub prætextu juſti metus, quod judex non ſatis ſit doctus, advocati poſſunt jura allegare, adeoque hoc pacto corruit totum principale monitum, de non articulando ſuper jure. Res ita evidens eſt, ut hodie tyrones juris iſtas contradictiones ſenſu communi percipiant. Imo easdem & potiſſimum quartam modo memoratam palparunt conſiliarii ſubſequentium temporum, & in ordinatione Camerali anno 1555. edita omiſſa diſtinctione illa abſurda inter allegationem ſimplicem legum & adductionem verborum ipſorum legis, item inter judices doctos & indoctos, nova diſtinctione difficultatem asſertionis illius de non allegando jure tollere voluerunt. Ita enim ſonant verba Part. 3. Ord. Cameral. tit. 40. §. 2. Die Artickel ſollen *principaliter* auf die Geſchicht oder That und nicht auf das gemeine Recht geſetzt, und geſtellet werden, es wäre denn, daß einer der gemein Recht, ſo aus vorarticulirter That fleuſt, anzeigen wolt, welches dann ihm unbenommen ſeyn ſoll, doch daß er die Recht nicht **überflüßig** und **unnothdürfftig** allegier, damit dem Wiedertheil zu diſputiren und zu cavilliren nicht

Quorum emendatio poſtea in nova ordinatione Camerali fruſtra eſt tentata.

in relationibus sententiarum ubique

Ursach gegeben werde. Scilicet concipiens hunc paragraphum dubia proposita voluit tollere per distinctionem inter intentionem advocatorum *principalem* & *minus principalem*, deinde inter allegationem juris *superfluam* & *sufficientem*. Sed quilibet, etiam rusticus & homo maxime plebejus, etiamsi non sit emunctæ naris, statim subodorari potest, neutram distinctionem aptam esse ad abusum allegationum juris tollendum, cum advocati etiam stupidissimi potuerint semper allegare, se allegata prolixissima adduxisse *minus principaliter*, & se velle juramento firmare, quod sibi firmiter persuaserint, allegata sua non esse *superflua* nec abundantia, imo cuilibet judici impartiali in oculos incurrere, quod ad minimum æque sint utilia, atque allegata illa perpetua legum, canonum, Glossatorum, & Canonistarum in ipsa Ordinatione Camerali de anno 1500. Neque enim sufficiebat allegatio legum civilium, sed cum Jus Canonicum illis temporibus creditum fuerit esse majoris autoritatis, quam Jus Justinianeum, non solum allegabantur capitula ex decretalibus epistolis, sed etiam canones ex decreto,

Nova confusio ex allegatione spuria verborum scripturæ, Patrum &c. unde orta fuerit.

que jura & opiniones Dd. allegarent,

---

creto, &, quia in decreto multa inveniuntur dicta Patrum, & ſecundum gloſſam juris Canonici dicta Patrum ad unguem ſervanda ſint, etiam allegationibus immiſcebantur dicta Patrum; Patres autem cum ubique provocent ad dicta ſcripturæ, inde licuit etiam in deductionibus juris allegare dicta non ſolum Novi teſtamenti, ſed & Veteris, imo non ſolum aſſertiones ad mores & juſtitiæ communis regulas pertinentes, ſed & dicta Prophetarum & capita legis Moſaicæ. Cur? quia ita volebant Gloſſatores juris utriusque. Rem latius expoſuit Ayrerus *in proceſſu* primum anno 1597. publicato *Parte 2. cap. 10. integra obſervatione 1. p. m. 671.* In ipſo vero capite 10. *p. 622. 634. 637. 639. 640. 642.* & paſſim in ſequentibus paginis ejusmodi exempla allegationum, etiam in reſponſione teſtium ad articulos exhibet, & *lib. 1. cap. 12. obſerv. 2. n. 6. ſeq. p. 327.* doctrinam gloſſatorum de irreſponſibilitate poſitionum juris cum ſuis ampliationibus & limitationibus ſummatim exponit. Grave damnum per introductionem ejusmodi ſceleti jurisprudentiæ in Germaniam illatum jam initio ſeculi decimi ſeptimi

rent, communi & universali con-
sue-

videlicet anno 1607. deploravit autor anonymus des Bedenckens, quod postea observationibus suis inseruit Wehnerus. Daß aber, inquit p. 367. ap. Wehnerum, solche vorangezogene viele und grosse Mängel des gerichtlichen Processes und sonderlich die principalis causa, welche dieselbe eintzig und alleine verursacht, nehmlichen, daß von den Partheyen und derselben Advocaten die Jura allegiret und disputiret, und dadurch der Proceß so weitläufftig und verworren gemacht, die Sachen so überauslang aufgehalten, und die Acta unnöthiger Weiß gehäufft, und dem Richter und den Beysitzern grosse vergebliche Mühe und Arbeit zugezogen wird, gar wohl abgeschafft, und der Proceß um ein grosses eingezogen, auch die Grösse und Vielheit der Acten abgeschnitten werden könne, solches hat, wann man deme, was einem Richter und desselben Beysitzern darzu, daß sie ein rechtmäßiges Urtheil sprechen können, zu wissen nöthig sey, und welchergestalt sie dasselbige überkommen und haben können, mit Fleiß nachdencket, gantz und gar keinen Zweiffel. Denn es wird verhoffentlich ein jeder Rechts-verständiger, deme die Beförderung des hochnöthigen Justitien Wercks lieb

Locus anonymi de damno inde illato in jurisprudentiam.

lieb ist, und davon unpartheyisch judiciren kan, dessen mit einig seyn, daß ein jeder Richter und dessen Beysitzer, darzu, daß sie ein rechtmäßiges Urtheil sprechen können, mehr nicht als dreyerley haben und wissen müssen, nehmlich primo factum ipsum, ut a litigantibus proponitur, deinde facti veritatem, & tertio jus quod ex facto oritur. Das factum nun müssen sie von den Partheyen haben, und kan ihnen dasselbe agendo, excipiendo, replicando, duplicando, ac ulterius, si opus fuerit, progrediendo, nach Nothdurfft vorgetragen werden. Facti veritatem aber überkommen und erfahren sie vel ex confessionibus partium vel ex depositionibus testium, vel ex instrumentis ac literariis documentis, vel denique his omnibus deficientibus ex præstatione juramenti in casibus, in quibus hoc locum habere potest. Und wenn sie diese beyderley nun haben und wissen, ist ihnen von den Partheyen und derselben Advocaten mehr zu erlernen und zu erfahren nicht nöthig, sondern das dritte und letzte, jus nimirum, quod ex factis oritur, sollen und müssen sie selber wissen, und ist dieses, wenn die Partheyen oder derselben Advocaten solches

dem

ctum fuerit, ut idem facerent omnia

dem Richter und dessen Beysitzern zu lernen, und wo und an welchem Orte sie, was in solchen Fall Rechtens sey, in corpore juris oder dessen Glossen und Interpretibus suchen und finden sollen, vorzuschreiben sich unterstehen, eben so ungereumt und lächerlich, als wenn ein Patient einem Medico vorzuschreiben sich anmasset, an welchen Ort in Galeno, Hippocrate oder andern Medicis er suchen solle und finden werde, was zu seiner des Patienten Kranckheit nützlich gebraucht, und wie er curirt werden möge. Ist derowegen dieses, daß die Partheyen, und deroselben Advocaten den Richter oder dessen Beysitzere, oder, welche er an deren Statt gebraucht, in jure zu informiren sich anmassen, nicht alleine unnöthig, sondern gantz ungereumt und ungeschickt, wie hernach ferner soll ausgeführet werden. Vides, ita simplicia & indubia esse ea, quæ jam illo tempore dixit autor quisquis fuit, ut non opus habuerit, ad demonstranda sua monita vel allegare scripturam aut jura, aut Bartolum vel Baldum, aut Panormitanum vel Speculatorem. Istæ enim rationes, quas profert, sunt ad captum & gustum quorumvis sive Barbari sint, sive Græci; sive

Qui ob simplicitatem & perspicuitatem commendatur.

omnia collegia juridica in conceptione

sive Græci sint, sive Judæi; denique sive milites sint, sive eruditi, sive plebeji. Unde & prudenter in toto illo opusculo ab ejusmodi plusquam pedanticis allegationibus plane abstinuit. Et ut eo fortius appareat, quam pestilens morbus lateat sub illo insano allegandi studio, omnia etiam bona ingenia ac consilia corrumpens, unicum saltem exemplum sistam autoris alterius eandem cum priore intentionem habentis, videlicet consilia abbreviandi lites publice proponendi, sed in eo tamen ab eo differentis, quod prior quamvis haud dubie multos autores legisset, & ita ad allegationes non fuisset ineptus, ab allegationibus tamen omnibus data opera abstinuerit, hic vero cupidine tanta allegandi cum communi caterva JCtorum infatuatus fuerit, ut vel ob hoc unicum inter confusissimos & ineptissimos autores referri mereatur. Intelligo autorem Parthenii litigiosi (*conf. disput. meam de emend. admin. justit. difficultate §. 41. p. 70, in med.*) Atque ut vere id a me dictum esse constet omnibus, exhibebo hic saltem ea, quæ dictus autor *libro secundo cap. 7. n. 21. seq. p. 356. seq.* de allega-

ceptione ſententiarum quarumvis.

Locus parallelus autoris Parthenii litigioſi.

gationibus juris annotavit. „Nobis, „inquit, circa lites, litigioſos proceſſus „remedium videtur, ut advocatis O-„MNINO interdicatur allegare jura, „ſive informare judicem in jure, & de-„monſtrare ex corpore juris, gloſſa aut „interpretibus, quid de lite judicandum. „Hoc æque ridiculum & inconveniens, „ac ſi ægrotus medico curam præſcribe-„re vellet ex Galeno, Hippocrate, & aliis. „*Auct. diſc.* von *Juſtitien*-Werck *pag. 26.* „Allegationes enim jurium non ſunt „pars actorum, ita ut aliquando ad acta „poni denegatum fuerit in Camera. „Gail. Scip. *lib. 4. dec. 108.* Keller. *lib. 2.* „*de off. jur. prol. c. 25.* Quod utinam ho-„dierno ſeculo in omnibus judiciis fie-„ret, nec allegationum plauſtra in ge-„neralibus brocardicis adferre liceret, „& proceſſus brevior redderetur, & lites „citius terminarentur. *Auct. diſc.* von „*Juſtitien*-Werck *d. p. 26. 47. 86. & 90.* „Factum allegetur, & diſputent Advo-„cati, jus, quod ex facto oritur, judex ipſe „ſcire debet. Nec obſtat huic remedio, „quod judex allegationes non audiens „de dolo teneatur. Ang. *in l. ex maleficiis* „*§. ſi judex de O. & A.* Joh. Bapt. Magon.

de

de patroc. ratione c. 5. n. 21. per text. in Ord. "
Cam. part. 5. tit. 40. Das gemeine Recht, "
so aus vorarticulirter That fleust, anzu- "
ziehen, inprimis, quando judex est im- "
peritus. Mynſ. *cent. 5. obſ. 88. n. 6.* sed "
additur in ordinatione: Doch daß er "
die Rechte nicht überflüßig allegire, damit "
dem Wiederparth zu diſputiren und ca- "
villiren nicht Urſach gegeben werde. At "
allegationum plauſtra adducuntur, "
quibus proceſſus litigioſi longiores, a- "
cta prolixa & intricata & lites immor- "
tales redduntur. Ergo merito sunt "
inhibenda & funditus corrigenda. "
Alias ſicut herba, quæ exſcinditur "
horto, relicta radice, revireſcit longius "
ac ante, ita, ſi certus Advocatis mo- "
dus in allegando jure præſcribatur, re- "
medium erit nullum, ſed potius irri- "
tamentum priorum malorum. Quod "
ſi ſimpliciter prohibeatur Advocatis, "
jura allegare, hoc remedium erit effi- "
cax, & optatum ſortietur finem, ab- "
breviationem ſcilicet & litium & liti- "
gioſorum proceſſuum, *Auct. diſc.* von "
Juſtitien-Werck *p. 87. & 90.* Mynſ. *cent.* "
5. obſ. 88. n. 6. idque ſervari in curiis "
Galliæ (ubi dicunt Advocatis jura alle- "
gantibus: *Venite ad factum, Curia ſatis* "
intelligit jura) teſtatur, addens: *Sed hoc* "
in Camera Imperiali non ſervatur, & fortaſ- "
ſis

sis male.„ Hactenus tolerari poterant allegata ab autore Parthenii, etsi superflua, tamen vel declarantia, unde veram sententiam de *omnino* interdicenda advocatis allegatione jurium hauserit, eamque exemplis illustrantia. Sed quæ jam sequuntur apud eundem, statim destruunt aliis autoritatibus sententiam modo adductam & commendant saltem interdictionem allegationum superfluarum, imo in fine admittunt & hanc, ut adeo lector nesciat, quænam ex his tribus contradictoriis sententiis vera sit, vel ab ipso autore pro vera sit habita. Ita enim pergit: „Sin minus (scil. pro„hibeatur advocatis simpliciter jura al„legare) saltem cum TEMPERAMEN„TO jurium allegationes fiant. Quam„vis enim Advocatis frequentissimum & „facillimum hodierno seculo, imo & „Notario parum scienti, ex repertoriis, „locis communibus & aliis allegationum „plaustra conferre. Tamen maximæ „perniciei & temeritatis est, ut ait Mo„lin. *con. 10. n. 15. tom. 3. Var. Germ. JCt.* „quem refert And. Knich. *in ep. dedic.* „*Tract. de subl. & reg. territ. jure.* Nec in „hoc consistit Advocati prudentia. Sim. „de Præt. *in procem. tr. de ult. vol. interp. n.* „*22.* Tales advocati, procuratores, no„tarii, imitantur aves & oves, cum satius

Sed obscurus & confusus ideo, quia autor ipse hac jurisprudentia scabiosa laborabat.

tius foret, adire loca, in quibus aliqua» conclusio formatur. Nam si autores» ipsos adirent, aut locos diligenter in-» spicerent, sæpe eos silentio præteri-» rent, vel quia id non dicerent, ad quod» allegantur, vel, si dicerent, in adeo di-» versis loquerentur terminis, ut ad rem» sive litem, quam eorum autoritate pro-» bare conantur, nihil omnino facerent,» *ut inquit* Joh. Bapt. Asin. *in jud. pr. part.*» *2. §. 1. c. 89. n. 24.* Hic subordinatum» remedium, ut falsi pœnam incidat, qui» falsas LL. aut DD. apostillas allegat.» Bl. *in legem si quis lat. 33. ad L. Corn. de*» *fals.* Joh. Bapt. Magon. *de rect. patr. rat.*» *c. 3. n. 11.* Ergo sicut in aliis, ita in» allegando jure opus est TEMPERA-» MENTO, quia nauseam facit accumu-» latio allegationum pro vulgato quo-» dam dicto sive regula facta, ubi sufficit,» solam legem probantem allegare, cum» vulgatum etiam sine allegatione legis.» Ripa *in L. eadem 4. §. Cato n. 7. de V. O.*» Quod si plures sint leges concordes,» sufficit etiam UNAM allegare per *L. si*» *quis obrepserit ff. de Leg. Corn. de fals.* ubi» Marsil. *n. 7.* Nicol. de Neap. *in l. scire*» *§. fin. de exc. tut.* Rip. *c. inter cæt. in f. de*» *rescript.* aut regulam generalem *l. quo-*» *ties §. etsi de hæred. instit.* Sed his defi-» cientibus TOT auctoritates allegan-»

vis. *ccc*) Hæ leges & hi mores etsi fortas-

„dæ, QUOT inveniri poſſint concordes. „*l. Divi* §. *pen. de jur. pat.* Ad. Keller. *lib.* 2. „*de offic. jur. pol. c.* 25." Scilicet autor Parthenii non ſenſit, & ſe Advocatis & Notariis parum ſcientibus eſſe ſimilem, quibus facillimum dixit eſſe, ex repertoriis & locis communibus allegationum plauſtra proferre, & cum adeo in iis inveniret quosdam commendare aliquam ſed *parcam* allegationem, alios vero *tot* autoritates commendaſſe allegandas, *quot* reperiri poſſint, non putabat, pro inſigni, quo laborabat judicii defectu, & de quo totus ejus liber in ſingulis teſtatur paginis, ſe melius facere poſſe, quam ſi has ſententias tres ſibi contradicentes unam poſt alteram poneret, ne videlicet vel tantillum ex locis communibus periret. Imo hac parte ſtupidior fuit Advocatis & Notariis, quos increpat, quia hi ad minimum rariſſime doctrinas contradicentes & partium, quas defendunt, juribus adverſas, cumulare ſolent.

Modus allegandi in relationibus Cameralibus &

ccc) Equidem ſi ex ipſis Imperii legibus evolvas loca, ubi de Relationibus in Camera agitur, videlicet Ordin. Cam. *Part. 1. tit. 13.* von der Beyſitzer Amt im Rath

fortasse optimam habuerint intentionem,

Rath & R. J. 1654. §. den modum referendi 143. seq. nusquam ipsi dispositum invenies, ut referentes in relatione votorum suorum vel jura vel autores allegare debeant. Cæterum, uti idem Recessus mentionem variorum abusuum abrogandorum circa relationes meminit, ita etiam ad eos refero allegationem jurium, prout eadem ex variis Autoribus relationes Camerales edentibus cognosci potest, quæque adeo una est ex præcipuis causis prolixitatem relationum causantibus, quæ tamen prohibita est d. Recessu §. 147. Denen Referenten soll &c. Nimirum, postquam hi in Academiis audiverant, valde commendari impertinentes ejusmodi allegationes, postquam viderant talia allegata ubique in scriptis Professorum & Consiliariorum quorumvis celeberrimorum, postquam in ipsis Imperii Recessibus deprehenderant, Ordinationem Cameralem de anno 1500. his allegationibus in singulis lineis esse ornatam, putarunt nihil sapientius esse, quam ut iisdem flosculis etiam ornarent suas relationes. Collegia juridica minora in Germania similia observarunt in rationibus deci-

sententiis collegiorum non legibus originem debet, sed moribus.

 dendi,

tionem, non possum tamen dicere, quanta

dendi, quas communiter adjiciebant sententiis a se conceptis, sive id fecerint ad imitationem Relationum Cameralium, sive ipsimet ex nimio amore erga jura peregrina & ex contemtu jurium patriorum, ex Academiis hæc in praxin & collegia juridica hunc modum traduxerint. Nam & intuitu horum collegiorum nihil invenio in ipsis legibus imperii præceptum esse, sed idem Recessus Imperii *de anno 1654.* §. Ob er auch schon 61. potius in contrariam sententiam inclinat, in verbis: Gestalt denn solche Collegia Juridica bey Abfassung der Urtheil die ex FACTO genommene rationes decidendi allemahl kürtzlich auffzusetzen, und auf Erfordern des Judicis a quo ohne Entgeld auszustellen schuldig seyn sollen. Sed quemadmodum multa sunt in Recessibus, quæ nunquam usu introducta sunt, ut v. g. prohibitiones poculorum salutis, ita quoque & intuitu *d.* §. *61.* res se habet; Nam 1. non transmittimus rationes decidendi, nisi id judex postulet, (quod etiam conveniens est *dicto* §.) 2. Cum vero judex pariter & partes non postulent rationes saltem ex facto, sed etiam ex jure, & cum al-

Explicatio R. J. 1654. §. 61. contra Gamsium.

legatis

quanta augmenta occasione ejus sum-

legatis Doctorum, inde ubique in collegiis sumimus pecuniam, & mittimus allegata legum & Dd. in Germaniam, & quidem in abundantia. Neque enim 3. rationes decidendi breviter concipimus, sed prolixas exhibemus, tanquam res Advocatis pariter & Judicibus non ingratas. 4. Non mittimus rationes gratis, sed pro honorario debito. Et ita malo scapham scapham vocare, quam uti commentatione Pauli Gambsii ad illum §. *Sed ex qua causa*, inquit, *Imperator & Status Imperii illis Collegiis injungere potuere, ut suum laborem in concipiendis ac describendis rationibus decidendi sine ulla remuneratione præstent? Respondeo hic §. intelligendus est de eo casu, ubi ista collegia, scilicet Universitates pro dicto labore mercedem quidem acceperunt, nec tamen rationes decidendi simul transmiserunt.* Ego vero quovis pignore certare mallem, & Imperatorem & Status Imperii de ista restrictione nunquam cogitasse. Nova se hic offert occasio inquirendi, annon etiam per ipsam dationem rationum decidendi sive gratuitam, sive pro pecunia, sive ex circumstantiis facti, sive ex allegatis Dd. magna detur occasio

Obiter: omnes rationes decidendi ad nihil prodesse nisi ad protractionem justitiæ.

sumserit illud Jurisprudentiæ Sceleton, in tantum, ut pene solum ab illo tempore regnaverit in foro, & veram Jurisprudentiam tantum non a solio ejus detruserit. Cum enim ab illo tempore in judiciis imperii superioribus ipsi judices contemnerent scripta advocatorum, ut vilia & nullam spirantia eruditionem, nisi plaustra Doctorum ferrent, & stilus germanicus plurimis latinis Doctorum verbis esset immixtus, coacti etiam fuere JCti Germanici, consilia partibus dantes, vel etiam responsa judicibus,

lites protrahendi. Et ego quidem firmiter persuasus sum de responsione affirmativa, atque in ea sententia me confirmat partim, quod apud alias gentes & olim & hodie non inveniam, istum modum sententiam ferendi fuisse receptum, partim, quod experientia testetur, quod ejusmodi rationes ad nihil amplius prosint, quam ut Rabulæ inde occasionem sumant rodendi illas, & eorum sensum cavillandi. Sed scopus præsens non patitur, ista distinctius demonstrare.

bus, ut si non ipsi vellent pro tyronibus haberi, morem istum ineptissimum imitarentur. Testantur assertionis veritatem scripta Mynsingeri, Gailii, Heigii, Pistoriorum, Jacobi Schultesii, Berlichii, aliorumque infinitorum, quos tantum abest, ut taxem, ut potius prudentiam Virorum celeberrimorum laudem. *ddd*) Est enim sapientis indul-

Ac per viros celeberrimos propagata.

ddd) Non quod seria hæc sit mea sententia, sed quod Oratori incumbat, verba sua in factum temperare, imprimis si inter Auditores deprehendantur, non pauci, qui adhuc illo morbo laborant. Ergo quamvis non laudem, excuso tamen. Neque enim agnoscebant stultitiam allegationum illarum, sed putabant, communi tamen errore seculi abrepti, in his allegationibus consistere veram Jurisprudentiam. Sensit hunc communem defectum jam ante quinquaginta annos Thomas Lansius, cujus locus ex *tractatu de Academiis p. 14. seq.* meretur, ut hic apponatur. „Hanc„ supervacaneorum curam, ait, præser-„ tim JCtorum populo familiarem, gra-„ viter insectatur Hub. Giphanius JCtus,„ atque

Verba in factum temperata.

Locus Lansii contra insanas jurium & Dd. allegationes.

indulgere aliquid moribus, etsi insi-

»atque isto malo immania illa & pon-
»derosa volumina & farragines quoti-
»die succrescentes adscribit: & amplius
»affirmat, in hisce familiam hodie du-
»cere *Lud. Schraderum* & *Henricum Rosen-*
»*thal*, quorum hic ingentem commen-
»tarium de feudis divulgarit, eumque
»tamen *Synopsin* non veritus sit appella-
»re; ille non minorem ediderit; at si
»utrique cum alienis detrahantur alle-
»gationes, summaria & indices, justos
»prope commentarios reddi posse. *Gi-*
»*phan. in præfat. ad Partit. Feudales Ritters-*
»*husii.* Ita & magnus Zasius *lib. 2. sing. re-*
»*spons. c. 1. n. 25.* hanc miseram novitiorum
»legulejorum ostentationem increpat,
»qua illi posthabita rei necessitate &
»utilitate in portentosis stultarum alle-
»gationum struibus operose concin-
»nandis luxuriant, & ad quodvis ver-
»bum totas Doctorum centurias ferru-
»minant, quasi pulcrum sit, si intus &
»in tergo plena sint omnia Bartolorum,
»Baldorum, Imolarum, Jasonum, Ale-
»xandrorum, Salicetorum, aliorumque
»id genus Doctorum: quibus nonnun-
»quam ineptissimo placendi studio et-
»iam dupondii Thesium consarcinato-
res

insipientibus, & nimio singularita-
tis

res immisceri solent, qui tamen præ-"
ter numerum nihil prorsus autoritatis"
& momenti conferre possunt. *Adde*"
Anton. Vaccam in Epist. ad Alex. Farnesium"
& Fr. Duarenum comm. de rat. docendi di-"
scendique jurisprudentiam & Muret. in"
Orat. 17. de Doct. offic. & modo jurispr. do-"
cendi. Prudenter & ad hanc rem ap-"
posite Conradus Summerhardtius *in*"
lib. de contract. Ut quid enim etiam, inquit,"
apud Jurium Professores tanta tamque in-"
undans super una re, etiam aliquando"
vulgatissima fit jurium allegatio! quorum"
etiam pleraque cum a casu ipso distantissi-"
ma sint, eundem minime attingunt, atque"
adeo eum a longinquo respiciunt; ut plus"
utilitatis de papyro atque ingenio absumant,"
quam utilitatis ad eundem casum deciden-"
dum adferant. Utilius quidem longe foret,"
quæ tam longinquum & inanem habent"
respectum, rescindere & unum vel duo so-"
lida atque stringentia adducere jura, &"
superfluis concordantiis omissis diutius radi-"
ci decisionis immorari. Viveret hodie"
optimus Summerhardtius, & qua fuit"
animi libertate, minime adulatione" Item contra neglectum juris patrii.
obnoxius multo acrius stringeret cala-"
mum in istam eruditissimam docendi"

 im-

tis ſtudio plus noceat, utilitati publicæ quam proſit.

No-

„imperitiam, qua bene multi Germaniæ „Doctores fere cives & domeſtici tantum ſunt in Roma illa antiqua, in patria vera & domi plane ſunt hoſpites „ac peregrini. In Academiis enim magno Reip. damno malum illud jam pridem obrepſit, in quibus adoleſcentes „nihil fere ex iis, quæ in uſu habemus, „aut audiunt, aut vident: ſed Latinos „& Dedititios libertos, Fuſias & Caninias „& Sentias leges, adoptiones & emancipationes, occupationes (ut ita dicam) idearum Platonicarum, cognationes ſervorum, & ſtatu liberos; in „ſumma mellitos antiquitatis globulos „& omnia dicta factaque, quaſi papavere & ſeſamo ſparſa. Qui inter hæc „nutriuntur, nunquam illi vere ſapere „diſcent. Quin videmus aliquando in „media Germania tam fatuos, quibus „Hiſpanorum ac Italorum conſilia, deciſiones, interpretationes multo potiores eſſe ſoleant noſtratibus. Quaſi „vero in Hiſpania curetur, ſcilicet, quid „ſententiarum Pragæ, Spiræ aut Rotwilæ feratur. Quaſi vero etiam Gailius, „Mynſingerus, Denaiſius & ejusdem monetæ

& allegationes Italorum & Hiſpanorum.

Nostrorum temporum usum quod attinet, etsi in noviore recessu Imperii ordinatum & decretum fuerit, atque injunctum advocatis, ut a tædiosa *eee*) illa allegatione Doctorum abstineant, vix tamen obser- *37. Non obstantibus quibusdam legibus adhuc hodie regnans.*

---

monetæ pauci alii domestici JCti non» debeant nobis esse sexcentis Hispanis» ac Italis multo potiores &c.»

eee) Respicio ad ea, quæ habet Blumius Processf. Camer. §. 12. & 13. tit. 63. p. 443. *Hodie*, inquit, *Advocati & Procuratores in universum in his scriptis nudum factum non articulatim, sed summarie narrare, disputationes vero & allegationes juris omittere debent, quia maximam partem causas tantummodo intricatiores & difficiliores reddere solent.* R. 1654. §. zu dermahliger 96. *Deinde quia datur adversario occasio cavillandi, ac allegatos textus juris & Dd. in sensum plane alienum detorquendi, clientes magnos sumtus in concipiendis ac describendis tam amplis scriptis impendere coguntur, judici infertur tædium ista scripta multis impertinentibus juribus ac vulgaribus regulis, quæ coram eruditis allegare tædiosum est, referta perlegendi, multaque alia incommoda inde oriuntur, prout hoc satis expe-* Locus Blumii.

observare licuit, sanctionem illam fuisse in praxin deductam, nisi forte

experientia docet. Præterea in enarrando facto etiam omne illud, quod in ipso facto causæ parum proficuum, non immiscere, sed sub pœna arbitraria præterire debent, tamen iis ad marginem unum vel plures textus juris aut probatos scriptores allegare permissum est, d. §. 96. *quæ marginalis allegatio tamen non semper, præsertim ab extraneis advocatis observatur, sed hi plerumque textus juris & allegatos Dd. contextui inserere assolent. Denique concessum est, etiam post conclusionem causæ consilia seu informationes juris* (Rechts-Belehrungen) *cum præmissa facti specie & rationibus dubitandi in formam quasi relationis conscriptas exhibere. Ejusmodi consilia vero neque in referendo, neque in votando modum decisionis causæ determinent, nec quoad factum ullo modo attendantur,* præalleg. §. 96. in fin. Sed cum Blumius hic ubique provocet ad Recess. Imperii, melius erit si apponamus verba ipsa d. §. 96. Zu dermahliger gründlicher Abhelff- und Verbesserung deren, bey den Procuratorn, Advocaten und Partheyen, vorgehenden Fehlern und Unordnungen, auch beflissentlich suchenden Räncken und Verportheilungen ihre Partheyen bey

Verba ipsius R. J. 1654. §. 96.

te adversus eos, qui favorem judicis, qui alias secundum commune

bey der etwa in der possession habender strittiger Güter unter währenden Rechts-Stand zu erhalten, ordnen, setzen und wollen wir, daß zu dessen allen Abschneidung und Verhütung die Procuratorn und Advocaten sich künfftig nach Innhalt unserer bereits hieroben in puncto der Klag-Libellen und Responsionen geschehener Verordnung, also blößlich in Erzehlung des Facti und der Geschicht aufhalten, die Disputationes und allegationes juris aber, welche mehrentheils die Sachen nur zu verwirren und schwerer zu machen pflegen, also auch in facto selbsten dasjenige, was nicht zur Sache dienlich, mit einmischen, sondern bey Straff nach Ermäßigung übergehen, jedoch ad marginem einen oder mehr textus juris oder bewährte Scribenten, welche in terminis terminantibus von der Sache schreiben, zu allegiren, wie auch rechtliche consilia und Berathschlagungen mit der vorgesetzten facti specie und den rationibus dubitandi in gestalt einer quasi relation zu übergeben erlaubt seyn, solche consilia aber weder in referendo noch votando Ziel oder Maaß geben, noch, so viel das factum be-

ne proverbium plus valere solet, quam lex in Codice, perdiderant. Et

belangt, einigerley Weiß attendiret werden solle. Scilicet supra *nota bbb*, ostendi, dispositionem antiquam de allegatione jurium in Ord. Cam. de anno 1500 præter obscuritatem multas contradictiones continere, neque illam contradictionem aut obscuritatem sublatam esse in nova Ordin. Cam. per distinctionem inter allegationem moderatam & superfluam. Igitur hoc ultimum monitum agnovisse videtur concipiens *d.* §. *96. in Recessu Imperii 1654.* adeoque ob plures rationes in dicta observatione *bbb.* adductas, omnem juris allegationem simpliciter prohibuisse. Sed & hic ex nimio amore doctrinæ Academicæ communis aut communis consuetudinis hactenus receptæ, vel etiam præsumtive alius, cui ab Imperatore emendatio hujus recessus commissa erat, limitationem de allegationibus in margine ponendis, & de consiliis & responsis juridicis apponendis, addendo, totam dispositionem iterum destruxit. Nam & leges ac autores in margine positi æque operantur incommoda politica ac protractiones justitiæ, quam si ponantur

Iterum contradictoria admittentis.

Et quamdiu adeo in supremis judiciis imperii istud jurisprudentiæ sceleton regnabit, non multum spei superest, ut singuli imperii Status idem extirpare constitutionibus suis valeant, cum quotidiana testetur experientia, quod magis frequentia sint advocatorum scripta, in quibus multa folia jus, de quo *in foro,*

quo

---

tur in contextu. Ut taceam & illud esse notam exiguæ prudentiæ, in illo, quicunque fuerit, qui inseruit libertatem apponendorum consiliorum juridicorum, quod & illa voluerit apponi, & tamen noluerit ea in facto attendi debere, aut in jure decisionem facere. Cui usui ergo erunt, nullo alio iterum, quam ne pereant protractiones justitiæ hactenus per allegationes impertinentes jurium in damnum Reipublicæ Germanicæ longissima consuetudine introductæ. Ergo non mirandum, quod nec hæc dispositio imperii ullum effectum habuerit, aut habere potuerit, semper numero superantibus iis consiliariis, qui piaculum se committere arbitrarentur, si in moribus receptis vel tantillum mutarent.

quo nemo dubitat, probant, factum ipsum, quod probandum erat, non probant, quam eorum, qui debite præmissa facti specie ex principiis vivæ jurisprudentiæ, id est ex verbis & mente legis succincte monstrent judici ejus applicationem ad factum, de quo agitur, probatis iis, quæ momentum causæ faciunt, facti circumstantiis. Imo quid frequentius quam ut partim judices, partim Advocati a collegiis juridicis, ut in conceptione sententiarum & responsorum tales allegationes adhibeant, expressis verbis desiderent? Quid ergo putatis Auditores nobis esse faciendum? An resistemus torrenti? an denegabimus opem nostram moribus ægrotantibus? an ipsis frustra præscribemus leges veræ Jurisprudentiæ? Absit, ut ita sensibiliter impingamus in modo commendatas prudentiæ regulas. Ergo & nos sumimus pecuniam, & mittimus allegata legum & Doctorum in

& collegiis Juridicis.

in Germaniam. *fff*) Scilicet jam ſuperius notavimus, legem ſine ratione eſſe quidem corpus ſine anima, at rationem ſine lege, id eſt torrenti legum & morum reſiſtentem, eſſe animam ſine corpore; At jurisprudentia vera ſuum corpus etiam habet, & jurisprudentia adeo, quæ ratione nititur contra leges & mores, phantaſma vel ſpectrum eſt, aut illi entium claſſi

N ac-

fff) Repete dicta jam in *nota lit. ccc*, circa finem. Plura de allegationibus juris vide apud Beſold. *Theſ. Pract. lit. A. n. 36.* ibique addit. Dietherri *fol. 24. & in contin. Dietherri lit. A. n. 36. fol. 26.* Speidel. *in Spec. lit. A. n. 64. f. 46.* Magenhorſt. *in Comment. ad Ord. Cam. Part. 3. tit. 14. §. 1.* apud Deckerr. *Monum. lect. Camer. p. 300. ſeq.* Quæ hactenus a nota bbb) hucusque annotavi, ſcripſeram ante triennium. Poſtea in *diſput.* anni 1721. menſe Julio *de protractione litis per allegationes legum & Doctorum in proceſſu advocatis permiſſas* alia methodo uſus multa, quæ in iſtis obſervationibus hic legis, repetii, nonnulla tamen hic reperies in dicta diſputatione omiſſa.

Autores alii de allegationibus juris.

accensenda, sub qua Lemures & larvæ locari solent.

SECTIO V.

Tertia species: Spectrum Jurisprudentiæ.

SUMMARIA.

XXXIIX. *Tertia species jurisprudentiæ falsæ, spectrum jurisprudentiæ, ratio legibus adversa. Index eorum, quæ hic dici poterant.* ggg) *usq. ad* ppp)

ggg) *De Fabri rationalibus & reliquis scriptis. Henningi Wittens tradita de Fabro cum additis quibusdam monitis. Excerpta ex Antonii Fabri Jurisprudentia Papinianea ad historiam vitæ & judicium de ejus eruditione formandum facientia. Similia excerpta ex Codice Fabriano. Autoritas magna hujus Codicis, etiam apud Protestantes, etiamsi hos & eorum primos reformatores Faber apertis calumniis maxima affecerit injuria. Ejusdem Fabri consilium de abbreviandis litibus. Excerpta ex Fabri libris conjecturarum juris civilis. Similia excerpta ex Fabri Chiliade errorum Pragmaticorum: ex ejusdem parte secunda, ex parte tertia.*

tertia. Admirator Fabri Schifordegherus. Contra hostis Bachovius. Meum judicium de Antonio Fabro. Cur in proponendo spectro Jurisprudentiæ Rationalium Fabri facta fuerit mentio.

hhh) *Manzii Commentarius rationalis ad institutiones, cum adjuncto judicio: Alia scripta Manzii. Judicium de ipso Manzio. Synopsis controversiæ inter Manzium & Pflaumerum de mitigando rigore creditorum erga debitores calamitate bellica depauperatos. Locus Obrechti.*

iii) *Usus & abusus l. non omnium ff. de LL.*

kkk) *Dissensus JCtorum circa subtilitatem an sit commendanda, an vituperanda. Obscuritas distinctionum communium. Exempla subtilitatum dubiarum. Respondetur inimicis Jurisprudentiæ variis. Genuinus character secernendi subtilitatem stultam a rationali.*

lll) *Cumulatio rationum infallibile indicium falsæ jurisprudentiæ.*

mmm) *Quid hic intelligatur per litigium Salmasii cum JCtis. Judicum de controversia, an in mutuo sit alienatio? Item de modo signandi testamenta apud Romanos. Quid sentiendum de controversia, an dentur antinomiæ?*

nnn) *Bernhardi hypocritica pietas, & odium juris Justinianei. Similis pietas eorum, qui paganorum scripta nolunt a Christianis legi vel æstimari. Seneca, Papinianus, Ulpianus an Patribus Ecclesiæ sint præferendi?*

ooo) *Occasio consilii de introducenda in Respublicas Christianas lege Mosaica, ejusque absurditas & crassæ Papatus reliquiæ, potissimum in causis matrimonialibus.*

ppp) *Æquitatis homonymia, & ejus diversæ species. Æquitatis cerebrinæ definitio. Cur cerebrina dicatur. Ejus frequentia tam in theoria, quam in praxi. Origo ejus & variæ causæ frequentiæ ejusdem. Species ejusdem. 1. vel legislatoria vel consultatoria vel judicialis. 2. Judicialis vel theoretica vel practica. Major libertas Consiliariorum & Doctorum, quam Judicum. Exempla hujus diversitatis. 3. Est vel crassa vel subtilis. Causa præcipua introductæ hujus æquitatis in Papatu. Plures rationes, cur ea adhuc frequens sit inter Protestantes. Fructus æquitatis cerebrinæ. Cura ejusdem quatenus ad Principes pertineat, quatenus ex docentibus præcipue ad JCtos. Media ad eam curandam inepta. Exempla æquitatis cerebrinæ, leges ini-*

quas

quas defendentis, & leges æquissimas oppugnantis.

XXXIX. *Regnavit id spectrum diu multumque jam Lutheri tempore.* qqq)

qqq) *Monita quædam de Seckendorffii historia Lutheranismi.*

ERgo tandem ultimo loco Vobis A. H. phantasma illud & spectrum jurisprudentiæ sisto, de quo multa mihi restarent dicenda, nisi vultus vester me admoneret, melius esse finire discursum, relicto Auditoribus desiderio plura audiendi, quam copia dicendorum nauseam iisdem movere. Quare quæ hic dicenda se offerunt de rationalibus Fabri, *ggg)* de Manzii

38. Tertia species Jurisprudentiæ falsæ, spectrum Jurisprudentiæ, ratio legibus adversa.

Index eorum quæ hic dici poterant.

ggg) Fuit Antonius Faber, ut scripta ejus testantur, JCtus, præstantissimis illius ævi JCtis, Alciato, Duareno, Balduino, Cujacio in plurimis par, in multis superior, unde valde miror, quod nihil de eo annotaverint scriptores, qui alias de præstantissimis JCtis fuere solliciti, ut Morerius, Bailius, Gravina &c. Nihil de eo deprehendere potui,

De Fabri rationalibus & reliquis scriptis.

tui, nisi apud Henningum Witte *in Diario Biographico* sequentia in fine Catalogi eorum, qui anno 1624. obierunt.

Henningi Wittens tradita de Fabro.

Antonius Faber, Gallus, Sebusianus, Baro de Perogres, Præses senatus Sabaudici ætat. 67. scripsit: Conjecturarum libros 20. De erroribus Pragmaticorum & Interpretum juris civilis Tomos 4. Codicem Fabrianum definitionum in senatu Sabaudico tractatarum: De variis debitorum nummariorum solutionibus: Rationalia in Pandectas: Jurisprudentiam Papinianeam ad ordinem Institutionum Imperialium reformatam: Quæstiones Laudemiales: Consultationem de Montisferati ducatu contra Ducem Mantuæ pro Sabaudo: De Religione regenda in Republica.

Cum additis quibusdam monitis.

Unde sciverit Witte, Antonium Fabrum anno 1624. mortuum esse, anno ætatis 67. dicere nequeo. Prius tamen verosimile esse patebit ex infra dicendis de rationalibus Fabri. Neque vidi ejus tractatum de variis debitorum nummariorum solutionibus, neque consultationem de Montisferati Ducatu, certum tamen est, & ostendemus infra, hanc consultationem a Fabro esse scriptam, etsi non statim editam. An quæstiones laudemiales scripserit, dubito, & Franzkius de Laudemiis jam non est ad manus, ut videre possim, an Franzkius Fabri has quæstiones allegaverit.

verit. Id scio, quod Witte in eo valde erraverit, quod hunc Antonium Fabrum dixerit esse autorem operis de religione regenda, cum tamen certum sit, autorem hujus operis esse Antonium Fabrum JCtum Germanum, ut partim ex ejus editione cum notis Ahasveri Fritschii, partim ex confessione ipsius Wittii apparet in Tomo 2. ad annum 1635. p. 44. *Jurisprudentiam Papinianeam* quod attinet, edidit eam Faber jam anno 1607. & in dedicatione inter alia meminit, quod Henricus a Sabaudia Dux Gebennensium prope ante decennium eum (jam inter Senatores Curiæ Sabaudiensis sedentem) Præsidem auditorii Ducatus Gebennensis sine Fabri ambitu esse jusserit, & Renato Fabri filio Præfecturam totius Gebennensis Provinciæ coram testibus decreverit: Item, quod hoc opus Romæ elaboraverit, quo anno insignis illa (quam editioni parare se dicit, sed quam mihi videre non contigit) de hereditate Alfonsi Ferrariæ ducis controversia pro matre Ducis Gebennensium contra Mutinæ ducem in Rota fuerit tractata, cum videlicet in tanta otii copia, quanta plerumque per longiores, sed tamen solidas judiciorum ambages & moras invitus abundaverit, negotium aliquod

Excerpta ex Antonii Fabri Jursiprudentia Papinianea ad historiam vitæ & judicium de ejus eruditione formandum facientia.

quæsiverit, nec honestius aliud ullum invenerit. In Præfatione ad Lectorem exponit scopum scripti, quod videlicet universam jurisprudentiam id est omnes leges, quæ in jure Justinianeo extant, per principia certa & quidem secundum methodum Institutionum Justiniani, non quidem ex Papiniano, sed ad methodum, secundum quam Papinianus ipse Jurisprudentiam didicerit, explicare tentaverit. Vix tamen, dicit, se operi manum admovisse, cum animadverteret, quod fere impossibile sit, ita diligenter ad principia singula referre leges omnes, ut nihil penitus esset in Pandectis, Codice, Novellis, quod vel prætermissum vel neglectum videri posset, inde, pergit, novum consilium ipsi incidisse, solo tamen ausu plane temerarium, si non excusasset temeritatem necessitas, quasi per digressionem *Rationalia* instituendi, ut universo juris corpore non solum lecto relectoque, sed etiam accurate satis ac diligenter explicato facile esset, universa juris principia colligere primum, deinde suo ordine disponere, quæ ex dubitandi decidendique rationibus elicerentur. Etsi vero hoc modo *Rationalia* prius absolvi debuissent, magnitudinem tamen laboris suscepti ei

quasi jussisse, ut post editam primam rationalium partem, dum secundam pararet, audiret, quid docti etiam de novitate hujus jurisprudentiæ sentirent, cum videlicet ætatis ingravescentis aut labantis valetudinis ratio vix pateretur, ut operis utriusque absolvendi spem vel animi saltem cogitatione concipere audeat. Interim & in hac Jurisprudentia Papinianea sistitur saltem liber primus de jure personarum, quem tamen non tantum propter methodi novitatem & multarum legum emendationem & variarum materiarum explicationem, sed potissimum propter tres integros tractatus ibi contentos, videlicet de nuptiis, de adoptionibus, de tutelis commendat. Ipse hic liber primus exhibet volumen satis grande in majore forma quarta 1172. paginis constans. Methodo illa utitur. Retinet singulos titulos Institutionum Justiniani, & ipsas etiam earum doctrinas; additis tamen ex reliquo corpore juris conclusionibus inde deductis, Singuli igitur tituli constant certis principiis, desumtis ex definitionibus, divisionibus aut aliis propositionibus generalibus; Post singula principia sequuntur illationes, & post has etiam confutationes errorum communium Bartoli & simi-

ſimilium, ſed hæ tamen poſteriores ſaltem extant paucæ ab initio operis, poſtea mox omiſſæ ob nimii laboris, ut in præfatione notat, tædium. Forte etiam jam illo tempore cogitare incepit de peculiari opere huic labori impendendo, quod poſtea ſub titulo de *erroribus Pragmaticorum* prodiit. Ut ſpecimen methodi tradam, ſub titulo de juſtitia & jure. *Principium I.* eſt: Etymologia juris: Illatio 1. de præceptis juris, 2. de jure iniquo 3. de jure ſemper æſtimando ex ratione: Confutatio 1. de communi errore an jus faciat, 2. de conſuetudine injuſta, 3. de juris ſubſtantia an opinione conſiſtat, an re. *Principium II.* Definitio juris. Illatio 1. de æquitate & bona fide, 2. de æquitate ante oculos habenda, 3. de utilibus actionibus, 4. de inductis ex æquitate contra juris rigorem ob publicam utilitatem, & de æquitate verborum ut vocant, 5. de Juriſprudentia, arsne ſit, an ſcientia? 6. de æquitate cerebrina, 7. de officio JCti, ut de jure reſpondeat, non de facto, 8. de abſurdis aliquando admittendis ne abſurdiora ſequantur. Confutatio 1. de æquitate ſcripta, 2. de legibus & opinionibus iniquis, 3. de reſcriptis iniquis & lædentibus jus tertii, de plenitudine poteſtatis ordinaria

&

& absoluta, & de jure quæsito per actus juris gentium, aut civilis &c. Ex titulo de J. N. G. & C. *Principium IV.* Definitio Juris Civilis. Illatio 1. de testamenti factione tam activa quam passiva, 2. de jure habendi hæredem ab intestato, 3. de nominibus hæredis & hæreditatis; per eam repræsentari personam testatoris non hæredis; de continuatione dominii in suos hæredes; de possessione defuncti non continuanda in hæredem; de hæreditate conversa in bona vacantia; jus succedendi sive ex testamento sive ab intestato publicum esse, 4. stipulationem & acceptilationem esse juris civilis, 5. de actionibus &c. Et vel ex hoc ultimo specimine apparet, quod Faber jam illo tempore noluerit has institutiones continuare, alias illationes modo dictæ commodiorem locum invenissent in libris sequentibus. Cæterum meminit Faber in dicta præfatione etiam *Codicis Fabriani* ante annum editi. Scilicet ex ipsis dedicationibus & præfatione huic Codici præmissis constat, eas circa finem Novembris 1605. datas esse. In dedicatione ad Carolum Emanuelem Ducem Sabaudiæ causas reddit, cur Codicem hunc suum Fabrianum vocaverit, & non potius Emanuelem, atque simul

Similia excerpta ex Codice Fabriano.

ſimul narrat, quod jam illo tempore præfatus Dux conqueſtus eſſet de tam variis & contrariis in omni pene doctrina juris, Interpretum & Collegiorum ſententiis ac rebus judicatis, ſimul vero ſtudia ſua & operas offert, ſi Dux jubeat, etiam in ejusmodi Codice colligendo, qui nullas contineret ſententias aliis repugnantes, quem poſtea Dux ſub Codice Emanuelis rerum judicatarum publicare poſſet. Hunc Codicem Fabrianum dicit in dedicatione altera ſe compoſuiſſe juſſu Roberti Pobelli, Vicepræſidis in pleno Senatu eo tempore, quo jam ſex *Conjecturarum* libros edidiſſet. Se vero tum novum planeque rudem Senatorem & ingenio non quidem a praxi plane alieno, ſed tamen propenſiore ad edenda ſcripta theoretica præditum, paruiſſe huic juſſui, & intra decennium (quo ſemper Senatui interfuerit, niſi vel a Senatu ad Principem, vel a Principe in hanc vel illam provinciam miſſus eſſet) placita Senatus congesſiſſe & ordinaſſe, ut abſolutum opus putaret, quod tamen poſtea comperiiſſet, vix bene tum fuisſe inchoatum. Tum notat abſurdam methodum eorum, qui illo tempore ſub titulo Deciſionum res judicatas publicare ſolebant, ſimul tamen commen-

mendat Gallos duos, Johannem Lucium & Annæum Robertum. In præfatione ad Lectorem meminit, quod illo tempore etiam hemichilias *errorum pragmaticorum* publicata fuerit, & pars *Rationalium*. Tum excusat se, quod in Codice hoc breviori stilo, quam in scriptis modo allegatis usus fuerit, cum senatoriæ definitiones ejusmodi breviorem stilum desiderassent. Excusat se, quod in Codice hoc pleraque aliter sint definita, quam ipse in reliquis scriptis suis fecerit, quia videlicet in his suam sententiam exposuerit, in Codice sententiam Senatus. Porro, quamvis paululum obscurius, indicat, cur Codex hic non citius in lucem fuerit editus. Scilicet dicit, per lectorem id ei non licuisse, ego credo, per collegas legulejos, quos tamen nominare non audet. Nimirum dicit, ante octo annos potuisse Codicem publicari, sed desideratas fuisse allegationes juris aut potius Glossatorum & Doctorum. Hoc non dissimulat se ægre tulisse, adeoque ex tædio se operam dedisse perficiendæ *Chiliadi* & prosequendis *rationalibus*, vel formandæ *Jurisprudentiæ Papinianeæ*. Jacuisse interim Codicem in pulvere propemodum neglectum, dum videlicet ipse dubitaret, quid decernere debe-

ret,

ret, utrumne illis satisfaceret, qui allegationes istas urgerent, utrum sibi potius, qui tam ignobili labore tantum temporis dare nollet. Tandem vicisse instantias Pragmaticorum (quos occulte quidem sed tamen salse ridet) atque adeo se suscepisse onus hoc una cum onere, tempus aliud confectione summariorum perdendi. Sed & acute, ast iterum salse, fatetur, Codicem hunc continere non pauca contradictoria, quia videlicet contineat sententias ejusdem quidem Senatus, sed non eorundem Senatorum. Ipse Codex retinuit ordinem & titulos priorum novem librorum Codicis Justinianei, & cum tanto applausu fuit exceptus, ut credam vel sex aut pluribus editionibus novioribus eundem fuisse repetitum; cum reliqua ejus opera tantum applausum non invenerint. Et hodienum maxima est hujus Codicis autoritas etiam inter Protestantes, quamvis statim ab initio Faber sub *titulo 1. de summa trinitate* nihil aliud & quidem maximo conatu egerit, quam ut non solum Anabaptistas, sed & Lutheranos & Calvinianos, ut horrendum genus hominum ab inferis ortorum, & nefarios maxime hæreticos, describeret. Nimirum aliquot eorum notas prolixe & per

Autoritas magna hujus Codicis, etiam apud Protestantes, etiamsi hos Faber & eorum primos reformatores apertis calumniis maxima

per modum integræ dissertationis depingit 1. negationes 26. articulorum fidei fundamentalium, & 18. affirmationes totidem communibus fidei articulis adversas. 2. Legitimæ vocationis, qua scilicet prædìti Episcopi Catholici, defectum. 3. Contemtum Ecclesiæ, 4. Conciliorum, 5. Sedis Apostolicæ, 6. Patrum, 7. Studium novitatis, 8. Spiritum dissensionis, 9. & contentionis in interpretatione scripturæ item in articulo de invocatione & intercessione sanctorum, 10. spiritum maledicentiæ, procacitatis, irrisionis & calumniæ. Tum pergit ad caput de principiis hæreseos Lutheranæ & Calvinianæ, ac Luthero potissimum & sub speciali sectione objicit, quod secessum a Religione Catholica secundum propriam confessionem fecerit ex speciali instinctu Diaboli. Porro notat aliquot hæreses politicas Novatorum. 1. Secundum Calvinum Monarchiam esse pessimam Reip. formam; 2. secundum Lutherum peccata omnia æqualia esse. 3. Secundum eundem, non esse præliandum contra Turcas. 4. Calvinum negare, quod leges Principum obligent conscientias subditorum. 5. Eundem docere, quod non debeant subditi Principum suorum potentiam optare. 6. Secundum Lutherum

affecerit injuria.

rum nullam Remp. legibus feliciter administrari. 7. Item nihil conſcientiæ commune eſſe cum terrena juſtitia. Imo Lutherum in eo impudens mendacium dixiſſe contra Principes omnes Chriſtianos, dum eos cum Nimbrotho comparaverit, & robuſtos venatores nominaverit. Porro nec hoc omittendum, quod Antonius Faber etiam de abbreviandis litibus ſerio ſollicitus fuerit, unde Codici huic ſuo *lib. 9. tit. 23.* inſeruit conſilium ſatis prolixum, quomodo Principes per ordinationem ibi præſcriptam 40. articulis conſtantem, poſſint celerem juſtitiæ adminiſtrationem promovere. Pergo ad libros 20. *Conjecturarum Juris Civilis.* Conjunctim editi ſunt anno 1609 antea vero pedetentim eos & ſeorſim ediderat autor. Nam ſex priores libros dixerat jam (in dedicatione Codicis) editos fuiſſe, cum Præſes ipſum adhortatus fuiſſet ad Codicem colligendum. Dedicavit eos Lyobardo Chatelardo, in ſupremo Sabaudiæ Senatu Præſidi tum primario, a quo ſe non ſolum ut cognatum, ſed ut filium hactenus fuiſſe amatum prædicat, àque eo ſibi magiſtrum datum fuiſſe Joh. Antonium Manutium, civilis diſciplinæ in Taurinenſi Academia Profeſſorem, a ſcholis vero reverſum ſe

Ejusdem Fabri conſilium de abbreviandis litibus.

Excerpta ex Fabri Libris Conjecturarum juris Civilis.

ejus

ejus imperio foro addictum & forensibus occupationibus deditum esse memorat. Commendat ibidem Alciatum, Antonium Augustinum, Goveanum, Budæum, Duarenum, Molinæum, Cujacium, Hotomannum, Petrum Fabrum, notat contra Accursium, Bartolum, Jasonem, ac dicit, se jam in scholis operam dedisse, ut novas interpretationes legum a veterum pariter ac noviorum JCtorum sententiis abhorrentes colligeret, ac in diversa capita disponeret, & ordinaret, ea cum intentione, ut eas suo tempore in publicum produceret. Cum vero id jam faciat, pergit, se non sine ratione timere, ne illi, ex quorum de se judicio sua omnino dependeat existimatio, ipsum sint osuri, & contemturi, utpote qui nihil nisi Bartolos & Jasones loquerentur, utpote quorum in forensibus disputationibus hactenus præcipua semper fuerit autoritas. Sed ad hos placandos se hoc temperamento usum esse, ut meditationes suas non sententias aut axiomata vocaverit, sed Conjecturas, & se sperare, eos, quibus sua non placeant, veniam ætati suæ esse daturos, cum annos nec dum quatuor & viginti natus sit &c. Etsi vero hæc prima dedicatio nullam anni aut diei mentionem faciat,

quo subscripta sit, tamen ex hactenus dictis, & si vera sunt, quæ supra de plena Fabri ætate ex Wittio adduxi, colligo, sex hos priores Conjecturarum libros primum opusculum Fabri esse, anno 1590. vel 1591. in lucem editum. Quatuor libros sequentes 3. Cal. Jul. 1594. dedicavit Petro Fabro Regio Præsidi in Senatu Tholosano. Ubi valde gaudet, quod amicus ipsi narraverit, Petrum Fabrum, cum legisset istos priores Conjecturarum libros, dixisse, se gaudere, quod suum Fabrum haberet etiam Sabaudia. Porro de Antonio *Goveano* & Jacobo *Cujacio* ita judicat, quod Goveanus multo feliciore ingenio ad Jurisprudentiam natus esset, sed naturæ viribus nimis confideret, ut diligentiæ laudem sibi non necessariam, minus etiam honorificam putare videretur, Cujacius contra minus lucido præstantique ingenii acumine præditus esset, sed qui assiduo labore ea quoque se assequi posse crederet, quæ solis ingenii nervis parari queunt, *Petrum* autem *Fabrum*, addit, æquare Goveanum ingenio, Cujacium diligentia; ejusque adeo censuræ submittit Faber conjecturas has suas, etiam ubi a Cujacio (Petri Fabri Amico) ipse dissentiat &c. Secundam Conjecturarum

Deca-

Decadem per minores particulas publicavit noster; librum quidem XI. & XII. circa finem anni 1595. sed singulos tamen seorsimque diversis amicis dedicavit. Idem dicendum de libris 13. 14. 15. & 16. quorum singuli etiam diversas dedicationes & data intuitu mensium exhibent, sed tamen prodierunt omnes anno 1597. Non in singulis his dedicationibus occurrunt ad scopum meum pertinentia. In dedicatione libri 13. memorat, multos malevolos ac invidos existimasse, quasi ea tantum sectaretur, quæ ad scholasticas disceptationes pertinerent, neglectis iis, quorum præcipuus usus in foro esset. Quare dicit, sibi primam occasionem datam fuisse cogitandi de edendo *Codice Sabaudico*, in quo labore jam per novem annos continuos quidem, non tamen utiles incubuerit: Durius tamen ipsi esse ac molestius, in aliorum referendis sententiis ingeniosum agere, quam in proponendis suis. Hinc se non contulisse in Codicem opiniones suas, nec de obscurioribus quæstionibus subtiliter disputasse, sed breviter exposuisse, quid in singulis casibus sentiret Senatus: Quæ vero in utramque partem disputanda fuerint, se contulisse partim in libros forensium disputationum

(per quos si forte Faber non intelligat ipsos hos Conjecturarum libros, fateor, mihi id opus plane esse incognitum) partim in decades illo demum anno inceptas errorum pragmaticorum, & ad vicesimam decadem usque jam perductas, sed non nisi post absolutam chiliadem finiendas. In dedicatione libri 16. indicat, se maluisse, hunc librum esse postremum, nisi amici ejus & fautores, quasi chirographum ejus haberent, etiam vigesimum ab ipso expectarent. Addit: Conjecturarum finem nunquam futurum esse, si omnes errores Interpretum juris in hos libros conjicere vellet: occurrere quotidie innumera ejusmodi in ipsa forensi exercitatione, correctione eo digniora, quanto cum majori Reip. damno in tribunalibus, quam in scholis, passim erretur. Sed illa sibi visum esse commodius conferri in decades de *erroribus Pragmaticorum*. Jam pridem etiam se *disputationum forensium libros* aliquot meditatum esse, quorum primus, sequentium index futurus, brevi, ut speret, in lucem sit proditurus, sed ornatiore, ut ipsi quidem videatur, apparatu, quam ut tot ineptiis profligandis ea scribendi ratio accommodata videri possit. (Hæc verba indicant, libros disputationum forensium

rensium esse plane diversos tum a libris Conjecturarum, tum a decadibus errorum, & verosimiliter ob modo indicatam rationem a Fabro mutato consilio non esse in lucem editos.) Itaque rudiore stilo & simpliciore agendum fuisse, ne ostentandi ingenii gratia, magis, quam bona mente pragmaticorum infantiam erudire velle crederetur. Interim dum relegendis augendisque decadibus otium quæsierit, fecisse se etiam, ut posteriores has conjecturas ex iis conflaret quæstionibus, quæ non minus in praxi, quam in scholis & frequentiores essent, & nobiliores, quales in libro hoc 16. sint, de ineunda rei debitæ æstimatione, ac de in litem jurando &c. Libri 17. & 18. Conjecturarum editi sunt, cum Romæ esset Faber, anno 1599. finiente. In dedicatione d. A. Id. Decemb. data memorat inter alia, quod Chiliadis secunda pars avidissime expectetur a multis, sed quod hactenus absolvi non potuerit, partim propter adversam valetudinem, qua statim, postquam in Italiam venerit, laborare inceperit, partim, quod etiam invitis medicis labores ingenii omnes ad tractandam in scripto & pro dignitate litem inter Annam Estensem & Ducem Mutinæ ipsius industriæ commissam,

quam obtenta victoria in volumine justæ magnitudinis se descripturum esse promittit. Addit, quod, quamprimum Romam venerit, cogitare cœperit de Romano jure amplificando, eoque opere absolvendo: interim vero ait, se, dum aliquid expectet, quod ejus de Codicis Sabaudici editione cunctationem perimat, hos duos ex quatuor novissimis Conjecturarum libros se præstare &c. Reliqui duo prodierunt demum anno 1604. Causam retardationis exponit in dedicatione Cal. Februarii illius anni, quod nimirum antea voluerit absolvere hemischiliadem de erroribus pragmaticorum & sua ad Pandectas Rationalia vix tum bene inchoata aliqua ex parte saltem absolvere. Meminit præterea, quod anno præcedente a Principe Sabaudiæ ipsi collata fuerit Professio juris primaria, & quidem cum majori honorario, quam antea Johannes Antonius Manutius, præceptor Fabri, & Jacobus Cujacius, quamvis JCti maximi, acceperint. Sed ætatem, valetudinem, uxorem, liberos & totum rerum suarum statum non permisisse, ut oblatam provinciam suscipere ipsi licuisset, etsi rem ipsi alias gratissimam, cum natura magis inclinaverit, ut totum se scholis daret & stu-

ſtudioſorum ingenia formaret, atque hactenus nihil unquam moleſtius tulerit, quam quod a primis annis foro addictus, ac ita deſiderio ſuo fruſtratus fuerit. Sibi enim ſemper fuiſſe perſuaſum, multo melius de Republica eos mereri, qui jura in ſcholis doceant, quam qui in foro exerceant, propterea quod per illos fiat, ut plures evadant, qui jus poſſint reddere, non vero per iſtos, qui jus reddunt, ut plures fiant, qui poſſint docere. Interim cum jura docere non poſſit in Academiis, ſe deſervire publico, ſcribendo de jure &c. Pergo ad Fabri *Chiliadem errorum Pragmaticorum.* Prima pars ex 25, decadibus conſtans (ut & reliquæ tres) prodiit anno 1598. Dedicavit eam 8. Cal. Dec. 97 Carolo Emanueli Duci Sabaudiæ. Laudat ibi JCtos, quod de Rep. bene mereantur, ii vero omnium optime, qui ad præcepta ſcientiæ addant etiam juris dicendi exercitationem. Qui hoc vero negligant, eos dicit, quidem eſſe juris peritos, ſed non prudentes, niſi novo fortaſſis prudentiæ genere, quæ tota in docendo dicendoque tantum, non etiam in agendo verſetur. Provocat eum in finem ad exempla multorum JCtorum in tradenda diſciplina juris ne Papiniano quidem inferiorum,

Similia excerpta ex Fabri Chiliade errorum Pragmaticorum.

qui tamen, si ad praxin deveniendum fuerit, vel de minima re interrogati obmutuisse aut tam inepte respondisse memorentur, ut rudioribus pragmaticis præbuerint se ridendos. Quemadmodum igitur theoria sine praxi aut nullius aut præexigui usus sit, ita nihil reip. perniciosius esse, quam si per eos, qui res forenses tractant, praxis a theoria sejungatur; esse enim morem solennem ejusmodi practicorum, ut, sive delirent, sive recta sentiant, omnia referant ad æquitatem, quam pro arbitrio sibi fingant, ut magni non juris tantum, sed quod etiam in jure præcipuum est, æquitatis arbitri existimentur, quorum inscitiam sicut detegere facile, ita negligere expeditum esset, si non eo maxime hominum genere toto terrarum orbe tribunalium fere omnium subsellia undique redundarent, iisque nihil familiarius sit, aut antiquius, quam ut inveteratos pragmaticorum errores pro certissimis legibus obtrudant, a quibus in judicando & consulendo recedere putent non oportere. Id se semper moleste tulisse tunc tamen multo molestius, cum, jussu Ducis, Juridici majoris dignitate apud Sebusianos honestatus, judicandi munere, quod in eum usque diem illa una potissimum ratione

ne recusasset, fungi cœperit: Occurrisse enim quotidie, ut vel contra Pragmaticorum errores receptissimos judicandum ipsi fuisset, vel cum cœteris ineptiendum. Postea vero, cum per triennium integrum eo munere utcunque perfunctus & in amplissimum ordinem Patrum cooptatus esset, eam in judicando sententiam sequentium, quæ a jure scripto Romanisque legibus minus abhorreret, cœpisse se ex eo fere tempore de tot ineptiis tandem prodendis cogitare; interim ut hoc opus tam cito aggredi non potuerit, impedimento fuisse partim collectionem Codicis Sabaudici, brevi, ut speret, in lucem prodituri, partim tot prioribus additos Conjecturarum libros, quibus ad minimum id assecutus sit, ut jam non desint, qui putent, ratione non carere prorsus sententiam, quæ Fabrum habeat autorem vel assertorem. In ipsis vero erroribus Pragmaticorum detegendis se tanta animi contentione & alacritate manum admovisse, ut prius de Chiliade, quam de prima decade scribenda cogitaret. Hoc in studio quinque & viginti decadibus intra menses aliquot negligenter fortasse magis, quam feliciter absolutis, omnem fere tam longi operis unquam absolvendi spem ab-

ſciſſam fuiſſe, cum Gebennenſium Dux eum in Concilii ſui Præſidem ſalva ſenatoriæ dignitatis purpura e Senatu evocaſſet. Igitur, dum meliora expectet tempora, viſum ſibi eſſe, hanc primam Chiliadis partem præmittere. Addit in fine: *Veniet tempus illud, ſi bene præſentio, veniet aliquando, cum tot Advocatos, tot Judices pudebit, in alienis erroribus tamdiu perſtitiſſe, & de clientum ſuorum fortunis omnibus, vita etiam, adeoque exiſtimatione, tam ſæpe ſub autoritate juris ſcientiæ vel æquitatis, imprudenter licet potius, quam doloſe, injuriam pro jure reddidiſſe.* Adjectæ ſunt dedicationi gratulationes Carminicæ duorum filiorum, Renati, & Claudii, & Fratris Franciſci, Fabrorum. Porro cum hactenus excerpta ex dedicatione primæ partis ſatis doceant, cur Faber in continuando labore impeditus fuerit, non mirandum eſt, quod ſecunda Chiliadis pars demum anno 1604. fuerit edita. Alias addit autor in dedicatione ad eundem ducem Sabaudiæ, quod videlicet interim *Rationalia* & quatuor *Conjecturarum* libros ediderit, & multas ac fere continuas a ſex retro annis per Galliam & Italiam peregrinationes peregerit, item, quod ſuperiore quinquennio ingentem ſanguinis e ſtomacho dejectionem bis paſſus,

Ex ejusdem Parte ſecunda.

passus, (semel in Italia, iterum domi) non solum intermittere studia per tempus aliquod, sed omnem etiam fere scribendi in posterum curam deponere coactus fuerit, si modo plus apud ipsum imperia medicorum & amicorum preces, quam vetera ejus de libris juris bene merendi vota valuissent; & ob hanc rationem etiam se coactum fuisse, ut anno superiori oblatam juris Civilis in Taurinensi Academia professionem suscipere non potuerit. Tum de fatis primæ partis quædam memorat: placuisse non modo conatum sed & opus pene omnibus, quos schola & quos forum exercet, adeoque supremas plerasque Curias in emergendis ex facto quæstionibus decidendis sua jam autoritate comprobasse non pauca ex iis, quæ ab ipso non tam innovata, quam revocata fuerint. Esse tamen aliquos, qui non solum opiniones ejus damnent, sed ipsum etiam propositum reprehendant, nec dissimulent, quod velint contra ipsum scribere novas Chiliades errorum Fabri: atque hos delicatos non tam male habere, quod opiniones has ut erroneas refutaverit, sed quod in titulo *errores Pragmaticorum* appellaverit, ergo non de re litem esse, sed de nomine; atque

atque hos homines ipſum haud dubie blaſphemiæ reum clamaturos fuiſſe, ſi *nugas* dixiſſet aut *ineptias*: Per *Pragmaticos* autem ſe non intellexiſſe omnes, & inter eos multos eruditiſſimos, ſed ſaltem imperitiores &c. Tertia pars Chiliadis dedicata eſt eidem Duci Carolo Emanueli 15. Cal. Sextil. 1608. ubi cauſas exponit Faber, cur tamdiu hæc pars ceſſaverit, nimirum ob publicationem Codicis ſui, & Jurisprudentiæ Papinianeæ, quam dicit tam avide a juris ſtudioſis omnibus exceptam eſſe, ut plerique non modo ex tyronibus, ſed etiam ex eruditioribus magnum aliquid ab ipſo eo munere conſecuti ſibi eſſe viderentur. Acceſſiſſe minus firmam valetudinem & frequentes multorum conſultationes ex remotis etiam provinciis, & honorificas ſed tamen importunas flagitationes, quibus etiam ſatisfaciendum fuerit, quod utique æquiori animo ferret, ſi non majore ex parte reſponſa illa Gallico idiomate conſcribere debuiſſet, aut, ſi tanto abundaſſet otio, quanto eſſet opus ad ea in latinum transferenda, ut etiam publice prodeſſe poſſent, ita enim ſe habiturum eſſe *Conſiliorum* volumen integrum juſtumque brevi edendum. Cum vero ipſi tam felici eſſe non liceat, inde

Ex parte tertia.

id

id sæpe ei contingere, ut eorum conditionem primum beatam prædicet, mox invideat, quibus datum sit, ut vel juris publice & ex cathedra docendi, vel in amplissima aliqua civitate de jure respondendi peritiam profiteantur, & quibus adeo illud unum felicissime obveniat, quod iisdem sudoribus & vigiliis assequantur, non solum ut quantumlibet vastam avidamque crumenam expleant, quod parum certe curandum esset ei, quem ad hunc usque diem fecerit nil nisi spretus opum numerosa in prole beatum, sed, quod utrumque longe majus quiddam sit, ut & publico muneri satisfecisse, & hoc ipso quanquam aliud agentes, aut lecturarum, ut loquantur, aut consiliorum tomos integros & quam plurimos dictasse inveniantur. Sibi vero quamvis non prorsus infeliciter, in contrarium tamen sic rem cessisse, ut quotidiana illa sua practicarum exercitationum impedimenta, verius, quam studia non minus aliena sint ab iis, quæ docenda scribendaque susceperit, imo forte alieniora, quam si ad artem medicam, vel ad Mathematicas tractandas pertinerent &c. In dedicatione Partis 4. ad eundem Sabaudiæ Ducem circa finem anni 1614. gratias agit Faber Duci,

Ex parte ultima.

Duci, quod ipsum ante quadriennium in supremi Senatus Sabaudici Præsidem ordinarium, ultro & nihil minus cogitantem promovere voluerit, imprimis, cum ipsi hoc pacto cum dignitate simul ipsa propemodum summa rerum commissa fuerit, & quidem illis temporibus, quibus ex Henrici IV. Galliarum Regis horrenda nece toti Europæ magna imminuerit rerum omnium perturbatio. Gratias etiam agit, quod Dux simul filium suum Renatum in senatorium ordinem cooptare voluerit. Hoc pacto vero, addit, absolutionem Chiliadis non potuisse citius promoveri, propter quotidiani muneris continuam exercitationem, & quod per annum fere integrum de conscribendo exercitu, & de paranda militari annona sollicitus esse debuerit. Meminit etiam, multas ipsi conflatas esse ex dignitate invidias, multa contracta immerenter odia, multas undique excitatas calumnias, quæ omnia ipsi multum temporis de necessarii ad scribendum otii festinatione & dulcedine detraxerint. Accessisse plurimas consultationes pro externis Principibus jussu Ducis confectas, & potissimum anno præcedente consultationem *de jure Ducis Sabaudiæ in Montisferrati Ducatum*, & varia itinera eum in finem suscepta:

simul

ſimul tamen meminit, quod modo memorata conſultatio expectet, ut juſſu Ducis typis publicetur. Addit, ſe toto fere quadriennio præcedente filios ſuos juniores in ſcientia Jurisprudentiæ Papinianeæ quotidie erudiviſſe, cæterum lubricum & incertum nutantis valetudinis nullum fere ſpei locum ſibi relinquere de abſolvendis Rationalibus aut de *Papinianea Jurisprudentia* perficienda: interim ſe in quarta editione *Codicem* plus quam quingentis ſenatusconſultis auxiſſe, item ſe mox *Rationalia* in ſecundam Pandectarum partem editurum eſſe promittit. Denique monet, quod in tres priores rationalium partes tantum ea contulerit, quæ ab interpretibus & pragmaticis ignorata crediderit; in hanc vero ultimam partem nihil fere, niſi ea, quæ ipſe antea ignoraverit, &c. Pergo ad ipſa Rationalia Fabri. Quid eum impulerit ad ea ſcribenda, jam ſupra docui, in excerptis ex ejus *Jurisprudentia Papinianea*, etſi prima pars eorum ad primam Pandectarum partem ſeu priores libros quatuor, ut jam ibi monitum, edita fuerit ante ipſam Jurisprudentiam Papinianeam, ſcilicet anno 1604. In dedicatione ad Imperatorem Rudolphum deplorat miſerrimam Jurisprudentiæ civilis Romanæ iſtis

Excerpta ex Rationalium Fabri parte prima.

istis temporibus conditionem, confusionem, incertitudinem, barbariem, Bartoli & Baldi asseclis imputandam, & inde ortas opiniones communes, communiores, & communissimas; Hanc vero putat commode emendari & tot errores profligari posse, si jus Romanum & Justinianeum ex principiis JCtorum Romanorum, quorum ignorantia laboraverint Glossatores, breviter & perspicue exponeretur. Hinc se dedisse operam, ut singulis legibus Pandectarum (imo singulis legum paragraphis) apponeret breves & dilucidas rationes dubitandi & decidendi &c.

Ex parte secunda. Ab eo tempore usque ad annum 1618. quieverunt Rationalia Fabri, quo demum eorum pars secunda ad secundam Pandectarum, partem id est librum quintum usque ad undecimum, edita fuit. In dedicatione ad Caroli Emanuelis, Ducis Sabaudiæ filium, Mauricium, Cardinalem, commendat Jurisprudentiæ Romanæ divinitatem & sapientiam, atque JCtorum Romanorum prudentiam cum oraculis & naturæ miraculis comparat: contra vero Legulejorum sui temporis impudentiam, literarum humaniorum, Philosophiæ, principiorum juris ignorantiam deplorat, & quod nonnisi in Pragmaticorum & vulgarium inter-

interpretum erroribus, ac nescio quibus brocardicis, sint versatissimi, atque sic jura in se certa faciant incerta & arbitraria & ita jurisprudentiæ illudant. Hinc se impulsum esse, pergit, ut a Rationalibus continuandis per aliquot annos abstineret, & interim *Conjecturarum*, & *Errorum Pragmaticorum* libros ederet, his vero editis Rationalia continuaret, inprimis cum sensisset, hanc continuationem a multis fuisse desideratam, addens rationem, cur ob difficultatem maximam Jurisprudentiam Papinianeam derelinquere coactus fuerit. Anno 1624. Calendis Januarii dedicavit Faber Rationalia ad Partem tertiam Pandectarum iterum ipsi Duci Sabaudiæ Carolo Emanueli, ubi inter alia meminit, ipsum Ducem Sabaudiæ suasisse Fabro, ut primam partem Rationalium Imperatori dedicaret, ut videlicet Fabro eorum continuatio, *propositis*, sunt ipsa verba Fabri, *etiam tanto labori præmiis, LIBERALITATEM Cæsaream arguentibus, injungeretur. Cujus enim magis, quam Cæsaris intererat, ut jus Romanum tot legibus, SCtis, Plebiscitis & Principum constitutionibus constitutum, totque vigiliis & lucubrationibus auctum ad eam usque excresceret & dignitatis & pulchritudinis magnitudinem, ut nihil ei adjici*

Ex parte tertia.

posse videretur. Nec sane tantus Imperator, quantus Rudolphus fuit, erga literas & literatos omnes propensissimus, aliter facturus fuisse credendus est. (Sed ecce quam inexpectato spes Fabri de *præmiis* & *liberalitate* Cæsarea decepta fuerit, sic enim pergit:) *nisi pessimo meo fato accidisset, ut sub idem tempus, quo Celsitudinis tuæ Orator Illustriss. ad aulam Cæsaream missus est, & primam illam Rationalium partem exhibere jussus, magnus imperii Cancellarius, ad quem scripseram, ut dedicationis hujus meæ intercessorem se præberet, ab aula recedere coactus explendi officii facultatem prius quam voluntatem amisisset. Ita effectum est, ut ne illud quidem scire unquam potuerim, an vel ipsum Rationalium, ne dicam Antonii Fabri, nomen ad tanti* (& tam liberalis) *Imperatoris aures pervenerit. Adeo infeliciter successit mihi tam præclarus conatus, & quod magis doleo,* (forte scribere voluit Faber, *spes frustrata præmii & liberalitatis,* sentiens tamen, quod hoc pacto multorum lectorum risum excitaturus esset, emendavit, & loco eorum verba sequentia scripsit:) *toti etiam Jurisprudentiæ, cui Imperatoris approbatio ac benevolentia non minus ornamenti allatura erat, quam mihi honoris & gratiæ, si res fœlicius cessisset.* Porro occasione dedicationis partis secundæ Rationalium memorat, Cardi-

nalem Ducis filium illo circiter tempore a Duce tractandi alicujus matrimonii causa, una cum Episcopo Gebennensi Francisco de Salles ad Regem Franciæ missos fuisse comitante Fabro: ubi simul alterum affectum in animo suo dominantem his verbis exprimit: *Nec possum dissimulare (quamvis facere fortassis esset modestius) quanta me voluptatis & gloriæ titillatio exceperit, cum celeberrima illa pompa, quæ Cardinalem amplissimum in amplissimam Parisiorum civitatem vidit introeuntem, cum ter maximus ille Episcopus & ego in eadem Rheda essemus, mihique contigisse idem fere, quod olim Plinio juniori, qui in spectaculis adsidens Cornelio Tacito, nunquam majori laude perfusum se aut delectatum gloriatur, quam quod omnium digitis ostenderetur, tanquam qui vel ob id unum vir maximus esse deberet, quod tanto viro tantopere familiaris esset, & dignus judicatus, qui in ejus amicitiam adsciscere-tur. Quotus enim quisque erat in tanta spectantium copia (de iis intelligo, qui de Theologia aut Jurisprudentia aliquid audivissent) qui transeuntibus nobis non acclamaret, digitisque notaret: Ecce Gebennensem Episcopum, Theologiæ totius & Theologorum nostri temporis omnium Coriphæum; mox: Ecce quoque FABRUM PRÆSIDEM, tot librorum patrem; tanti etiam*

Episcopi, affectione & incomparabilis amicitiæ magnitudine fratrem &c. &c. *Etsi vero non eram adeo mei nescius, ut quam longe a laudibus istis distarem, non intelligerem, juvabat tamen, quid alii de me sentirent, intelligere, ut qualem esse me dicerent alii, talem me præstarem, si possem,* &c. *Auxit opinionem meam & ex opinione voluntatem, quod sequenti die, cum salutandi regis gratia in Regiam condescendissemus, Rex ipse ab amplissimo D. de Silery, Cancellario, qui tum aderat, admonitus, ut me, ad genua provolutnm attentius intueretur, ad Cancellarium conversus, mox fixis in me unum oculis: Hic ne FABER est, DE QUO TAM MULTA? Nam quæ Cancellarius de me dixerat, etsi vere comperta habeo, nolim tamen referri, ne aut minus vera videar dicere, aut agnoscere veriora, quam modestia patiatur.* Paulo post gloriatur de Nicolai de Verdun Præsidis Curiæ Parisiensis favore & sui æstimatione. *Is enim fuit, qui lectis perlectisque libris meis, fortassis omnibus, præsertim vero Chiliadibus & Rationalibus tantam de me scriptisque meis opinionem non modo concepit, sed etiam aliis omnibus, quibuscum ipsi de me sermo, insinuavit & infixit, ut si plus ipsius judicio tribuerem, quam meo (quod tamen me facere par esset) credere deberem, majus aliquid me in Jurisprudentia nostra asse-*

assecutum esse, quam credant etiam ii, qui tam amice aut potius gratiose de nobis sentiunt, ut nobis comparent paucos, anteponant fortassis neminem. Uti autem ex hactenus dictis patet, quod tempus istud legationi impensum impediverit elaborationem tertiæ Partis Rationalium; ita etiam simul notat, quod idem factum fuerit per adversam valetudinem per integrum fere biennium continuatam. Accedere etiam, quod in hac parte Pandectarum tertia a libro 12. ad librum 20. subtilissima & difficillima Condictionum & contractuum materia comprehendatur; nec defuisse alia impedimenta, partim eorum, qui laudis Fabrianæ invidi contra ipsum ex professo scripserint, non tam, ut opiniones ejus convellerent, quam, ut ejus in scribendo diligentiæ remoram injicerent, inter quos meminit maleferiati cujusdam, quem non nominat, qui contra Fabrum ausus fuerit scribere *Benedictorum* libros quatuor, in quibus tamen nihil, nisi maledicta reperiantur; partim, quod sub idem fere tempus allatum ipsi fuerit responsum Mantuanorum ad ejus *de Montisferrati Ducatu Consultationem*, editum. Denique omnium infelicissime illud cecidisse, quod eodem tempore, quo & absolvi hæc

pars rationalium debuerit, & *Ejus ad Mantuanorum responsionem Replicatio* concludenda fuerit, nova ipsi satisque periculosa valetudo subierit, quæ omnem ei non modo scribendi, sed etiam legendi aut relegendi licentiam eripuerit, & quod charissimæ uxoris jacturam fecerit, quæ & valetudinis suæ tantam gesserit sollicitudinem, ut quicquid ipsi ab annis duodeviginti (quibus matrimonium istud feliciter constiterit) vitæ aut sanitatis reliquum fuerit, id unum uxori post Deum accepto referre debeat, valdeque timeat, ne in posterum, ut vivendi, ita scribendi opportunitate destituatur. Nec ideo tamen animum despondere potuisse, non solum ut tertiam hanc partem tandem absolutam in publicum daret, sed etiâm ut *quartam* quoque inchoandam cogitaret &c. Interim propter amplitudinem dicendorum coactus fuit Faber hanc tertiam Rationalium partem in tribus distinctis Tomis publicare. Horum primus librum 12. & 13. secundus (vel intuitu totius operis quartus) librum 14. 15. 16., tertius (vel quintus) librum 17. 18. 19. quoad singulas leges explicat. Dum vero pars hæc rationalium tertia edebatur, moritur Faber. Post mortem ejus Aurelianæ anno 1631. in

in peculiari Tomo publicatæ fuere reliquiæ rationalium Fabri, ut reliquorum appendix, exhibens ex *quarta* Pandectarum parte rationalia ad libri 20 pandectarum tituli primi de pignoribus & hypothecis leges priores 11. & quidem in d. leg. 11. saltem ad priores duos paragraphos, & ex *quinta* parte ad libri 28. titulum primum, qui testamenta facere possunt, & ad tituli secundi de liberis & posthumis hæredibus instituendis leges octo priores & legis nonæ principium. Cæterum uti Faber inimicis non caruit, ita habuit etiam admiratores, quos inter præcipuus esse videtur Gasparus Schifordegherus Silesius, qui anno 1610. Oppenheimii librum primum & secundum, & anno 1613. Francofurti ad Mœnum librum tertium Disputationum forensium ad Antonium Fabrum edidit, in quarum plurimis doctrinam & sententiam Fabri contra adversarios defendere intendit. Plura ad amicitiam Schifordegheri & Fabri imo & ad ipsam vitam Antonii Fabri pertinentia, peti possunt ex Epistolis Schifordegheri ad Antonium Fabrum anno 1608. Kalend. Novembr. Fabri ad Schifordegherum 10. Cal. Martii 1609. Schifordegheri ad Johannem Rulandum Feriis Archangeli 1609. &

Admirator Fabri Schifordegherus.

iterum ad Antonium Fabrum VI. Id. Octobr. 1611. quas invenies ante memoratas Disputationes Forenses Schifordegheri. Contra inter Germanos maximus Fabri hostis fuit Reinhardus Bachovius, ut vel ex sequentibus verbis ejusdem in præfatione commentarii ad primam partem Pandectarum 1630. patet. *Indignatio*, inquit, *fere me impulit ad hanc scriptionem. Vulgavit Antonius Faber ante 20. annos rationalia sua, quæ nimis æstimari & magni fieri & a studiosis, & ab aliis doctissimis viris sæpe miratus, sed & indignatus sum, cum quivis mediocriter doctus hoc præstare & rationes dubitandi, quæ sæpe frigide & inepte a Fabro adducuntur, & decidendi consarcinare possit. Et mihi hoc opere non tantum cum Fabro contendere, sed eum quoque superare propositum esse profiteor. Neque quisquam superbius hoc dictum, aut improbam hanc æmulationem esse putabit, qui cogitabit, me & ab initio, ex quo ad studium juris animum applicui, & postquam ante unum & triginta annos Doctor Juris creatus sum, studium, quod vocant Theoricum, pertinaciter pene tractasse: Antonium autem Fabrum, quod de se ipse fatetur, quasi a prima juventute tractandis & decidendis forensibus causis fuisse occupatum. Nibil ille præter ingenium attulit ad scribendum, judicium, curam &*

Contra hostis Bachovius.

limam

limam non adhibuit, ut verissime hic usurpari possit illud, scripta alia habere famam, alia mereri. Et ita enim felici fato fuit ille homo, ut, quaecunque etiam cruda & pene inepta in publicum protrusit, & magno quidem cum fastu, a studiosis, vel opinionis errore deceptis, aut solo pruritu novitatis acciperentur. Et in Conjecturarum libris, *quos primum edidit, passim foedi occurrunt errores, praecipue vero in prioribus sex nihil usquam est sani. Quid sentiendum sit de opere, quod scripsit* de erroribus Pragmaticorum, *exercitationes nostrae, quas partim vulgavimus, partim, volente Deo, propediem in lucem dabimus, docebunt. Hoc opere simul & illud praestare visum fuit, ut primam partem Rationalium Fabri sub censuram vocaremus, sed sine acerbitate, ne cum larvis luctari & mortuo insultare velle videremur: studiosos autem admoneri & errores detegi & confutari publice interesse existimavimus* &c. Unde & in titulo hujus commentarii Bachoviani notatum fuit, *adjectas esse ubique castigationes in rationalia Antonii Fabri.* Plura de Bachovio, Antonio Fabro, Schifordeghero annotavit ill. Gundlingius *Otiorum Parte I.* potissimum §. 5. & 8. ubi & alia scripta Bachovii adversus Antonium Fabrum recensentur. Me quod attinet, Antonium Fabrum valde aestimo, & in pluri-

Meum judicium de Antonio Fabro.

plurimis Bachovio præfero. Admiror ejus diligentiam & labores in edendis suis operibus, in mediis aliis laboribus plurimis, adhibitam; Laudo ejus ingenium, judicium, patientiam erga adversarios, & quod cum iis rixari noluerit. Optarem, ut laudes suas non ipse ebuccinasset, (ut paulo ante ex præfatione ad Rationalium partem tertiam excerpsi) easque inter alia etiam in hæretificatione Evangelicorum non affectasset, (qua de re supra occasione Codicis Fabriani plura memoravi.) Etsi vero Faber in libris Conjecturarum, Errorum Pragmaticorum, Rationalium ad Pandectas non omnia ubique acu tetigerit, sed quoad non paucos locos dissentientium opinio magis in recta ratione fundata esse videatur; interim facile excusabunt Fabrum ejus alii labores, & quod tantam curam & meditationem adhibere scriptis suis non potuerit, quantam adhibere possunt Professores Academici. Nec diffitendum est, eum inter Humanistas sui temporis esse unum ex præcipuis, qui barbariem Glossatorum tum temporis adhuc in Europa dominantem oppugnarunt & suppresserunt. Memini, nescio a quo, mihi narratum esse, Franzkium valde amasse & in succum & sanguinem

redegisse Rationalia Fabri in Pandectas: & inter alias causas hanc esse præcipuam, quod Franzkii Commentarius ad Pandectas ultra librum 21. Pandectarum non procedat, cum Fabri Rationalia saltem tres priores Pandectarum partes exposuerint: & cum subsequentes JCti, ut v. g. Struvius, Lauterbachius &c. qui Synopses Pandectarum ediderunt, Franzkii commentario ad Pandectas passim usi fuerint, quod & hi prolixiores esse soleant in prioribus istis Pandectarum libris, quam in subsequentibus. Quod tamen aliis dijudicandum relinquo. Id optarem, cum a JCtis in Germania hodie maxime æstimari & in majore autoritate esse soleat hic Codex, quam ipse Faber intuitu reliquorum scriptorum ei tribuit, ut aliquis ex Protestantibus JCtis calumnias Fabri in primo statim titulo illius Codicis contra Protestantes abundantissime effusas & supra summatim excerptas, tandem aliquando brevi dissertatione perspicue refutaret. Quod autem in proponendo falsæ Jurisprudentiæ specie, quam spectrum Jurisprudentiæ vocavi, statim ab initio mentionem Rationalium Antonii Fabri fecerim, non ideo factum, ut Antonio Fabro hanc falsam Jurisprudentiam tri-

Cur in proponendo spectro Jurisprudentiæ Rationalium Fabri facta fuerit mentio.

zii Commentario rationali in Instituta, *bbb*) de abusu & usu genuino legis:

tribuerem, tantum abest, ut eum quasi pro ejus autore præcipuo habeam, sed ut ejus Jurisprudentiam erudite ratiocinantem aliis JCtis, ut v. g. Manzio, rationes legum non cum selectu, perspicuitate, & ingenii acumine proponentibus, sed absque judicio easdem cumulantibus & in maxima copia confuse evomentibus & eructantibus, opponerem &c.

Manzii commentarius rationalis ad institutiones, cum adjuncto judicio.

bbb) Edidit Caspar Manzius Philosophus & JCtus primo Dillingensis, deinde Ingolstadiensis, jam ante 80. annos Commentarium prolixum in Institutiones primo in forma quarta, postea in folio impressum, in quo sibi proposuit, tradita non solum in singulis paragraphis sed & in singulis paragraphorum versiculis certis regulis includere, & rationibus ac rationum rationibus easdem illustrare. Et memini, cum prope ante quinquaginta annos inciperem jurisprudentiæ operam dare, professorem Lipsiensem, cujus collegia tum frequentabam, in lectionibus publicis ad titulum de R. J. auditoribus suis in calamum dictasse explicationem illarum regularum, &

legis: non omnium dari posse ratio-

& in illis explicationibus perpetuo inculcasse non solum rationes, sed & rationum rationes, imo nonnunquam rationum, rationum rationes, eademque methodo etiam usum esse in adjunctis ampliationibus & limitationibus regularum juris. Atque hæc methodus pro ingenua simplicitate, qua tum temporis adhuc eram infectus, tantopere mihi placebat, ut in illo Doctore maximam fiduciam ponerem, atque eundem consulerem, quinam commentarii ad institutiones mihi essent evolvendi. Laudabat conatum meum præceptor, & duos saltem commendabat præ reliquis, Harprechtum ac Manzium, inprimis autem Manzium, quia hic etiam rationes & rationum rationes maxima cum diligentia expositionibus singulorum paragraphorum immiscere esset adsuetus. Cum igitur Manzium ipse inspexissem, & cumulationem illam rationum ibi deprehendissem, maximo desiderio petebam a beato Patre, ut Manzium in mei usum emeret. Verum ille, me & Doctore meo prudentior, nolebat petito meo satisfacere. Paulo post alium Doctorem, Gotho-

fredum

fredum Schilterum nactus, ex ipsius discursu maxime erudito & vere rationali incipiebam pædantismum rationum, absque judicio cumulatarum, perspicue cognoscere, & cum postea anno 1676. Francofurti ad Oderam studiis operam navarem, & Facultas Juridica mihi gratiose concessisset lectiones privatas in Institutiones in usum auditorum selectorum, memini, Manzium mihi non parum profuisse. Quodsi enim conversatione amica impeditus fuissem, (quod pro more juvenili non raro fiebat) ut meditando super intellectu & explicatione textus me debito modo non potuissem præparare, arripiebam Manzium, & vel semihorulæ spatio istius rationes & rationum rationes perlegendo, tot ineptias ibi, genuinis explicationibus admixtas, deprehendebam, ut earum ostensio & sensibilis demonstratio vel duarum horarum aut lectionum spatium requireret. Nimirum diligens erat Manzius & ingenio ac memoria insigni præditus, sed judicio fere destitutus. Accedebat præjudicium autoritatis illo tempore ubique, potissimum inter Pontificios, maxime dominans, & quod Manzius magis amaret Glossatores, quam Humanistas, adeoque Antonio Fabro longe

longe postponendus esse videatur. Scripta Manzii ipse recensuit in dem Wiederhall wieder D. Pflaumern, ex qua recensione patet, quod etiam *Ludovici Granatensis Philosophiam Christianam, juxta mentem suam ad disputandum, meditandum & concionandum accommodatam* ediderit, & in titulo seipsum non solum JCtum sed & Philosophum & quidem Christianum appellaverit, (atque sic sequentibus etiam inter Protestantes ejusmodi Philosophis Christianis, v.g. D. V. A. & similibus laudabli exemplo præiverit.) Ejusdem ponderis videtur etiam fuisse aliud Manzii scriptum, scilicet *judicium super illa quæstione: an possit dari melior & pietati Christianæ conformior modus docendi philosophiam, quam sit vulgaris?* Præterea edidit plures tractatus juridicos eosque (ut commentarium ad instituta) totos rationales, qui ibi videri possunt. Breviter: Fuit JCtus sui temporis celebris, & Bartolo, Baldo, Accursio, Jasoni &c. si non præferendus, saltem non postponendus. Cæterum quanta fuerit ipsius jurisprudentia rationalis, & pietas Christiana, vel ex scriptis ejus Anti-Pflaumerianis, quilibet sensu saltem communi præditus palpare potest. Unde non injucundum forte lectori erit, si historiam il-

Alia scripta Manzii.

Judicium de ipso Manzio.

lius

lius controversiæ breviter & perspicue recenseam, inprimis cum in scriptis utriusque partis multa deprehendantur profutura iis, qui plures circumstantias ad curriculum vitæ & genium Manzii pertinentes colligere cupiunt. Res sic se habet. Cum Manzius adhuc Consiliarius Aulicus Augustanus & Professor Dillingensis esset anno *1636.* edebat *Patrocinium Debitorum calamitate belli depauperatorum*, in quo scripto defendebat prolixe, rigidos processus adversus ejusmodi debitores cessare debere, nec amplius debitores incarcerandos, aut ad operas serviles aut manuales, aut ad cessionem bonorum, vel eorum dationem in solutum, esse adigendos, sed beneficium competentiæ ipsis esse concedendum. Eadem sententia etiam ab aliis JCtis anno 1638 & 1640 fuit defensa. Hæc vero doctrina cum rigorosis creditoribus nequaquam placeret, in horum favorem *Pflaumerus* Juris Doctor & Consul Ueberlingensis anno 1641. ante editum hoc anno Recessum imperii, sub nomine *Ivonis Renati*, (aut stilo Manzii: *Renegati)* publicabat *Verum* (aut ut Manzius citat: *Ferum) Patrocinium pauperum*, in quo scripto respondebat præcipue ad quæstionem, annon debitores bello depauperati creditoribus omnes

Synopsis controversiæ inter Manzium & Pflaumerum de mitigando rigore creditorum erga debitores calamitate bellica depauperatos.

omnes pendente bello currentes usuras & interesse, si non statim, ad minimum, si ad meliorem fortunam pervenerint, solvere teneantur? ejusque affirmativam defendere & simul conclusiones contrarias Manzii refutare ac suggillare intenderat. Eidem Pflaumero Manzius etiam tribuit scriptum Anonymi, quod sub titulo: *Veritas invicta* (stilo Manzii: *ficta*) anno 1645. prodiit, eo tendens, ut non obstante calamitate bellica debitores cujuscunque status vel conditionis creditoribus suis parata solutione satisfacere aut ad constituendas hypothecas, executive adigi debeant. Interim Manzius adeptus erat dignitatem Consiliarii Palatino-Neoburgici, & anno 1642. ediderat duos tractatus: Unius titulus erat: *Præludium belli civilis inter rigorosos creditores & calamitosos debitores super censibus & pensionibus præteritorum annorum.* Alter exhibebat *conflictum Creditorum inter se & cum debitore calamitoso ad pinguiorem fortunam reverso super prioritate seu prælatione.* In his operam dederat, ut *Fero Patrono* seu *Renegato* (sunt iterum verba Manzii) larvam detraheret, objectiones ejus refutaret, & præcipue demonstraret, quod census ex æquitate, & quod durantibus belli calamitatibus debito-

res bonis censualibus frui non potuerint, hisce (præsertim bello in totum exhaustis & prostratis) per unum & alterum annum a magistratu cujusque loci definiendum a creditoribus non valde egenis remittendi sint. Atque hanc suam sententiam dicit non solum aliis JCtis, ut Johanni Ottoni Tabori *in consultatione de præsidiis debitorum egentium*, 1646. Benedicto Carpzovio *in Asylo generali debitorum* 1651. & Davidi Mevio *in discussione levaminum inopiæ debitorum* 1653. placuisse, & pluribus rationibus confirmatam & nonnunquam extensam fuisse: imo anno 1648. *in Instrum. Pacis Monasteriensis art. 8. §. de indaganda ult.* etsi saltem generaliter, approbatam esse, cum specialis determinatio futuris Comitiis fuerit reservata. Instantibus Comitiis Pflaumerus, etsi suppresso nomine 1653. edebat: ein neu nutzliches und lustiges *colloquium* von etlichen Reichstags*puncten*, insonderheit der *reformation* der Zölle, Zinß-Zahlung und Verbesserung der *Matricul* antreffend: *Colloquenten* sind: *Doctor*, Edelmann, Bürger, Bauer. In hoc colloquio inter alia Manzii doctrina de mitius tractandis debitoribus a Nobili ironice commendatur, sed a Doctore & reliquis satyrice, & quandoque rusti-

rustice impugnatur: ut vel ex unico hoc specimine apparet, quod extat C. 2. b. BURGER: Ich gehe aber wieder zu weit, und vergesse der Frage, die ich dem Herrn *D.* vorgehalten, was nehmlich des *D.* Manzen *fundament* sey, worauff er seine Lehre gegründet? DOCTOR: Die *Æquitas* und Billigkeit. BURGER: Ja wohl *Equitas vel Asininitas.* &c. Huic colloquio Pflaumeri opposuerat eodem anno Manzius *epistolam responsoriam*, in qua inter alia dixerat, autorem colloquii *a re levissima, quæ facile in aërem attollitur,* denominari, ac ita satis palpabiliter indicaverat, quod persuasus sit, Pflaumerum esse colloquii autorem. Non amplius Professoris munere tum fungebatur Manzius, sed paulo ante dignitatem Cancellarii Aulici NeoPalatini nactus erat. Adeoque non contentus epistola illa responsoria, ipse vel ejus suasu aliquis ex auditoribus ejus edebat eodem anno: Ein neu, nüzliches und lustiges, wiederhohltes, verbessertes und mit zweyen Personen vermehrtes *Anticolloquium* von etlichen Reichstags-*puncten*, insonderheit die Bezahlung der Zinsen und anderer Schulden betreffend. *Colloquenten* seyn: *Doctor Larvatus de*

Zani, Juncker Wildhanß, *Studiosus Ingolstadiensis*, *Trossulus* sein Diener, Bürger und Bauer. Autor in præfatione fatetur, se fuisse auditorem Manzii per quadriennium, & in ipso colloquio non solum sub persona studiosi, sed vel maxime sub persona Trossuli famuli, Manzii assertiones, producendo ipsa loca ex ejus scriptis, & prælegendo Doctori aliorum JCtorum loca parallela, defendere, & Pflaumerum gravioribus increpationibus & joco crassiore prostituere omnibus allaboravit viribus. Non tacuit Pflaumerus, sed eodem anno publicavit *Postcolloquium* des *Doctors*, Edelmanns, Bürgers, Bauern, über *D.* Caspar Manzen, neuen Neu Pfälzischen Canzlers *Epistolam ad fictitium amicum, ubi asinus larvatus detracta larva spectandus.* Neque tamen & hic nomen addidit. Facile autem ex hactenus dictis quis præsumere poterit, non mitiorem hic se exhibuisse Pflaumerum, inprimis, cum Manzius in Epistola illa Pflaumerum non obscure vocaverat Asinium Asininum, unde Manzio fastum objicit, quod in omnibus facultatibus excellere & æstimari velit, & quod minatus fuerit, quod veteres Præceptores, notissimos & peritissimos docendi magistros,

gistros, ut discipulos informare, iisque modum & methodum præscribere vellet, inposterum Philosophiam pariter & Theologiam felicius profitendi, cum tamen Manzii latinitas sit culinaria & stercorea, & in tota epistola non tractentur realia, neque ibi vel mica doctrinæ vel juris, vel juris scientiæ, sed mera & inania verba, aut verius insulsa & insipida scommata, crassioribus Beanis digna contineantur. Ex hoc parvo specimine poterit quis facile, conjicere, quod autor Postcolloquii maximam dederit operam, Manzium omnimodo sensibilissima contumelia afficiendi. Unde & eidem statim ab initio objicit, quod Pater Manzii Hospes & conductor diversorii fuerit &c. Meretur tamen legi præ reliquis Consilium judicii Cameralis huic postcolloquio subjunctum, sub dato 16. Augusti 1653. in quo Camerales Imperatori aperuerunt cogitationes suas occasione §. *de Indaganda Instrum. pacis* de modo instituendi actiones adversus debitores, calamitatibus bellicis depauperatos, in quo Consilio Camerales magis inclinarunt ad sententiam Pflaumeri, quam Manzii. Prodiit etiam: *Censura Anti-colloquii Manziani* per modum epistolæ ad amicum in lingua Germanica

scriptæ & subscriptæ *d. 1. Januarii 1654.* verosimiliter etiam a Pflaumero ipso edita, similis tenoris cum Postcolloquio, & non obscure fatetur ibidem, quisquis fuit autor hujus censuræ, Ivonem Renatum & colloquii autorem esse unum eundemque. Eodem anno 1654. publicavit Manzius novum scriptum, sub titulo: *Caspari Manzii JC. Consiliarii & Cancellarii Neoburgici epistola secunda ad unum ex DD. Collegis, opposita famoso, calumnioso, insulso, insipido postcolloquio D. Pflaumeri, Burgimagistri Uberlingensis, tempore Bacchanalium sub larva decurrentis, plurimaque scommata evomentis.* Data fuit hæc epistola d. 29. Januarii, & in ea nihil aliud continetur, quam quod Manzius de injuriis sibi a Pflaumero illatis conqueratur, & se declaret, quod Pflaumero tanquam insanienti amplius respondere nolit. Hoc tamen non obstante eodem anno 1654. lucem publicam adspexit illud scriptum Germanicum, cujus contenta & modus scribendi vel ex solo titulo apparebit. Wiederhall wieder des *D.* Pflaumers Vermessenheit, welche er in seinem *Colloquio* und Most-*Colloquio* erzeigt, in Antastung, *purgier: taxier:* Anzapffung, Angeb- und Durchlassung, *respective* Beschimpff- und Lästerung

der

der Röm. Keys. Majestät, Chur-Fürsten, Fürsten, Graffen, Herren, deren von Adel, sonderlich der freyen Reichs-Ritterschafft, der Aydgnoßischen Edelleuthen, so dann der hohen Thumstifftern, der Kriegs- und anderer Keyserlichen *Officierer*, der Zollner und Mautner, *in specie* des *Hippoliti* von Treißbach, des Fürstlichen Pfaltz-Neuburgischen Hoff Cantzlers / und anderer *Doctorn*: Mit angehengter *retorsion* aller derer Schmach-Worten und Inzischten, so sich in dem *Colloquio* uud *Postcolloquio* befinden. Ostendit scribendi modus, ipsum Manzium fuisse patrem hujus partus, circa cujus finem etiam invenies catalogum librorum a Manzio partim editorum, partim edendorum. Tandem anno 1655. pro eodem Manzio editum est sequens scriptum: *Trophæum Manzianum* oder herrliches Sig-Zaichen *Caspari Manzii JC. &c.* Mit gründlicher Anzaigung / daß dasjenige / was er den erarmten / und durch das laydige vergangene Kriegs-Wesen verderbten Schuldnern in seinen *patrocinio* und *conflictu censuali* zum besten geschrieben / nicht allein durch ein allgemeinen Reichs-Schluß *approbiert* und gutgehaissen /

sondern auch weiter *extendi*ert: hingegen dasjenige/ so *D.* Pflaumer in seinen *Fero Patrocinio*, *Colloquio* und *Discursu* Ihm zuwieder geschrieben, von den gesammten Reichs Ständen verworffen worden. Mit angehengten *Notis*, *Remissionibus*, *Dubiis* und etlicher Erklärung des neuergangenen Reichs Schluß in Schuld-Sachen. In præfatione recenset Manzius occasionem & indicem scriptorum hactenus ab utraque parte editorum, & inter alia meminit, quod etiam judicium Imperiale Aulicum dictaverit in Comitiis Ratisbonæ d. 5. Novembr. 1653. consilium in favorem debitorum in plerisque assertionibus Pflaumero contradicens, & quod ipse Pflaumerus duo alia consilia, sub titulo: *discurs* über *discurs* ediderit, quorum unum de remissione, alterum de solutione usurarum agat, & quod in iis operam dederit, ut priorem suam de hac controversia sententiam quoad multas circumstantias mitigaret. Ultimum hoc scriptum Pflaumeri equidem non vidi, sed quod consilia illa judicii aulici & Cameralis attinet, adjungam saltem Obrechti verba *in expositione instrumenti Pacis p. 183. Memorabile est*, inquit, *Consilium Bidenbachii, Consil. Imp.*

Locus Obrechti.

tionem, *iii*) de subtili ratiocinatione

Imp. Aulici, qui hanc rem ex jure Justinianeo eleganter discussit. Exhibet id Lundorp. Tom. VII. p. 167. seq. *ubi etiam extant vota judicii aulici & Cameralis, quorum hic fit mentio, inter quæ præcipuum locum sibi vendicat suffragium Wolfenbutelanum, in quo hæc res accurate examinatur, & simul principia philosophica cum juridicis conciliantur, adeo ut commentarii instar* ad hunc §. de indaganda. *esse possit.*

iii) Egi ea de re paucis *in disput. de rite formando statu controvers. circa usum Juris Justin. §. 41. p. 98. seq.* Ita ad usum pertinet v. g. si quis quærere vellet, cur ad usucapionem rerum mobilium olim annus, postea triennium requisitum fuerit, non biennium aut quadriennium, cur legitima olim in quadrante, postea in triente & semisse fuerit constituta. Sed propterea non putandum est, quasi in hoc loco pons asinis sit structus (ut recte Feltmannus notat *ad d. l. 20.*) vel quod hic ignorantiæ asylum sit erectum iis, qui legum rationes ignorant, inter quos a Duareno *1. disp. anniversf. 12.* sciolus ille refertur, qui in verbis juris, cur vis publica diceretur, quæ armis, privata quæ sine armis,

Usus & abusus l. non omnium ff. de LL.

ne circa leges *kkk*) & de cumulatione

armis, eo tandem decurrerat, ut diceret: *non omnium &c.* Ita cum quæritur, cur in teſtamento ſeptem teſtes adhiberi debeant, non pauciores, vel plures, cur mulier non poſſit eſſe teſtis in teſtamento, poſſit tamen eſſe in aliis negotiis, multi recurrunt ad *l. non omnium* &c. ſed oſtendi partim poſt alios, partim emendata aliorum doctrina, quomodo utrumque horum capitum doctrinæ teſtamentariæ quaſi ſua ſponte ex hiſtoria de origine ſucceſſionis teſtamentariæ deduci poſſit, *in diſſert. de ſenſu legis decemviralis teſtamentariæ §. 11. ſeq.* § *14.* §.*34.* Repete etiam ſupra notata *ad* §.*15. lit. t.*

Diſſenſus JCtorum circa ſubtilitatem, an ſit commendanda an vituperanda?

kkk) Maxime variant Doctores, an ſubtilitas in Jurisprudentia commendanda ſit, an vituperanda. Modo enim dicunt, ſubtilitates legales eſſe minutias, neque attendendas; lucroſa & practicabilia appetenda eſſe, non vero ſubtilia & parum fructuoſa; in rebus claris ſubtilitatem quærere, eſſe idem, ac ſi quis errorem quærat; &c. modo inculcant: Legiſtam debere noviſſe ſubtilia, ne dicatur claudicare ejus ſcientia; incumbere judici cum omni ſub-

ſubtilitate in cauſam inquirere, ſubtilitatum contemtores eſſe ſtultos &c. inque eum finem pro utraque parte clara legum verba, argumenta legum, autoritates Doctorum adducunt. Rurſus alii variis diſtinctionibus diſſenſum hunc conciliare ſtudent, modo enim diſtinguunt inter ſubtilitatem rationalem & captioſam, modo inter ſubtilitatem nimiam & moderatam; modo inter ſubtilitatem civilem & æquitatem Canonicam, modo inter officium Doctoris & Judicis, ita ut ad illum pertineat cura ſubtilitatis, ad hunc ſtudium ſimplicitatis &c. Vide Barboſæ & Taboris *Theſaurum locorum communium lib. 17. cap. 72. p. 315. ſeq.* & ibi citatos Dd. alios. Sed credo, lectores pleroſque, ſi non omnes, poſt lectionem harum ſententiarum & conciliationum manſuros in eadem, ſi non in majori incertitudine, in qua erant antea. Scilicet ut alia jam taceam, id certe dubium remanet, quænam ſubtilitas ſit rationalis & moderata, quænam captioſa & dubia, quænam ſapiens, quænam ſtulta; Nam ſubtilitatum quarumcunque amaſii eas commendabunt ut maxime rationales & ſapientes, contra harum contemtores eas clamabunt eſſe ſtultas & irrationales. Neque ſufficiet, ſi dixeris,

Obſcuritas diſtinctionum communium.

xeris, ſubtilitatem ſapientem opponi craſſitiei animi & ſtupiditati, adeoque ad eam ſufficere, quod non ſit ſtupida, contra nimiam ſubtilitatem cadere in alterum extremum ſtultitiæ, ſtupiditati oppoſitum; Nam præterquam, quod nemo docentium fateri velit ſtupiditatem propriam & craſſitiem ingenii; ſed quilibet arbitretur, inventa ſua eſſe ſubtilia, etiam illud alterum ſtultitiæ extremum nimiæ ſubtilitatis, craſſitiei oppoſitum ſæpe multis aliis videbitur non ſubtile ſed craſſiſſimum eſſe. Ita v. g. memini, olim Doctorem in Academia patria quæſiviſſe in examine Candidati, cur Imperator non dixerit ſimpliciter: *actionem eſſe jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur*, ſed addidiſſe illa verba: *Actio nihil aliud eſt, quam jus* &c. Ipſe qui hæc legis, Lector, cogita, & ſubtiliſſime cogita, quid tu reſpondere velis ad hanc quæſtionem ſubtiliſſimam? Hæſitabat Candidatus, ipſi Profeſſores reliqui obſtupeſcebant, & nonnulli ex iis fatebantur, ſe ipſos rationem hujus quæſtionis reddere nequaquam poſſe. Examinator igitur, ut expectationi omnium ſatisfaceret, ſeria & prolixa explicatione ſententiam ſuam proponebat, eo tendentem, ideo hoc factum eſſe, ut imperator indica-

Exempla ſubtilitatum dubiarum.

ret,

ret, actionem esse rem venationi simillimam, actorem persequi reum, uti venator persequatur leporem, & quidem mediantibus procuratoribus & advocatis tanquam canibus venatoriis, & tamen cum reorum sit fugere, sæpe accidere, ut actor perdat actionem suam, quemadmodum lepus non raro effugiat persecutionem venatoris & canum &c. Professores juniores, qui olim discipuli fuerant istius Examinatoris, una cum Candidato, cui Examinator stipendia procuraverat, admirabantur hanc explicationem ut subtilem & valde rationalem ac sapientem, contra Collegæ seniores & Examinatoris æmuli, ac ex junioribus Professoribus illi, qui horum discipuli fuerant, habebant eam alii pro erudita quidem sed nimis subtili, alii pro crassa, stupida, stulta explicatione in tantum, ut quidam cupiditatem ridendi cum cachinno vix reprimere possent. Forte & ipsi lectores in judicio ferendo de hac explicatione non erunt unanimes. Quodsi hoc exempium tibi displiceat, aut si forte arbitreris, id esse merum ingenii mei inventum, cape aliud, de quo supra *sect.* 2. §. 22. *lit.* z. prolixe fuit actum, cur JCtus *jus dicentis officium latum* dixerit & non *longum*, quia *videlicet longi homines*

raro

raro sint sapientes, si, ut quidam putarunt, autor hujus expositionis eam animo serio protulisset. Quid ergo dicemus? An forte consilia inimicorum Jurisprudentiæ erunt amplectenda, vitandos esse JCtos & Politicos, tanquam qui doctrinas inextricabiles, sibi contradicentes, & adeo stultas proponant; igitur rejectis his nugis potius sanctioribus studiis esse dandam operam, a vanitatibus illis abducentibus? Cave ne properes. Quære ante omnia, annon eadem difficultas occurrat apud ipsos JCtorum & Politicorum inimicos, sive orthodoxiam profiteantur, sive præ se ferant pietatem & Theologiam mysticam? Quemadmodum enim priores se solos pro orthodoxis, vere piis & genuinis interpretibus Theologiæ, etiam mysticæ, habent, alios vero, qui ipsis contradicunt pro hæreticis, impiis, pietastris, enthusiastis; ita quotidiana docet experientia hanc posteriorem classem eandem cantilenam canere contra priores, cujuscunque sint sectæ, nationis, territorii, Ecclesiæ, Academiæ. Errant porro, si sibi persuadeant, deesse JCtis claram & evidentem differentiam inter subtilitatem veram & crassam aut stultam. Dabo, sed ut id cum debita veneratione erga sanctam & veneran-dam

Respondetur inimicis Jurisprudentiæ variis.

Genuinus character secernendi

dam Theologiam expediam, dabo non ex Jure Civili aut Canonico, non ex Glossatoribus aut Humanistis; sed neque tamen etiam ex Theologo Pontificio, Reformato aut γνησίως Lutherano, multo minus ex Augustana Confessione, aut Formula Concordiæ, sed ex tali libro, & ejus autoris, qui Theologos omnes Lutheranos eorumque formulas & systemata superat; nempe ex Beati nostri Lutheri Catechesi minori. Ex hoc libello didici, quod Deus toti humano generi rationem cum omnibus sensibus dederit, & adhuc hodie conservet, & quod hoc beneficium cum debita gratiarum actione sit agnoscendum. Hinc infero, eam demum rationem rectam & sanam esse, atque adeo etiam eam demum subtilitatem neque crassam neque stulte mysticam esse, quæ conveniat cum sensu communi, aut certe, quæ eidem non repugnet. Videant jam osores JCtorum & Politicorum, an idem asserere audeant de sua orthodoxia, hæretificatione, pietate, aut theologia mystica, & mihi permittant, ut me vocem, si non γνησίως Lutheranum, saltem γνησίως Catechetam Lutheranum.

subtilitatem stultam a rationali.

III) Con-

tione rationum, *lll*) de Salmasii litigio cum JCtis super intellectu legum,

Cumulatio rationum infallibile indicium falsæ jurisprudentiæ.

lll) Constat ex hactenus dictis, & docet insuper sensus communis, rationes legum esse varias, genuinas vel spurias, proximas vel remotas, evidentes vel obscuras, palpabiles vel dubias &c. Constat porro, rationes prioris generis esse paucas, posterioris plurimas. Ex dictis vero sua sponte sequitur, genuinos JCtos sollicitos esse in interpretatione legum sive juris publici v. g. Aureæ Bullæ, recessuum imperii, instrumentorum pacis, sive juris privati, tam civilis, quam Canonici aut patrii, item in rationibus sententiarum & responsorum reddendis de paucis rationibus sed genuinis, proximis, evidentibus, & palpabilibus. Contra vero spectra Leguleiorum & Rabularum consarcinare plurimas rationes, adeoque hanc cumulationem esse infallibile indicium Jurisprudentiæ, quæ in Erasmi encomio Moriæ supremum stultæ Jurisprudentiæ locum mereatur. Exempla sunt odiosa. Confer supra dicta *lit. ggg. in fine.*

mmm)

legum; *mmm*) de quorundam virorum

mmm) Fuit Salmasius maximi nominis Criticus & indagator antiquitatum Romanarum, adeoque in variis scriptis multam occasionem nactus est ostendendi varios errores JCtorum, potissimum Glossatorum. Sed cum etiam subinde Humanistis, qui & ipsi non parum versati erant in notitia antiquitatum Romanarum, ut Cujacio, Dionysio Gothofredo & aliis contradiceret, magni etiam nominis adversarios nactus est. Sic notum est, quod in mutuo negaverit esse alienationem: Sic, ut alia taceam, scripserat, JCtos omnes ignorasse modum genuinum a Romanis in signandis testamentis usurpatum: Inter præcipuos autem, qui Salmasio se in scriptis opposuerunt, fuere Wissenbachius & Desiderius Heraldus. Huc pertinent ex scriptis SALMASII hodie rarioribus ejus diatribe *de mutuo*, tractatus *de usuris*, aliud volumen, *de modo usurarum*, rursus aliud *de fœnore trapezitico*, ejus *Redargutio Elenchorum de mutuo*, item *miscellæ defensiones pro seipso*, denique *specimen confutationis Heraldi*: WISSENBACHII diatribe *de mutuo, esse alienationem*, ejusque *vindiciæ*,

Quid hic intelligatur per litigium Salmasii cum JCtis.

rorum piorum intempestivo fervore

dictæ, adjunctæ ejusdem disputationibus ad Instituta Imperialia : DESIDERII HERALDI tractatus *quæstionum quotidianarum*, cui subjunctæ sunt *observationes ad jus Atticum & Romanum, in quibus Claudii Salmasii miscella defensiones ejusque specimen expenduntur.* Si hi tres adversarii sine affectibus indagandæ Jurisprudentiæ Græcæ & Romanæ operam dedissent, nullum est dubium, de nemine eorum dici potuisse, quod spectrum jurisprudentiæ quandoque pro vera Jurisprudentia amplexus fuerit. At cum Salmasius nimiæ ambitionis & jactantiæ intolerabilis vitio adsuetus fuerit, & ita adversarios suos irritaverit, ut subinde ex iracundia, ejus contemtui nimium darent operam, non potuit non ab utraque parte istud evenire, ut sæpius vel Salmasius vel ejus adversarii veritati ab altera parte propositæ ob nimiam pertinaciam & gloriæ cupiditatem non darent locum, sed rationibus parum aptis asserta, etiam aperte falsa, defenderent. Jactantiæ Salmasii exemplum modo dedi, plura alia passim occurrunt in scriptis Salmasii, adversus Wissenbachium

vore adversus Pandectas, tanquam con-

---

bachium & Heraldum, & fatetur encomiastes Salmasii, qui prolegomena de laudibus & vita Salmasii ejus Epistolis præmisit, *p. 61. Probare*, inquit, *nimium ejus impetum non possumus, nec volumus.* Et paulo post: *Si tamen & erga amicos quandoque vehementior fuit; illud vicissim meminerimus, facile etiam placabilem fuisse, & nimio calori frigidum deinde suffudisse.* Tolerabiliora tamen sunt verba, quibus & Salmasius & Wissenbachius in lite, de alienatione in mutuo, utuntur, quam quæ deprehenduntur in controversiis Salmasii cum Heraldo. Et vel index, quæstionibus quotidianis Heraldi subjectus, in voce *Salmasius*, docebit, quanto fervore, Doctores virtuosos minime decente, uterque adversus alterum maxima verborum intemperie fuerit usus. Controversiam de alienatione in mutuo in specie quod attinet, cuilibet a præjudiciis vacuo apparebit, Salmasium hic errasse, aut si mitius de eo judicare velis, totam ejus litem, ipso etiam fatente Wissenbachio, resolvi in logomachiam, cum Salmasius fateatur in mutuo transferri dominium, sed simul ta-

Judicium de controversia an in mutuo sit alienatio?

continentes leges paganorum, Chri-

tamen asserat, dominii translationem posse quandoque esse sine alienatione &c. Litem de antiquo Romanorum ritu signandi testamenta quod attinet inter Salmasium & Heraldum, de ea fusius egi in disputatione *de captatoriis institutionibus* anno 1696. habita §. 15. item § 25. ad § 29 ubi simul non solum hactenus dicta de nimiis & Salmasii & Heraldi affectibus hinc inde distinctius exposui, sed & perspicue, ut puto, ostendi, qua ratione in hac controversia & Salmasius & Heraldus, ex ira & invidia subinde erraverint. &c. Unicum hoc addo, dum in proponenda tertia Jurisprudentiæ falsæ specie etiam controversiarum Salmasii cum JCtis super intellectu legum feci mentionem, non eam me habuisse intentionem, ut falsarum rationum & legibus destitutarum causam unice in vitiosis voluntatis affectibus quæsiverim, sed ut saltem præcipue affectus vitandos esse, docere voluerim. Etiam præjudicia intellectus, falsis rationibus & quæ legibus destitutæ sunt, aut quæ cum legibus saltem abusive ita dictis conveniunt, subnixæ, spectri hujus exempla suppeditare

Item de modo signandi testamenta apud Romanos.

ditare possunt. Ita notum est, Justinianum asseruisse, non dari antinomias in corpore Juris. Hanc assertionem *Wissenbachius* passim in operibus, & recte quidem, impugnavit, & non paucas antinomias statuit. Contra Johannes *Strauchius*, Ulricus *Huberus*, Wissenbachii discipulus aliique viri celeberrimi (ut Glossatores taceam) nullas antinomias dari strenue defenderunt, & summam dederunt operam, ut quascunque antinomias quibuscunque distinctionibus excogitatis conciliarent, sive crederent erronee, hanc assertionem Justiniani esse veram legem, sive alio præjudico abrepti. Meam sententiam quod attinet, statuo, non solum antinomias dari, sed & plurimas, & quæ ab aliis pro antinomiis non fuere habitæ, tales esse firmiter sum persuasus. Rationes hujus asserti summatim dedi in *præfatione Nævorum Jurisprudentiæ AnteJustinianeæ* §. *9. n. 3.* & *4.* & ad dissentientium rationes respondi *ibidem n. 8.* Dedi etiam exempla plurima partim in disputationibus variis, partim in notis ad Strauchium & Huberum passim. Nullum tamen est dubium, quin dentur etiam non paucæ antinomiæ apparentes. Unde non male fecit JCtus olim Lipsiensis, Amadeus *Eckol-*

Quid sentiendum de controversia, an dentur antinomiæ?

Christianis indecoras; *nnn*) de consilio

---

tus, quod in disputatione anno 1660. habita antinomias veras & apparentes separatim proponere voluerit. An vero ubique rem acu tetigerit, jam non disquiro. Recensuit etiam idem *in capite 1. §. 9.* plures JCtos celeberrimos, antinomias dari asseverantes, ubi maxime notabilia sunt verba ejus sequentia: *Non prætereundus est* GUIDO PANCIROLUS, *qui in thesauro variarum lectionum lib. 1. cap. 8. 138. numerat antinomias in Pandectis.* Modo hæc Eckolti observatio vera esset. Nam, ut taceam, in citato loco Panciroli nihil ea de re reperiri, nec quidem in indicibus dicti tractatus quicquam de antinomiis deprehenditur. Imo in *libro 3. illius Thesauri* multas leges conciliare allaborat Pancirolus. Quin & in alio tractatu *de claris legum interpretibus lib. 2. cap. 7.* operam dedit, ut perspicue proponeret modum contrarias leges conciliandi.

Bernhardi hypocritica pietas & odium juris Justinianei.

nnn) Talis vir pius fuit olim Bernhardus, Abbas Clarævallensis, qui ægre ferens usum legum Romanarum in Italia inter alia ad Eugenium Papam sic scripsit: *Quotidie perstrepunt in tuo palatio leges, sed Justiniani non Domini. Rectius*

silio emendandi leges Christianorum

---

ctius etiam? istud tu videris. Nam lex Domini immaculata convertens animas, eæ autem non tam leges, quam lites sunt, & cavillationes subvertentes judicium. Vid. Conring. *de orig. jur. German. cap. 23 p. 143.* Si quis vero genuinam intentionem Bernhardi & statum illorum temporum, quibus ista scribebat Bernhardus, consideret, facile patebit, quod per *legem Domini* non tam intellexerit scripturam sacram, quam traditiones Ecclesiasticas, decreta Conciliorum, dicta sanctorum Patrum, uno verbo jus Canonicum illorum temporum. Conf. *delineat.* meam *Histor. Juris Romani & Germanici* § 142. *seq.* Quod autem ab initio hic Bernhardum virum pium dixerim, & tamen alibi eum inter crassiores Pharisæos & hypocritas retulerim, non tam ironice intelligendum est, quam quod accommodaverim me ad communem modum loquendi, qui per pios viros intelligere solet etiam eos, qui ex zelo gloriæ divinæ promovendæ maximi solent esse hæretifices, sive sibi insuper persuadeant, honorem Dei promoveri rixando, sive tristi supercilio & lacrymis ac suspiriis affecta-

rum per introducendam legem Mosaicam,

tis. Conf. *Cautel. circ. praecogn. jurispr. Eccles. cap. 15. §. 17. & cap. 21. §. 25. 26.* item *Historiam content. inter imper. & sacerdot. p. 65. 232.* Idem Zelus intempestivus regnat in iis, qui hodienum rem vero Christiano indignam esse arbitrantur, si antiquitates Græcas & Romanas ex scriptoribus Græcis & Latinis discere velit, ideo, quod lectio quorumcunque autorum Gentilium Christiano periculosa sit. Unde non mirandum, quod & hodienum, etiam inter Protestantes quidam reperiantur, qui ex eodem principio affectatæ pietatis dolent, quod a non paucis JCtis, præprimis nostrorum temporum, præferantur leges Pandectarum Novellis Justinianeis & multis legibus Codicis, quarum autores etiam fuerunt Imperatores Christiani, cum tamen omnes leges Pandectarum autores agnoscant JCtos Ethnicos. Nam pietas illa & sanctitas Bernhardina & Theologia mystica, quam & ipse Bernhardus commendabat, hodienum apud non paucos Doctores Academicos triumphat. Sed istos quidem pietati suæ relinquamus, & firmiter persuasi simus, pietatem sine rationis usu esse

Similis pietas eorum, qui Paganorum scripta nolunt a Christianis legi vel æstimari.

ſaicam; *ooo*) de æquitate cerebrina,

eſſe ſtupiditatem aut hypocriſin Phariſaicam, rationem autem ſine pietate eſſe ſtultitiam impiam; atque adeo ſcripta Gentilium non rejiciamus & fugiamus, ſed tamen nec ea æſtimemus nimium, aut ea ſacris præferamus literis. Conf. *Cautel. circ. præcogn. jurispr. toto cap. 1. item cap. 19.* Alia quæſtio eſt, annon multi ſcriptores Ethnici, ſive JCti, ſive Philoſophi, etſi nec ipſi infallibiles, tamen ob multas rationes præferendi ſint lectioni Patrum Eccleſiæ, etiam ſanctorum; v. g. Papinianus, Ulpianus, Seneca &c. Sancto Cypriano, Sancto Hieronymo, Sancto Auguſtino &c. Sed nolo crabrones, vel potius Hieronymi, Auguſtini, Cypriani idololatras irritare, quorum hinc inde etiam inter Lutheranos non pauci ſunt. Conf. interim *cautel. circa præcogn. Jurispr. Eccl. paſſim, potiſſimum cap. 10. 11. 12. 13. 14.*

Seneca, Papinianus, Ulpianus an Patribus Eccleſiæ ſint præferendi?

ooo) Occaſio hujus erroris videtur fuiſſe ſequens. Nullum eſt dubium, quin, ut nota præced. indicatum fuit, Pontificis aſſeclæ & maxime Canoniſtæ contemnerent Jus Civile, inter alias rationes, quod contineret leges etiam Paganorum, & contra extollerent Jus Ca-

Occaſio conſilii de introducenda in Reſpublicas Chriſtianas lege Moſaica,

na, Leges vel iniquas defendente, vel

Canonicum, ut quod fere ubique verbis scripturæ uteretur. Contra Lutherus larvas mysteriis Papalibus detrahens passim Jus Civile laudabat, & Jus Canonicum increpabat, ac nullam ejus rationem habendam esse inculcabat, ac tandem solenniter comburebat, decretalibus manibus propriis in ignem conjectis. Non tamen propterea poterat efficere, ut autoritas Juris Canonici cessaret in terris principum protestantium, cum JCti Wittebergenses Henningus a Gœden & Hieronymus Schurffius hac parte resisterent Luthero & non sine ratione. Etsi enim nullum esset dubium, quod Jus Canonicum multas stultitias contineret, imo impietates, non tamen aderat alia norma nec aliæ leges, quas sequerentur JCti in causis, potissimum Ecclesiasticis, in quibus evidens erat, Jus civile seu Justinianeum neque quadrare ad mores Germaniæ, neque etiam a JCtis privata autoritate posse, ut normam introduci. Non ergo mirandum, quod quidam ex Theologis Luthero nimis adhærentes proponerent loco legum Justinianearum & Juris Canonici Jus

Mo-

vel leges æquissimas oppugnante.

Mosaicum. Sed nec mirandum etiam, quod hoc consilium ob varias rationes prudentioribus ex ordine Politicorum videretur plane absurdum & imprudens. Etsi enim nullum sit dubium, leges Mosaicas in comparatione ad jura ab aliis legislatoribus quibuscunque constituta, esse prudentissimas, quod olim in lectionibus de prudentia legislatoria (Deo dante mox publicandis) perspicue demonstravi, nullum tamen etiam est dubium, quod DEUS, ipso Christo fatente, multa permiserit Judæis ob duritiem cordis eorum, quæ non quadrant ad statum Christianorum perfectiorem statui Judæorum, qui saltem debebat esse umbra sapientiæ a Christo prædicandæ; multo minus ad Christianos in septentrione Orbis viventibus; & quod etiam multa delicta gravius vel levius puniverit Deus in populo Israëlitico, quæ ob diversas a Judaicis corruptiones populorum Christianorum vel leviores, vel graviores pœnas, quam erant Judaicæ, requirerent. Deinde pertinebat istud consilium ad crassas reliquias Papatus Politici, cum ex Historia Ecclesiastica & Jure

Ejusque absurditas & crassæ Papatus reliquiæ.

Jure Canonico constet, Pontificios sæpe ad legem Mosaicam provocasse, quoties evidens interesse Cleri pontificii id videbatur postulare. Ita notum est, quod communiter docuerint, decimarum præstationem, quæ in favorem Levitarum præcepta erat in lege Mosaica reliquis tribubus Israëlitarum, obligare hodienum omnes Christianos, & hoc intuitu legem Mosaicam esse juris universalis. Sed ostenderunt jam alii cordatiores ex ipsis Pontificiis, hic latere fraudes hypocriticas Monachorum, cum unam ex primariis rationibus introductarum decimarum negligerent, tanquam ordini Monachico odiosam, quod videlicet Levitis interdicta esset possessio prædiorum seu rerum soli & immobilium. Quod vero etiam ejusmodi crassæ Papatus Politici reliquiæ remanserint inter Protestantes, vel hoc exemplum illustrabit. Notum est, hæretifices, etiam Lutheranos, pœnas capitales hæreticorum adversus Pontificios impugnantes, distinguere solere inter hæresin blasphemam & non blasphemam, ea facta applicatione, quod hæretici blasphemi omnino debeant pœna capitali puniri, quia Deus in lege Mosaica hanc pœnam imposuerit blasphemis. Hinc memini,

mihi

mihi relatum esse, aliquem ex Doctoribus seu Magistris Judæorum ex ejusmodi hæretifice, sententiam modo memoratam defendente, placide quæsivisse, cur non etiam Lutherani pœna capitali punirent filias Superintendentium in scortatione deprehensas vel de ea convictas, cum tamen & in hoc casu DEUS pœnam capitalem dictaverit in lege Mosaica? Potissimum vero istud consilium Theologorum Lutheranorum, ut loco juris Canonici introduceretur lex Mosaica, maximæ confusioni & prostitutioni occasionem præbuit in causis matrimonialibus. Cum enim illis temporibus in causis matrimonialibus, tanquam præcipuis inter causas Ecclesiasticas, Principes Lutherani consilia peterent a Theologis, & quidam ex illis in responsis suis fundamenti loco ponerent, leges Mosaicas, alii contra evidenter perspicerent, multas leges Mosaicas de causis matrimonialibus non posse introduci in Christianismum, tam variantes & sibi in infinitum contradicentes opiniones apparent in responsis Theologicis Lutheranorum in causis matrimonialibus, ut etiam deprehendas, absurdiores & magis impias inter illas reperiri, quam apud Pontificios, ut cuilibet apparebit, qui

Potissimum in causis matrimonialibus.

te, *ppp*) Hæc omnia, inquam ſaltem

---

qui evolvere velit *corpus juris Matrimonialis* Sarcerii & Brückneri *deciſiones matrimoniales.* Conf. ad illuſtrationem hujus notæ *Cautel. circa præcogn. Jurispr. Eccleſ. cap. 22. §. 1. 2. Notam 806. ad Lancelot. lib. 2. tit. 26. §. 2. p. 1132. ſeq. Partem* 2. der Juriſtiſchen Händel *cap. 8. §. 1. 2. 3. 4. p. 256. ſeq.*

Æquitatis homonymia, & ejus diverſa ſpecies.

ppp) Ante omnia hic præmittendum erit, quid ſit æquitas cerebrina & quotuplex. Cum vero ea de re fuſius disſeruerim in toto *capite 1. diſſert. de æquit. cerebrina l. 2. Cod. de reſcind. Vendit.* ſufficiet, ſi in gratiam Lectorum ejus brevem ſynopſin hic exhibeam. Jam circa finem ſeculi 16. Albertus Bolognetus Bononienſis librum de lege, Jure & æquitate Romæ publicavit, & *a cap. 28. ad finem libri* doctrinam de æquitate ſecundum hypotheſes Gloſſatorum expoſuit, & cum doctrina Ariſtotelis & Ciceronis contulit, erudite quidem pro tenebris illorum temporum, ſed confuſe nimis pro luce hodierna. Nimirum æquitas, quatenus de actionibus humanis prædicatur, primo, intuitu juris naturalis non dicitur de actionibus officium hominis erga ſeipſum reſpicientibus,

tem indico, ut appareat, quod dies
me

---

tibus, sed de officio hominis erga alios, & tum vel in sensu laxiori ut justum comprehendat, quod in cavenda læsione juris alieni consistit, vel ut ei contradistinguatur, & ad præcepta solum decori, id est, concessionem & communicationem, aut remissionem juris proprii respiciat. Intuitu autem juris positivi vel prædicatur de lege scripta, quando ea nulla duritie & inclementia laborat, & opponitur legi duræ, quæ videlicet non admittit, sed excludit interpretationem ex legibus communibus æquitatis; vel denotat fontem, legem scriptam interpretandi, ad regulas sanæ interpretationis, & opponitur interpretationi iniquæ, cavillatoriæ, calumniæ, fraudi legum, quando interpretatio ab illis regulis aberrat. Æquitas cerebrina dicitur, quæ sub specie & larva æquitatis potius iniquitas aut injustitia est. Unde differt a vera æquitate, quod ipsa æquitatem saltem mentiatur, aut sit æquitas irrationalis, item ab iniquitate, quod multæ iniquitates sunt apertæ & in sensus omnium incurrentes, hæc vero sit palliata, singularem æquitatem simulans, & ratio-

Æquitatis cerebrinæ definitio.

me citius deficiet, quam ut dicendi copia destituar.

Illud

rationibus non statim in sensus incurrentibus eandem aliis persuadens.

Cur cerebrina dicatur.

Porro etsi in genere æquitas & iniquitas sint diverso respectu virtus & vitium intellectus aut voluntatis, in specie tamen æquitas cerebrina magis respicit intellectum, qui existit, i. e. operatur in cerebro, quam voluntatem, nisi quatenus & imprudentia ratione originis & dependentiæ est voluntaria, uti totus intellectus intuitu judicii de bono & malo. Etsi vero hoc præsupposito æquitas cerebrina sit ens rationis, quia error est in intellectu, seu ratione, non tamen propterea est non ens, uti nullum ens rationis. Et ideo quia est ens rationis, quia error est, frequentissime occurrit tam in theoria quam in praxi.

Ejus frequentia tam in theoria,

In theoria, quia errare humanum est, & errores erunt donec homines, etiam in jurisprudentia, cum nulla disciplina sit, quæ non infinitis erroribus sit repleta.

quam in praxi.

In praxi, quia theoria praxeos fundamentum est. Eadem est ratio intuitu personarum. Professores enim juris, theoretici vocantur, contra advocati, judices, imo & legislatores, practici.

Illud saltem duobus verbis moneo, consilium istud de emendandis Christianorum legibus non hodie natum esse, aut nudius tertius, sed jam Lutheri tempore de multis,

39. Regnavit id spectrum diu multumque jam Lutheri tempore.

---

ctici. Ad Professores seu interpretes juris respexit Antonius Faber in opere de erroribus pragmaticorum, (*Repete hic dicta superius in nota ggg*) ad advocatos & judices Zieglerus in Rabulistica & Dicastice. (*Horum librorum synopsin vide in notis ad librum 3. Lancelotti nota 148. & 455.*) Nec rara etiam exempla esse legum cerebrinæ æquitatis docebunt sequentia. Agnoverunt hanc frequentiam cerebrinæ æquitatis Paulus & Celsus *l. 91. §. 3. de V. O. In genere*, inquiunt, *quæstionum de ÆQVO & BONO PLERVMQVE sub autoritate Juris scientiæ perniciose ERRATVR.* Origo æquitatis cerebrinæ est impatientia & stulta imitatio, ac deinde deducta in intellectu præjudicia præcipitantiæ & autoritatis. Ad hæc revocari possunt omnes speciales affectus æquitatem cerebrinam generantes, v. g. pertinacia, curiositas, crudelitas, arrogantia, pigrities, iracundia, fraus, hypocrisis &c. Sunt & præterea aliæ causæ peculiares, frequentiam

Origo ejus, & variæ causæ frequentiæ ejusdem.

multis, quæ ad nostram orationem
per-

tiam æquitatis cerebrinæ in Jurisprudentia Germanica producentes, v. g. legum multitudo: Habemus enim leges Judaicas, Græcas, Romanas, Gallicas, Hispanicas, Italicas, statuta provinciarum Germanicarum infinita. Deinde habemus etiam opiniones Doctorum cujuscunque nationis Europeæ infinitas, non cohærentes & sæpe contradictorias. Auget etiam & multiplicat æquitatem cerebrinam pruritus hominum judicandi de re, quam non didicerunt, cum omnes pariter de justitia & injustitia actionum humanarum disserant, & aliis consilia juridica de actionibus secundum regulas æquitatis & justitiæ instituendis suppeditare & sæpissime leges corrigere gestiant, quorum tamen plerique nulla fundamenta genuina Philosophiæ moralis & jurisprudentiæ jecerint, plurimi etiam hæc subsidia aperte contemnant, & tanquam æquitati noxia fugiant. Porro sunt hujus æquitatis cerebrinæ varia genera, nimirum 1. Legislatoria, cum legislator legem condit, prima fronte æquam, sed revera iniquam ideo, quia magis damnum Reipublicæ affert, quam ut ad

Species ejusdem 1. vel legislatoria vel consultatoria, vel judicialis.

pertinent, controversia fuit mota. Erant

ad ejus quietem promovendam prosit: Consultatoria, cum consilium datur, sub larvata æquitate damnum inique inferens consulentibus: & Judicialis, 2. Judicialis hæc est vel theoretica, cum judex legem inique explicat sub prætextu æquitatis, vel practica, cum legem plane deserit, aut sub colore, quasi quid iniqui contineat, eam mutat. Ita quoad æquitatem cerebrinam theoreticam judices sæpe contra regulas bonæ interpretationis clamant: adesse clara verba legis; aut ex Ulpiano, duram quidem esse legem, ita tamen scriptam. Ita quoad æquitatem cerebrinam practicam judices solent inepte provocare ad juramentum præstitum, quod scilicet ex bono & æquo atque ex conscientia sua litem dirimere velint; cum tamen etiam jurare soleant, se sententiam laturos secundum leges *l. 14. C. de judiciis.* Extat de judicibus illis terribilis admodum constitutio Leonis & Alexandri Imperatorum circa initium seculi decimi scripta & diris execrationibus firmata, relata a Zieglero *in Dicastice concl. 36. §. 7.* & jam Justiniani tempore ex ejus præscripto judices ejus-

2. Judicialis vel theoretica vel practica.

modi semetipsos diris & execrationibus devovere tenebantur. *Novell. 8. in fine.*

Major libertas consiliariorum & doctorum, quam judicum.

Non tamen confundendi sunt cum judicibus consiliarii aut etiam doctores juris. Priorum officium etiam est, ut reges vel principes admoneant, de corrigendis legibus, quæ vel ab initio iniquitate, duritie aut æquitate cerebrina laborarunt, vel etiam successu temporis mutato Reipublicæ statu & circumstantiis pristinis, quæ legislationem suadebant, æquæ esse cessarunt. Posterioribus etiam debet relinqui libertas differendi de æquitate legum, eamque examinandi, cum Academiæ debeant esse seminaria Reipublicæ, adeoque etiam præparare futuros consiliarios circa prudentiam legislatoriam. Sed tamen libertas consiliariorum major est, quam doctorum, cum illi ex officio principem admonere possint in secreto de corrigendis legibus etiam ab ipso principe latis; at doctorum officium non est admonere principem ratione regiminis, neque possunt etiam salva reverentia principibus debita pro cathedra examinare æquitatem legum a principe, præprimis noviter, latarum: sed horum libertas saltem eo se extendit, ut suas doctrinas de æquitate cerebrina illustrent exemplis legum peregrina-

grinarum, aut antiquatarum, vel ratione antiquandarum, si dubium sit, an eæ sint receptæ in republica, ac usum practicum habeant, vel habere possint: quales sunt intuitu Germaniæ pleræque leges juris Justinianei, & respectu Germaniæ protestantis pleræque leges juris Canonici. Ex dictis vero patet, non confundendas esse has diversas personarum conditiones in uno homine concurrentes. Ita docens pro cathedra contra reliquias Papatus apud Protestantes in legibus matrimonialibus recte facit; & tamen si judex sit, idem secundum tales leges papizantes in ordinationibus consistorialibus præscriptas recte judicat, imo judicare debet. Ita recte docetur in cathedra, clausulas multas libellorum consuetas esse superfluas & inanes ac frustraneas: At secundum Ordinationem Magdeb. *tit.* 18. §. 1. judex actorem, clausulam: *desuper nobilissimum judicis officium implorando* omittentem, condemnare debebit. Ita actio injuriarum in lectionibus ut parum prudens & magis, ob quotidianum abusum, ut impia & nociva, etiam ipsis actoribus, depicta, in responsis tamen juridicis jure ab actoribus exerceri posse pronunciatur. Ita denique tolerabile es-

Exempla hujus diversitatis.

ſet, ſi Doctor in cathedra ſuſpenſionem furum ex æquitate cerebrina impugnare vellet, at pœnam mereretur idem, ſi ipſe ut judex vellet conſtitutiones pœnales & leges Germanorum corrigere. 3. Æquitas cerebrina eſt vel craſſa vel ſubtilis. Craſſa, ubi prætextus æquitatis facile ab omnibus ſenſu communi percipitur, ut in dato exemplo de prætenſa injuſta furum ſuſpenſione, quia aſſertio de legis forenſis Moſaicæ uſu neceſſario apud Chriſtianos evidenter falſa eſt, & quia a defenſoribus iſtius æquitatis cerebrinæ falſo ſupponitur, nullam eſſe hic proportionem inter delictum, id eſt pecuniam ablatam (quaſi pecunia delictum eſſet) & pœnam capitalem. Subtilis eſt, quando ob multitudinem errantium error communis factus eſt, etſi & ipſa in ſe evidenter percipiatur eſſe falſiſſima ab iis, qui præjudicia depoſuerunt. (*conf. ſupra dicta nota kkk*) ut e.g. quando Jus Canonicum perpetuitatem bonæ fidei requirit in præſcriptione etiam longiſſimi temporis. (*conf. Not. ad Inſtit. de uſuc. p. 160. ſeq.*) ſcilicet ut laici nunquam poſſent præſcribere bona clericorum; ita regula juris Canonici, quod juramenta, quæ ſalva ſalute æterna ſervari poſſunt, debeant

3. Eſt vel craſſa vel ſubtilis.

beant servari, imposuit etiam Grotio & Pufendorffio, ut eam pro pia haberent; cum tamen nihil aliud per eam intenderit Clerus, quam invasionem in potestatem legislatoriam & judicialem in causis civilibus; (*vide Notas ad Lancel. p. 1391. seq.*) Ita ad hanc subtilem æquitatem cerebrinam pertinet doctrina juris Canonici de pravitate usuraria (*vide iterum Notas ad Lancel. p. 2021. & multis seq.*) Patet autem simul ex hactenus dictis, quod æquitas cerebrina in Papatu antiquitus maxime promota fuerit per persuasionem Principum & Laicorum de sanctitate & æquitate canonum Ecclesiasticorum, & quod, cum paulo post JCti, ope juris Justinianei, inciperent pro viribus, etsi exiguis, impugnare istas æquitates cerebrinas, his mox oppositi fuerint a Papis Canonistæ, ita ut in facultate juridica professiones juris Canonici primum locum occuparent. A quo fermento nec Academiæ Protestantium satis purgatæ sunt & quidem ob varias causas, quarum præcipuæ sunt, 1. Nimis arcta combinatio facultatis infimæ cum suprema. 2. Cautio, ne in infimam recipiantur, nisi clientes supremæ. 3. Item, ne facile ad Jurisprudentiam & Medicinam adspirantes, in infima numero

Causa præcipua introductæ hujus æquitatis in Papatu.

Plures rationes cur ea adhuc frequens sit inter protestantes.

mero Professorum adscribantur. 4. Et ut JCti etiam & Medici non facile recipiantur, nisi clientes supremæ facultatis. 5. Obtentio pluralitatis votorum æquitati cerebrinæ faventium in regimine Academico. 6. Eorum, qui se his conatibus opponere debebant, obmutescentia vel simulata amicitia. 7. Neglectio doctrinæ moralis ex parte JCtorum & collectio æquitatis ex lacunis Glossatorum & Pragmaticorum. 8. Nimius amor juris Canonici. 9. Præceps judicium de nimia facilitate doctrinæ de justo & æquo post libros Grotii & Pufendorffii. 10. Commendatio dicti Platonici: *Tum demum beatas fore Respublicas* &c. 11. Reliquiæ Papismi, quasi disciplina Academica relinquenda sit cujuscunque regentis cerebro. 12. Variantia inde singulis annis specimina justitiæ & æquitatis sibi opposita & contradicentia. Fructus æquitatis cerebrinæ in intellectu est conscientia erronea conjuncta cum persuasione veritatis; in voluntate cupiditas alios corrigendi & puniendi, imo totam Rempublicam reformandi, & pertinax animus resistendi juribus magistratus sub prætextu libertatis conscientiæ; turbæ quietis publicæ inde oriundæ a defensoribus æquitatis cerebrinæ

Fructus æquitatis cerebrinæ.

brinæ sæpe cum successu magistratui politico imputatæ. Cura hujus æquitatis cerebrinæ ad Principem pertinet, non ad docentes, cum sit pars regiminis publici. Id enim maximo damno affecit Rempublicam, quod in Papatu imperatores doctrinam æqui & justi soli sacerdotio reliquerint, eique permiserint, regulas æquitatis cerebrinæ pro lubitu Laicis præscribere. Apud Protestantes vero doctrina de cura æquitatis cerebrinæ non pertinet ad Theologos, quia hi debent monstrare viam salutis æternæ, quæ non per regulas justi & æqui, sed per fidem acquiritur, neque ad Medicos, quia hi solliciti esse debent de regulis conservandæ aut restituendæ sanitatis corporis; nec ad Philosophos, qui, ut olim opem tulerunt Theologiæ scholasticæ in stabilienda æquitate cerebrina; ita post reformationem magis inserviunt seminario Ecclesiæ quam Reipublicæ. Ergo præcipue ad JCtos, ad quos videlicet pertinet doctrina regularum justi & æqui. Non tamen ad solos cum jure excludendi alios, ad idem aptos. Nam uti ad corrigendam doctrinam æquitatis cerebrinæ non omnes JCti apti sunt, sed ii soli, qui id revera præstant, etsi solenniter potestatem

Cura ejusdem quatenus ad principem pertineat, quatenus, ex docentibus, præcipue ad JCtos.

docendi non acceperint: uti doctrina corrigendi æquitatem cerebrinam non pertinet ad media acquirendi honores, divitias, potentiam, sed ad officia humanitatis, & ad onera, quæ præ reliquis incumbunt JCtis; ita & omnes hic habendi pro JCtis, qui sunt, id est, qui se tales præstant, non qui ita vocantur, & non sunt. Neque putandum, studia reliquarum trium facultatum impedimento esse doctrinæ corrigendi æquitatem cerebrinam. Adsunt potius exempla virorum, quibus multum debet jurisprudentia & huic unita doctrina prudentiæ civilis ac disciplinæ de moribus, qui vel Doctores promoti juris haud fuere, vel certe ad eum gradum sapientiæ non pervenissent, nisi & aliarum facultatum studiis dedissent operam, quod exemplis Ziegleri, Grotii, Pufendorffii, Conringii *d. cap. 1. §. 23. lit. kk. p. 27.* ulterius declaravi. Cavendum porro, ne media ad curandam æquitatem cerebrinam inepta adhibeantur, ad quæ potissimum refero, si quis æquitatem cerebrinam legibus curare velit, non præmissa doctrina & consiliis, inprimis, si medicinam hanc adhibere velint Doctores prudentia genuina civili & doctrina morali destituti, & qui lucrum ex retentis in Academiis

Media ad eam curandam inepta.

Pro-

Protestantium crassissimis Papatus Politici reliquiis sentiunt aut captant. Cavendum etiam, ne Doctores juris inter se vel in explicatione vel in applicatione legis dissentientes, se invicem statim accusent, ac si dissensus iste ex æquitate cerebrina partis alterutrius ortus sit. Nam æquitas cerebrina ad errores pertinet evidenter & palpabiliter demonstrabiles: At & explicatio & applicatio juris ob multorum principiorum collisionem, infinitam circumstantiarum in actionibus humanis variationem, ac intellectus humani imbecillitatem, non ubivis certa & indubitata est, adeoque incivile esset, si hic una pars dissentientium alteri æquitatem cerebrinam imputare vellet. Similis est ratio, si ex diversis & sæpe oppositis juris Romani & Germanici principiis oppositæ deriventur conclusiones. Atque hæc cautela ultima *ibidem p. 30. 31.* duobus exemplis illustrata fuit, dum in quæstione circa constitutionem pignoris taciti diversimode responderunt Facultas Juridica Giessensis, & Halensis, item dum Hoppius defendere voluit, quod fure suspenso hæredes ejus condictione furtiva conveniri possint, ad rei furto ablatæ æstimationem, negantibus id Doctoribus Saxonicis &c.

His

His ita ex *dict. cap. 1. dissert. de æquit. cerebr. l. 2. C. de resc. vendit.* præmissis, paucis nunc declaranda nova distinctio in verbis orationis indicata, quod *æquitas cerebrina vel leges iniquas defendat, vel leges æquissimas oppugnet.* Intelligo autem hoc loco per *leges iniquas* paulo generalius omnes leges, quæ non solum sub specie æquitatis cerebrinæ decipiunt lectores incautos, ut earum rationes acerrime defendant, & de earum frequente usu in praxi multa verba faciant, sed & quæ disertis verbis aliquid præcipiunt vel prohibent, de quo tamen evidentia & praxis quotidiana contrarium persuadent, cum hoc modo non possit non occasio multis rixis rabularum suppeditari, administrationem justitiæ celeriorem impediendi, & ita illæ leges non promoveant utilitatem publicam, sed potius, etsi bona fide, maxima damna dent tranquillitati publicæ. Ita in dicta dissertatione *capite 2. & 3.* evidentissime monstravi, rescissionem venditionis ob læsionem ultra dimidium citra dolum contrahentium, & ad hanc sententiam adorandam, excogitatam distinctionem vulgarem inter dolum personæ & rei, repugnare omnibus rectæ rationis principiis & regulis communibus de obligatione ex pactis

Exempla æquitatis cerebrinæ, leges iniquas defendentis,

&

& contractibus oriunda, imo sic esse comparatam, ut nullus usus genuinus practicus ejus doctrinæ possit doceri. Ita in *dissert. de rite form. stat. controvers. circa usum jur. Justin. §. 52 p. 127.* docui, quod, etsi dominium litis procuratoribus in Germania disertis verbis tribuatur *in R. I. de anno 1507. rubrica:* Wie sich *Procuratores &c.* item in *Rec. Deput. de anno 1600. §. 99.* palpandum tamen dederit & per inductionem probaverit ill. Dn. Böhmerus *pecul. dissert. de domin. litis cap. 3.* hoc dominium litis procuratoribus tributum omni effectu in Germania destitui. Sic optandum equidem esset, ut Germani cujuscunque status ab ebrietate & compotationibus ad eandem irritantibus abstinerent. Sed cum ejusmodi vitia nequaquam legibus pœnalibus tolli queant, sed exempla potentum & divitum, idem docentium hic plus operentur, quam mille leges exemplis illis destitutæ, facile apparet ratio, cur leges Imperii contra ebrietatem toties repetitæ & potissimum *Reform. Polit. 1530. tit. 8* von Zutrincken, omni effectu in tantum caruerint, ut potius a majoribus ad posteros fuerit relatum, non paucos ex ipsis potentibus & eminentibus Imperii Proceribus in conviviis magnis

magnis vini poculis bibisse in sanitatem dictæ Reformationis Politicæ. Quod alteram classem æquitatis cerebrinæ attinet, leges æquissimas oppugnante, intelligo hic iterum per *leges æquissimas* tales in sensu negante, quæ revera non sunt iniquæ, sed reip. maxime utiles, etsi a JCtis quibusdam celebribus iniquitatis accusatæ fuerint. Et hujus quidem æquitatis cerebrinæ tria exempla jam adduxi *in dissert. de statuum Imperii potest. Legisl. contra jus commune §. 39. seq.* Scilicet ostendi 1. Mylerum ab Ehrenbach sine justa ratione impugnare consuetudines in nonnullis Helvetiæ partibus, secundum quas res furto ablatæ non dominis restituuntur, sed fisco applicantur, minime ita esse inhonestas & iniquas, ut ipse arbitratur, sed adhibitis rationibus omni pondere destitutis. 2. Idem dicendum esse de consuetudine, secundum quam bona naufragorum fisco vindicantur, & 3. de consuetudine, ubi homicidium in hominem proprium commissum, vel plane non, vel saltem mulcta pecuniaria coërceri solet, etsi & illæ communiter a plurimis Theologis & JCtis ut iniquissimæ oppugnari soleant.

Et leges æquissimas oppugnantis.

Erant enim *qqq*) anno 1524. in aula Vinarienſi Concionator Wolfgan-

---

qqq) Quæ hic ſequuntur usque ad finem hujus numeri, iisdem verbis deprehendes apud Seckendorffium *in Hiſtor. Lutheran. lib. 1. §. 177. p. 306.* unde deſumta ſunt. Sed mallem, ut vir Illuſtriſſimus, nunc beatus, plures circumſtantias litem hanc diſtinctius explicantes ſuppeditaſſet. Jam vero hoc loco præter conſuetudinem nimis brevis eſt, & de hac lite nihil amplius memorat. Et jam alibi in alio caſu ſimili ubi de Luthero Jus Canonicum publice & ſolenniter cremante agebatur, miratus ſum, cur Seckendorffius quoad illius facti circumſtantias tam pauca annotaverit. *vid. Caut. circa præcogn. Jurispr. Eccleſ. cap. 22. §. 2. p. 277.* ſed forte hæc ejusmodi defectuum in libro Seckendorffii genuina cauſa fuit. Non ſcripſit ibi Seckendorffius Hiſtoriam Lutheraniſmi, ſed, ut ex titulo apparet, *Commentarium* (partim) *Hiſtoricum & (partim, aut præcipue) Apologeticum de Lutheraniſmo, in quo Maimburgii Jeſuitæ Hiſtoriarum Lutheraniſmi libri tres corriguntur, & aliorum Scriptorum errores* aut

Monita quædam de Seckendorffii Hiſtoria Lutheraniſmi.

gangus Steinius, & Isenaci Straussius, & JCti quidam, qui Cæsareas leges, ut ab Ethnicis, Canonicas, ut a Pontificibus profectas, improbarent, & Mosaicum jus reduci mallent, tum usuras omnes, etiam legitimas illicitas esse dicerent. Erant, qui mercaturam, fidejussiones, & alia ejusmodi damnarent. Sed obstitit Princeps filius & consilio Lutheri in vera sententia confirmatus, & ope Cancellarii adjutus, ne Dux Saxoniæ pater, postea Elector, novarum istarum opinionum autoribus pro indulgentia sua nimium tribueret.

SECTIO

---

aut calumniæ examinantur. Ergo hic magis Advocati vel Patroni, quam Historici personam sustinuit vir Illustrissimus, neque adeo ab eo postulari poterat, ut prolixior fuerit in narrandis circumstantiis factorum, Lutheri & Ecclesiæ Lutheranæ nævos vivis coloribus depingentium, & de crassis in ea Papatus Politici reliquiis testimonia exhibentium &c.

SECTIO VI.

CONCLUSIO. XL. *Proclamatio Doctorum jam ante creatorum.* XLI. *Transitus ad creationem novorum Licentiatorum.* XLII. *Postulata prius explicatio L. Presbyteros 6. Cod. de Episc. & Cler.* a) XLIII. *Explicatio ipsa.* XLIV. *Approbatio dictorum & extensio legis ad Professores Academicos.* XLV. *Proclamatio novorum Licenciatorum.*

a) *Synopsis dissertationis de cura Principis Evangelici circa augenda salaria Sacerdotum. Ejus scopus. Status controversiæ & cautelæ eo pertinentes. Harum cautelarum usus intuitu osorum Ministerii Ecclesiastici. Thesis defendenda. Antithesis Adversariorum, subinde doctrinas Anabaptistarum repetentium, ad quas respondetur. Obligatio Principum ad sustentationem dignam ministrorum Ecclesiæ. Damna varia ex neglectu illius obligationis orta. Hæc non impediri per accidentia sacerdotum. Fructus auctorum salariorum. Responsio ad novam objectionem osorum Ministerii. Monita de modis non difficilibus augendi salaria Cleri.*

Conclusio. 40. Proclamatio Doctorum jam ante creatorum.

Quare finem dicendi hic facio, & ad negotium, cujus gratia solennis hæc panegyris est instituta, me converto, ac absque ulterioribus ambagibus Doctores juris sex ante hac diversis vicibus a facultate nostra privatim creatos atque renunciatos publice proclamo: Te Dn. D. &c. &c.

41. Transitus ad creationem novorum Licentiatorum.

Quibus peractis Vobis A. H. sisto viros Nobilissimos atque Consultissimos septem, partim absentes partim præsentes, quibus secundum Statuta Facultatis nostræ gradus Doctorum juris utriusque jam publice conferendus est, quorum unus cum jam dignitatem Licentiaturæ privatim etiam sit adeptus reliqui vero sex, ut publice illis conferatur a facultate nostra decenter petierunt ac impetraverunt, non opus est, ut eorum desideriis mora ulterior injiciatur. Et quamvis jam Facultati nostræ se se approbaverint singuli, examina duo, quorum prius tentamen, posterius examen rigorosum vocari

solet,

solet, pro more sustinendo, & in disputationibus inauguralibus etiam singularis suæ eruditionis specimina dederint:

Ut tamen & hoc in loco publico habilitatis suæ testimonium edant, ac eum in finem Statuta nostra jubeant, ut a Promotore uni ex Candidatis textus alicujus resolutio proponatur, age Tu Dn. Candidate, *Remberte Clüsener*, expone sensum & usum legis *Presbyteros 6. Codic. de Episc. & Clericis.* quæ de immunitate Clericorum agit a muneribus personalibus. Etsi enim huic textui parum videatur convenire cum præsenti panegyri, cum tamen nuperrime occasione disputationis cujusdam inauguralis a me in genere de cura principis evangelici circa sustentationem ministrorum Ecclesiæ *a*) actum

42. Postulata prius explicatio l. Presbyteros 6. C. de Episc. & Cler.

a) Proposita fuit illa disputatio anno 1707. d. 4. Novembr. Hic saltem exhibebo brevem ejus synopsin. Initio ostendi, valde corruptam esse Jurispru- dentiam

Synopsis illius dissertationis.

actum fuerit, certe non alienum erit

dentiam Ecclesiasticam in Papatu, quæ corruptio tamen non emendata fuerit post reformationem in Academiis Protestantium, partim ob neglectum studiorum, partim ob nimiam adulationem Politicorum. Scopus igitur dissertationis eo tendit, ut ostendatur, in nostris Ecclesiis doctrinam de sustentandis ministris Ecclesiæ ab excessu nimio Cleri Pontificii in alterum extremum fuisse delapsam, ut apud nos in defectu peccetur, adeoque magistratum Evangelicum obligatum esse, ut de emendatione hujus defectus cogitet, quem in finem etiam subinde breviter nonnulla de mediis & fructibus hujus instituti fuere suppeditata. Igitur ex Historia Ecclesiastica depinxi excessum Cleri papalis quoad divitias & honores, & subsequentem defectum apud Protestantes ratione tam inopiæ, quam contemtus ministerii Evangelici, ac simul ostendi, eum hodie non imminutum, sed auctum esse, scilicet si communem statum Ecclesiarum nostrarum consideremus, etsi pauca exempla & rariora non desint munerum Ecclesiasticorum, sufficientibus, ac tantum non

Ejus scopus.

Status controversiæ, & cautelæ eo pertinentes.

erit ab isto themate, si tu quædam de

non invidendis salariis pollentium, item si per contemtum & inopiam Ministrorum Evangelicorum non intelligamus contemtum contumeliosum & mendicitatem vagabundam, sed si comparationem instituamus cum aliis statibus personarum, æqualis vel minoris dignitatis, porro si consideremus Doctores Ecclesiæ, abstrahendo non solum a Clero minorum ordinum, quales sunt Ostiarii, Custodes, Psalmistæ, Cantores, sed & a Clero majoris dignitatis seu Canonicis, denique si observemus diversos inopiæ gradus tam apud Lutheranos, quam apud Reformatos. Hactenus dictis cautelis maxime opus esse notavi, cum osores ministerii hæc omnia confundere, & justitiam salariorum ministerii Ecclesiastici cavillationibus apertis traducere soleant, videlicet occasione calumniandi arrepta ex Theologorum & JCtorum Protestantium, justitiam salariorum Ecclesiasticorum defendentium, nimio studio, cumulandi & miscendi argumenta diversi ponderis. Quapropter putavi melius esse, ut abstinerem ab exemplis tam profanis quam ex historia

Harum cautelarum usus intuitu osorum ministerii Ecclesiastici.

ſacra deſumtis ob varias rationes ibi declaratas, item ut abſtinerem a dictis ſcripturæ, cum quæſtionis præſentis deciſio non pendeat a revelatione, ſed a dictamine juris naturæ; Porro, ut ob eandem rationem abſtinerem a jure humano tam Juſtinianeo & Canonico, quam ab Ordinationibus Principum Evangelicorum, multo magis ab autoritatibus Patrum, item Theologorum & JCtorum. Etſi enim iſtis cautelis non ſit opus, ſi agamus cum doctrinæ cupidis, tamen eædem maxime ſunt utiles adverſus hoſtes miniſterii, quorum characterem delineavi ibidem, adverſus quos ſola ratione & methodo palpabili bonæ diſputationis uſus ſum.

Theſis defendenda. Præmiſi theſin, quam defendere ibi volui: Omnes gentes ac populi putarunt juſtum & decorum eſſe, ut illos, quibus ut miniſtris cultus ſacri uterentur, tanquam ordinem Reipublicæ valde neceſſarium & ex præcipuis unum venerarentur & illis de ſuſtentatione decente proſpicerent. Poſtquam vero tam Gentiles quam Judæi Chriſto nomen dederunt, putarunt abſurdum eſſe, ſi doctores veritatis Chriſtianæ dete-

nistrorum Ecclesiæ differas, cum ea

deterioris esse conditionis deberent, atque fuerant sacerdotes Ethnici & Judæi, cum nulla ratio eis suadere potuerit, eam venerationem & sustentationem causam fore turbandæ quietis publicæ, ut potius palpaverint, quanta damna oritura sint, si ministerium Ecclesiasticum contemtui haberetur, & permitteretur in indigentia vivere. Sequitur antithesis adversariorum: Aliam esse debere Christiani Ministerii conditionem, ac sacerdotum paganorum vel Judaicorum: Christianos Ecclesiæ ministros debere gratis & sine ullo honorario fungi suo officio, ac tenuissimis alimentis, ac victu & amictu debere esse contentos, neque hæc petenda, ac ne quidem accipienda esse ab auditoribus, sed propria industria, & vel operibus manuariis aut agricultura esse acquirenda, neque nobiles aut in dignitate constitutos aptos esse ad Ministerium Ecclesiasticum, sed relinquendum id esse infimis ex plebe, & inter hos nullam hierarchiam esse admittendam, cum ea sit indubitatum indicium ministerii mercenarii & parum Christiani, contra, si secundum eorum ideam

Antithesis adversariorum.

ea si non pars, saltem tamen affine sit

formetur ministerium Ecclesiasticum, nescio quam felicissimam & plusquam Platonicam Rempublicam ac plusquam Angelicam Ecclesiam spondent ac pollicentur. Tum ostendi, adversariis incumbere onus probandi, non defensoribus ministerii Ecclesiastici. Sed ejusmodi probationes nullas ab adversariis proferri, sed hos saltem velle, suas absurdissimas doctrinas absque hæsitatione credi a nobis debere esse verissimas & infallibiles: nisi quod subinde dicta scripturæ cum Anabaptistis contorte exposita proferant, v. g. *Gratis accepistis, gratis date* Matth. X. v. 8. *Ne vocemini Magistri* Matth. XXIII. v. 10. *Argentum, aut aurum, aut vestem nullius concupivi, imo ipsi nostis, usibus meis & iis, qui mecum sunt, manus istas ministrasse.* Act. XX, 33. 34. *Neque gratis panem edimus acceptam a quoquam, sed cum labore & ærumna nocte dieque laborantes, ne quem vestrum gravaremus.* II. Thessal. III. 8. ad quæ tamen præter responsiones a Theologis & JCtis nostris allatas paucis ostendi, ea thesi meæ non obstare, si distinguas inter licitum & præceptum vel prohibitum, inter præcepta justi & decori, inter

Subinde doctrinas Anabaptistarum repetentium.

Ad quas respondetur.

sit illius, quam tum commendavimus sustentationis,

Reso-

inter officia auditorum & ministrorum &c. Deinde in gratiam eorum, qui facile ab osoribus ministerii seduci possent ex abundanti probavi thesin rationibus sequentibus, quarum assertiones etiam ab ipsis adversariis negari nequeunt: Cultum religiosum in Rep. esse maxime necessarium, ac propterea Principes esse obligatos, ut prospiciant sacerdotibus & doctoribus de sustentatione digna & honore decente; Neque in hac cura & ejus acceptatione errasse Principes & Sacerdotes Ethnicos, sed quod Principes Sacerdotum abusui, loco veræ Religionis superstitionem maxime bestialem introducentium, non se opposuerint, sed ejusdem fautores extiterint, ad stabiliendam tyrannidem, & suppressionem nimiam civium; Atque idem dicendum esse de Sacerdotibus & Regibus plerisque Judaicis & Israeliticis. Revivixisse autem obligationem primævam imperantium, in primis doctrinæ Christianæ & Apostolicæ seculis, ad sustentandos & honorandos ministros Ecclesiæ, ex regulis humanitatis & gratitudinis: Neque

Obligatio Principum ad sustentationem dignam Ministrorum Ecclesiæ.

T 5 huic

huic sententiæ obstare, quod Christus per viros nequaquam in dignitate constitutos & pauperes prima fundamenta jecerit doctrinæ Christianæ, cum hoc institutum nequaquam tollat præcepta gratitudinis, sed saltem admoneat ministros Ecclesiæ, ut liberalitate & honore oblato non avide & ambitiose, sed modeste uti debeant. Quam doctrinam illustravi ex variis ipsius Senecæ, quamvis ethnici, locis ex ejus libris de beneficiis. Similem gratitudinis reviviscentiam etiam locum sibi vindicasse tempore reformationis. His præmissis transitum feci ad partem alteram theseos de variis damnis ex neglectu illius obligationis in Remp. redundantibus, potissimum vero monstrando damna præcipua, quæ in Ecclesiis Protestantium ex sustentatione ministrorum Ecclesiæ parcius saltem suppeditata, & honore negligentius exhibito reipsa orta fuerint, videlicet 1. Neglectum studii Theologici intuitu Nobilium, & ingeniorum excitatorum, 2. Nimiam affluentiam pauperum, ignobilium & servilis ingenii hominum, qui laborare nolunt, ad studium Theologicum. 3. Auctos inde esse necessario in Rep. & Ecclesia malos mores, rixas, turbas, imo ipsum atheismum, 4. Adhuc plura damna,

Damna varia ex neglectu illius obligationis orta.

damna, v.g. augmenta hostium, & osorum ministerii; diminutionem benevolentiæ in fautoribus doctorum veritatis, per injurias Theologorum turbulentorum; stipendiorum Academicorum abusum; deficientiam militum & impulsum principum, ut ipsos opifices & agricolas ad militiam cogant &c. Et quamvis a non paucis opponatur, damna hactenus enumerata vel ideo non timenda esse, quod vilitas salariorum suppleri possit per accidentia ministrorum Ecclesiæ v.g. nummum confessionarium, honoraria pro baptismate, deductione funeris, concione funebri, item pro proclamatione & copulatione; experientiam tamen testari, accidentalia ejusmodi damna memorata non solum non impedire, sed potius exinde inter ipsos Ecclesiæ ministros oriri diffidia, invidiam, rixas, item intuitu auditorum scandala & resistentiam erga Principem, si hic ob nimium accidentalium abusum eadem tollere velit. Ergo facile judicari posse, quanti fructus sint expectandi, si Principes Evangelici serio de augendis pro dignitate salariis ministrorum Ecclesiæ cogitarent, scilicet, cessationem omnium damnorum hactenus recensitorum: & simul patere insignem differentiam inter

Hæc non impediri per accidentia sacerdotum.

Fructus auctorum salariorum.

inter osores & defensores status Ecclesiastici, nævos Clericorum memorantes; cum illi causam eorum primariam imputent ipsi Clero, hi vero Politicis non satis de Cleri sustentatione & honore sollicitis, adeoque simul moneant, in emendatione horum nævorum non a statu Ecclesiastico, sed a Politico & œconomico incipiendum esse. Respondi etiam ad objectionem osorum ministerii: Experientiam pariter testari, tam apud Gentiles & Judæos, quam apud Christianos, quoties Clero de divitiis & honore prospectum fuerit, toties Clerum istis bonis abusum esse, & populum in superstitionem crassam & atheismum practicum seduxisse, imo ipsos Rectores civitatum contempsisse & tantum non pedibus conculcasse, unde proverbium ortum: *Pietas peperit Ecclesiæ divitias, sed filia devoravit matrem.* Ergo melius esse, omittere curam augendorum salariorum ministerii, & relinquere emendationem omnium nævorum soli divinæ providentiæ.

Responsio ad novam objectionem osorum ministerii.

Docui igitur, non confundendam esse abundantiam opum & profusionem honorum cum horum sufficientia: Nequaquam enim metuendum esse, in territoriis Statuum Evangelicorum rem ad ejusmodi excessus perventuram esse, ut

ut ministri Ecclesiæ nimiis opibus & honoribus abuti possint, ut apud Paganos & in Papatu. Neque divitias & honores Clero potentiam dedisse, damnis modo memoratis afficiendi Rempublicam, sed quod Regentes in Republica non debite vigilaverint, ut sibi solis reservarent imperium, & quod, ad stabiliendam ope Cleri tyrannidem, usum istum arcanorum pseudopoliticorum sacerdotibus indulserint, & non intellexerint, hoc pacto Clerum ipsos subacturum, & ex capitibus brachia secularia effecturum esse. Quod si quis replicet, ad minimum aucta salaria occasionem suppeditare Clero, talia iterum tentandi, facile responderi posse, nihil tam pium & sanctum, imo prudens esse, unde non sumant occasionem peccandi homines malitiosi: deinde, si princeps operam det, ut JCti principia Juris naturalis & genuinæ Politicæ doceant, & arcana Cleri ex Historia eruant, tum ista arcana desitura esse arcana, sed vulgata futura esse, ut & opifices & fœminæ illa palpent. Denique demonstrata hactenus thesi proposita, pauca adjeci de mediis, quibus promoveri possint salariorum ministerii augmenta, ostendendo, ea non adeo esse difficilia, si modo ipsi mini-

Monita de mediis non difficilibus augendi salaria Cleri.

43. Explicatio ipsa.

Resolutio l. 6. C. de Episc. & Cler.

Verba textus, cujus resolutionem mihi Excell. Dn. Decanus injunxit, sunt sequentia:

Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos atque Exorcistas, & Lectores, Ostiarios, (Acolythos) etiam personalium munerum expertes esse præcipimus.

Mens

---

ministri Ecclesiæ ea non impedirent, irritando eos, a quorum consiliis talia media dependent, variis doctrinis ad reliquias Papatus Politici pertinentibus, & tamen in locis communibus Theologorum nostrorum, præcipue in capitibus de magistratu politico, aut ministerio Ecclesiastico adhuc acerrime defensis, v. g. contra bonorum Ecclesiæ secularisationem, & de præcedentia status Ecclesiastici præ magistratu Politico. Monstravi etiam sinceritatem & utilitatem horum monitorum. Denique subjunxi monitum de medio colleсtandi apto, & facili ad augenda salaria Ministrorum Ecclesiæ, si v. g. ex singulis hereditatibus, sive ab intestato sive testamentariis saltem per vicennium detrahatur portio vel vicesima, vel minor vicesima. &c.

Mens hujus textus generaliter huc redit, quod Clerici ab omnibus muneribus personalibus immunes esse debeant, & ut hoc plenius cognoscatur, designant Imperatores (1) quid nomine Clericorum intelligant (2) quale Privilegium illis indulserint. Erant scilicet Clerici in duplici gradu: Quidam in majoribus Ordinibus constituti, quidam in minoribus. Majoribus ordinibus præter Episcopum etiam Presbyteri & Diaconi accensebantur, qui sacris primario præerant, & in sacerdotio constituti dicebantur: Cæteri, ut Subdiaconi, Lectores, Ostiarii, Exorcistæ & Acolythi sub minoribus erant ordinibus, quia diversum plane ministerium in ecclesia exhibebant, sacra ipsa primario non peragentes, videlicet in sacerdotio non erant constituti, generali tamen nomine Clericorum veniebant. Cæterum de diversis eorum officiis & ministeriis multa congerere possem, nisi hoc ipsum ab ipsa decisione hujus legis me nimium avocaret. Proinde ut ad ipsam textus decisionem propius accedam, constat ex jure Romano, quod munera Reipubl. quæ cives singuli de necessitate subire debent, primario sint vel realia vel personalia. Illa in eo consistunt, ut quis

patri-

patrimonio suo reipubl. inserviat, hæc vero, ut non tam bonis suis, quam opera laboribus corporis vel animi, aliaque vigilantia publico præsit, negotia publica gerat, & quæ ad publicam utilitatem faciunt, peculiari opera prospiciat, de qua distinctione plenius *in tit. ff. de muneribus & honor.* agitur. Jam quidem ratio rerum publicarum, non aliter fert, quam ut singuli, qui sunt in republ. ad ejusmodi onera publica subeunda cogi queant, cum non aliter corpus illud civile subsistere possit, nisi singuli necessitatibus ejus succurrant, ex quo etiam Imperans in quavis republ. negotia reipubl. inter cives dispertiendi & onera publica illis injungendi jus habet; Interim tamen ex variis causis contingere potest, ut quidam ex subditis ab hisce oneribus publicis ab imperante, qui reipubl. præest, eximantur, qualia exempla in jure passim occurrunt. In præsentiarum occurrit exemplum de Clericis, quos jam antea Constantinus in *L. 2. C. Theod. de Episc. Eccl. & Cler.* ab omnibus omnino muneribus exemerat, Constantius etiam *in L. 9. C. Theod. ead.* hoc privilegium confirmaverat, postea de novo Valens, Gratianus, & Valentinianus, Augusti idem repetierant. Primario autem

tem hic a muneribus personalibus liberantur, id quod quidem non demum in republica Christiana obtinuit, sed apud antiquas etiam gentes in more positum fuisse videtur. Ut ex innumeris exemplis pauca tantum afferam, refert Dionysius Halicarnasseus *lib. 2. antiquit. Rom.* Romulum statim a primordio civitatis hoc privilegium sacerdotibus indulsisse. Ita nimirum ille: *His autem*, (intellige sacerdotibus,) *non ad certum aliquod tempus, sed quamdiu viverent hos honores concessit, eosque militiæ, ob ætatem, & negotiorum urbanorum, ob legem, immunes fecit.* Similia de moribus antiquorum Gallorum recenset Cæsar, *lib. 6. de bello Gallico c. 14.* his verbis: *Druides a bello abesse consueverant, neque tributa, onera cum reliquis pendunt, militiæ vacationem omniumque rerum habent immunitatem.* Apud Persas idem juris fuisse, docet nos edictum Artaxerxis Regis Persarum, quod in sacris literis *libr. 1. Esdræ c. 7.* asservatum habemus. Vestigium hujus privilegii sub Republ. Ethnicismo adhuc dedita occurrit *in L. 32. §. 4. ff. de recept. qui arbitr.* ubi Paulus hanc rationem suppeditat, *quod sacerdotes Dei sacris vacare oporteat.* Semper enim apud omnes Gentes sacerdotes in tanta existimatione & ho-

nore fuerunt, ut omnibus immunitatibus & singularibus prærogativis eos dignos censuerint. Sed ne exemplis tantum judicare videar, penitius in rationes inquirendum, quæ legislatores moverint, ut a muneribus personalibus clericos liberarent. Neque enim dubiis destituta videtur hæc decisio, si in examen revocatur: Constat enim (1) quod Clerici æque sint subditi ac Laici, & subjecti Imperantis potestati, ut proinde idem jus in eos exercere possit quod in alios, neque adeo per se & ratione suæ personæ prærogativam habere videantur. Et quamvis (2) Princeps in Republ. possit quibusdam immunitates concedere, tamen plerumque rationes politicæ id dissuadent, cum tales concessiones soleant alere discordias, invidiamque inter cives, ut, qui inter se æquales sunt, etiam æqualia ferant onera, quo intuitu in LL. XII. Tabb. cautum fuisse videtur: *Privilegia ne irrogato.* (3) Et ratio concedendi privilegia singularia in Clericis cessare videtur, cum enim paria habeant maxime hodie cum civilibus administris in Repub. commoda, cur non onera quoque cum his eadem ferre debeant, æque enim percipiunt salarium publicum, ut cæteri ministri.

Verum

Verum hisce non obstantibus æquissimam decisionem Augustorum esse nunc quidem probabo, ubi tamen rationes spurias & inadæquatas a veris & solidis separandas censeo. Ad illas refero argumentum Hispani JCti Gonzalezii *ad c. 4. n. 9. X. de immun. eccl.* Ubi ita ab exemplis gentium argumentum ducit: *Si Gentiles reges & Principes talem immunitatem sacerdotibus suis concesserunt, quanto magis Christiani principes hoc facere debent.* Utut enim exempla Gentilium quodammodo illustrare soleant, non tamen probant, & necessitatem legislatoribus in republ. præscribunt, licet quodammodo moveant. Ejusdem farinæ & hæc Pontificiorum est ratio, quod hæc immunitas clericorum sit juris divini, id quod disertis verbis in *c. per de censib. in 6.* asseritur, & variis aliis conciliis stabilitur, præsertim vero in Concilio Trident. *sess. 25. de reformat. c. 20.*, ubi diserte habetur, *ecclesiæ, & ecclesiasticarum personarum immunitatem Dei ordinatione & canonicis sanctionibus constitutam esse*, nam tales assertiones ex fundamentis Hierarchiæ ab omni potestate politica liberæ, proficiscuntur, qualis philosophia tamen tempore Augustorum, qui autores nostræ legis sunt, non obtinebat, sed Clerici suam

immunitatem beneficio imperatorum acceptam ferebant. Ergo potius videamus, quibus rationibus inducti Imperatores immunitatem concesserint. Scilicet expediti juris eſt, imperantem immunitatem quibusdam concedere poſſe, ſi cauſæ graviſſimæ id ſuadeant. Inter has primo loco nominari merentur merita perſonarum ſingularia, quibus aliis antecellunt, ut proinde in republ. meliori fortuna dignæ æſtimari debeant: Deinde quoque huc pertinet, ſi natura officii, quod quis gerit, non permittat, ut quis munera perſonalia reipubl. ſubire commode queat. Atque hæc duo fundamenta inprimis in miniſtris verbi divini deprehenduntur. Merita eorum ſingularia nemo, niſi ingratiſſimus in dubium vocabit, cum non curam pro re familiari vel alia terreſtri, ſed pro ſingulorum animabus gerant, ad æterna ſingulos ducant, a vitiis paternis monitis abſtrahant, & viam vitæ ſalutisque omnibus, imo ipſis imperantibus inculcent, quo intuitu Imperatores & Reges Antiquisſimi eos tanquam patres foverunt, & pasſi ſunt, ut filii ab iis nominarentur. Neque alterum fundamentum hic deficit, quod Conſtantinus M. *in L. 2. C. Theod. de Epiſc. eccl. & cler.* ipſe agnoſcit

U 2 ajens:

ajens : *ne*, quando munera ſubire neceſſum haberent, *a divinis obſequiis avocarentur*; Eſt enim miniſterium ſacrum ita comparatum, ut totum hominem, ut loquuntur, requirat, & ſi muneribus gravarentur, tot laboribus, quos ſuſcipere neceſſe habent, non amplius digne ſupereſſe poſſent, id quod magis noxium, quam utile reipubl. futurum eſſe, quilibet fatebitur. Ponamus miniſtros verbi divini, tutelas, excubias, ærariorum & aliorum operum publicorum præfecturas ſuſtinere debere, nonne cura animarum poſtponeretur, vel ſaltim remiſſius perageretur ut quidem illa majori cum ſolertia nunc expediri poteſt, ubi legibus immunitas a muneribus perſonalibus illis indulta eſt. Et hoc intuitu diſertis verbis Juſtinianus *in L. 52. §. 1. C. de Epiſc. & Cler.* immunitatem tantum reſtrinxit ad eos clericos, qui omni ſolertia divinis operam dant. *Eos tamen*, inquit, *Clericos & Monachos hujusmodi habere beneficium ſancimus, qui apud ſacroſanctas Eccleſias vel monaſteria permanent, non divagantes, neque circa divina miniſteria deſides, cum propter hoc ipſum beneficium eis indulgeamus, ut aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis miniſteriis inhæreant* quod quoque deinceps *in Nov. 123. c. 6.* repetiit, &

horum rationem etiam Gentiles JCti agnovere, uti supra *ex L. 32. §. 4. de recept. qui arbitr.* vidimus. Atque contra hæc fundamenta nequicquam faciunt dubia superius mota, cum primum & secundum dubium tantum ostendat, quod ipso jure quidem subjecti sint oneribus reipubl., sed inde non evincitur, quod Imperans eosdem ex adductis rationibus non possit ab iis eximere. Tertia denique dubitatio satis jejuna est, non enim intuitu commodorum hoc privilegium eis indulgetur, sed aliis ex caussis. Et hæc ratio ne quidem evincit, eos oneribus patrimonialibus esse subjiciendos, multo minus ergo illa eos ad subeunda onera personalia adstringet. Prius facile probatur exinde, quod hac ratione nemini immunitas a realibus oneribus concedi deberet, quia fere nemo est in republ. qui non aliqua commoda a republ. habet. Iniqui sunt censores in clericos, qui eis commoda, quæ a Republ. habent, invident, & non simul considerant, qualia commoda respubl. a ministris verbi divini habeat, si suo officio bene fungantur. Sicubi vero in casu necessitatis omnia privilegia & immunitates suspenduntur, quia alioquin utilitati reipubl. essent noxia, ita

pari

pari ratione hæc immunitas a muneribus personalibus clericis concessa in casu extremæ necessitatis cessare debet, quod ipsum etiam agnovit jus Canonicum. Ita enim Gregorius *in c. 2. X. de immunit. eccl.* *Quia vero comperimus, multos se a murorum vigiliis excusare, sit fraternitas vestra sollicita, ut nullum nec per nostrum vel ecclesiæ nomen aut quolibet alio modo defendi a vigiliis patiatur, sed omnes generaliter compellantur, quatenus cunctis vigilantibus, melius auxiliante Domino, civitatis valeat custodia procurari.* Unde etiam Canonistæ ad hunc textum unanimiter docent, quod etiam in casu necessitatis Clerici teneantur ad viarum, fontium, & pontium refectionem & similia onera personalia, quæ omnia cum in singulari æquitate fundata sint, merito in Foris Protestantium quoque debent obtinere.

44. Approbatio dictorum & extensio legis ad Professores Academicos.

Ita est, uti dixisti, Nobilissime Dn. Candidate, & dignitas officii, quod gerunt ministri Ecclesiæ, & reverentia ab Auditoribus divino numini debita, & laborum gravitas ac varietas, quos pro cura animarum sustinent satis firmant exceptionem a regula politica, quæ sua-

det, non facile a principe prudente indulgendam esse immunitatem a communibus oneribus, adeoque simul docent, constitutionem illam Imperatorum Valentiniani, Valentis, & Gratiani, quam hactenus exposuisti, non esse iniquitatis aut carentiæ politicæ prudentiæ accusandum. Quod si vero quis ulterius consideret indigentiam ministrorum Ecclesiæ nostrorum, & quam sæpe in secularisatione bonorum Ecclesiasticorum a Politicis erratum fuerit, is facile judicabit, tantum abesse, ut immunitas illa ministris Ecclesiæ nostris a quoquam sit invidenda, ut potius, si lex illa nondum esset lata, quilibet, qui saltem exiguum humanitatis sensum habet, pro ejus publicatione omnibus viribus laborare deberet. Ut taceam nostrum commune interesse, qui Professores dicimur in Academiis. Nostra enim immunitas, nisi me omnia fallunt, non aliam propiorem originem habet, quam, quod in prima Univer-

versitatum institutione omnes Professores numero Clericorum adscripti & ex classe Laicorum fuerint exempti, ut adeo, si ministris Ecclesiarum Protestantium non deberetur immunitas, valde etiam vacillarent privilegia nostra.

His ita more majorum observatis, non detinebo amplius desideria vestra Nobilissimi Dn. Candidati, quin potius in nomine divino & ex autoritate qua polleo Imperatoria & Regia ego Chr. Thomasius, J. U. D. promotus, & ad hunc actum promotor legitime constitutus *45. Proclamatio novorum Licentiatorum.*

Te Dn. CHRIST. FRIDER. PLATNER, Reip Goslar. Syndicum, absentem tanquam præsentem:

Te Dn. &c. &c.

Vos omnes, inquam & singulos J. U. Licentiatos proclamo, vobisque jura, Licentiatis utriusque juris in omnibus Germaniæ Academiis competentia, potestatemque gradum Doctoris assumendi solenniter confero.

SECTIO VII.

XLIV. *Transitus ad promotionem Doctoralem. Postulata prius decisio casus ex Valerio Maximo lib. 7. c. 3. exemplo 2. externo.* XLVII. *Decisio ipsa.* XLIIX. *Judicium de ea Promotoris.* a) XLIX. *Præstatio juramenti.* L. *Votum promotoris.* LI. *Creatio Doctorum.* b)

a) *Locus Augustini, quod non omnibus contradicentibus sit respondendum.*

b) *Creationis homonymia & usus vocis præsens.*

46. Transitus ad promotionem Doctoralem. Postulata prius decisio casus ex Valerio Maximo lib. 7. c. 3. exemplo 2. externo.

CUm vero statim adspiretis ad summos in utroque jure honores, eumque in finem potissimum solennis hæc panegyris sit instituta, nec hac in parte morabor vestra desideria. Necesse tamen erit, ut antequam id fiat, novo quodam eruditionis specimine Vosmet ipsos splendido huic Auditorio commendetis. Cum autem JCti officium præcipue consistat in propositorum vel etiam in ipsis rerum negotiis ex improviso emergentium dubiorum prompta atque expe-

expedita resolutione, & prudenti responsione ad consultationes quasvis, ad Te me converto, Nobilissime *Dn. Licenciate Pagendarm*, tibique casum illum jucundum pariter & difficilem propono, cujus mentionem facit Valerius Maximus. Mulier quædam a duobus hospitibus depositum acceperat, ea conditione, ut illud simul utrisque redderet. Horum alter, interjecto tempore, tanquam mortuo socio, squalore obsitus, depositum repetiit, ac sic decepta muliere credula illud abstulit. Supervenit deinde alter, & depositum petere cœpit. Hærebat misera in maxima pariter & pecuniæ & defensionis penuria, jamque de laqueo & suspendio cogitabat; Demosthenes, famigeratissimus ille in Græcia Orator, & causarum Patronus, cum in advocationem veniret, nihil aliud pro ejus defensione protulit, quam, quod mulier parata sit depositi se fide solvere, sed, inquit, nisi tu actor socium adduxeris, id facere

non

non poteſt. Quoniam, ut ipſe vociferaris, hæc dicta eſt lex, ne depoſitum alteri ſine altero reſtituatur. Jam finge coram tribunali cui, Tu Nobiliſſime Dn. Licentiate judex eſſes præfectus, iſtam cauſam hodie agi, & ſententiam pronuncia in hac controverſia, utrum reum velis abſolvere, an condemnare, an prius interlocutoria opus eſſe arbitreris.

47. Deciſio ipſa. Reſolutio quæſtionis.

Propoſita mihi eſt quæſtio ad reſolvendum, deſumta ex caſu quodam eleganti & admodum curioſo, quem ſub his circumſtantiis refert Valerius Maximus *lib. 7. c. 3.* Scilicet quædam mulier a duobus hoſpitibus pecuniam depoſitam acceperat, ea lege, atque conditione, ut non redderet, niſi ipſis utrisque. Horum alter interjecto medio tempore, tanquam mortuo ſocio, ſqualore obſitus, & in luctu conſtitutus, ſine judice, ſine ſatisdatione omnem pecuniam a muliere abſtulerat, ſed cum alter poſtea ſuperveniſſet, & pecuniam ibidem repeteret a depoſitaria muliere, resque ad magiſtratum eſſet delata, diſputatum fuit, an actio depo-

deponentis fundata esset, ita ut mulier depositaria ad solvendam pecuniæ depositæ quantitatem condemnari queat? Quæ hinc inde inter partes litigantes adducta fuerint, Valerius Maximus loco allegato non refert, sed Jurisconsultus facile divinare potest, quæ hinc inde fuerint agitata. Scilicet Rea quidem opponebat (1) se bona fide in restitutione egisse, & ita absque dolo malo quantitatem integram socio ejus restituisse. Jam autem (2) expediti juris esse, in deposito duntaxat præstandum esse dolum & latam culpam, quorum neutrum ipsi imputari posset, quia dolo careret, nec culpa quædam ipsi imputari posset, cum depositario mortem socii alleganti, & luctum propter mortem ejus simulanti, tuto fidem habere potuisset, atque adeo (3) actorem potius adversus socium, qui decepit experiri debere, non suum periculum facere. (4) Et licet vel maxime lex hæc deposito adjecta fuisset, ne aliter quam utrisque redderet, tamen, si alter revera mortuus, omnino se obligatam fuisse, ut superstiti solo redderet, alioquin se in dolo fuisse, si sub hoc prætextu restitutionem superstiti denegasset, quod non nisi utrisque simul reddere deberet. E contrario actor pro se

ſe allegabat, (1) legem expreſſe dictam fuiſſe contractui, depoſiti, ut non niſi ambo totam pecuniam repeterent, hanc conditionem debuiſſe ſpecifice impleri, & a Depoſitaria obſervari, quam legem, cum non obſervaſſet, parum a dolo vel ſaltim a lata culpa eandem abeſſe, cum ſicuti error circa jus communiter latæ culpæ annumerari ſoleat, ita quoque talis error circa legem contractui adjectam merito ad culpam latam referri debeat. (2) Allegabat, quod rea nimis credula fuiſſet, quippe quæ ſtatim ſocio nuncium de morte ſocii afferenti fidem habuiſſet, cum potius non ſtatim credere, ſed probationes aliumve certiorem nuncium, cui, an id fingeret, nihil cauſæ eſſet, expectare debuiſſet, ex quo concludi poſſet, talem crudelitatem culpam quandam latiſſimam continere, uti patet *ex l. 1. §. 2. ff. de eo per quem fact. eſt.* quod quidem eo magis dicendum erit in tali caſu, ubi major curioſitas in eo, qui alteri fidem habet, requiritur, quæ ſi non fuerit adhibita, ubi adhiberi debebat, credulus magnæ culpæ reus eſt *l. 3. §. 9. ff. de in rem. verſ.* Jam autem in præſenti caſu, ubi agitur de præjudicio tertii, & implenda fide contractus, omnino mulier curioſior eſſe de-

debuisset, quæ tamen simpliciter ejus simulationi fidem habuit, & nimis temere & imprudenter integram pecuniæ summam solvit. Accedebat & hoc argumentum (3) pro petitione actoris, quod depositaria in dubio potius pecuniam in æde deponere, aut satisdatione a socio præstita reddere, vel denique jussum Magistratum prius expectare debuisset, quorum neutrum tamen factum esset. Et quidem hoc ipsum leges Romanæ quoque agnoscunt, dum JCtus *in l. 1. §. 36. ff. depos.* de uno ex pluribus heredibus rem individuam repetente ita decernit: *Si res sunt, quæ dividi non possunt, omnes debebit tradere, satisdatione idonea a petitore eidem præstanda, in hoc quod supra ejus partem est: satisdatione autem non interveniente, rem in ædem deponi, & omni actione depositarium liberari*, quæ decisio ad præsentem casum satis commode applicari posse videtur. Sicuti enim res individua non aliter quam omnibus heredibus simul, vel uni etiam sub cautione est restituenda; Ita quoque in præsenti casu ex vi pacti depositaria vel utrisque simul, vel uni sub cautione rem restituere debuisset; Quod si itaque Depositaria ex Legibus ad cautionem recipiendam obstricta fuerit, rursus culpæ latissimæ

rea

rea esse videtur, nec ignorantiam juris allegare potest, quippe quæ mulieribus ordinarie non prodest, maxime ubi de de tertii præjudicio agitur. Ulterius (4) allegabatur, mulieri bonam fidem prodesse non posse, cum de hac quidem in præsentiarum nulla quæstio principaliter moveatur, sed de facto ipsiusmet mulieris, priusquam pecunia deposita est, quæ alii & aliter quam deponenti heredive ejus restituendo non magis posset liberari, quam si debitor alteri, quam creditori suo solverit. Atque hæc quidem erant fundamenta Actoris, ad quæ eludenda Demosthenes Patronus mulieris novo argumento, & satis quidem arguto contra actorem usus est, inquiens: *Ecce parata est rea, depositi fidem solvere, sed nisi socium adduxeris, id facere non potest, quoniam ut ipse vociferaris, hæc dicta Lex est, ne pecunia alteri sine altero numeretur.* Atque ita quidem pronunciatum esse ait Petrus Ærodius *in pandectis rerum judicatarum*, socium non recte, atque ex lege agere, etsi Valerius Maximus de sententia diserte nihil memoret: Non improbabilis tamen est conjectura Ærodii. Cæterum utrum judices in pronunciando magis ad Demosthenis argutam ratiocinationem, an vero potius

ad alia fundamenta juris respexerint, non facile determinaverim, interim tamen decisionem judicialem omnino juri convenientem fuisse arbitror. Principalis quæstio huc redire videtur, an depositaria non aliter uni ex sociis solvere debuerit, quam interveniente cautione? Id quod quidem actor potissimum ursit, sed necessitatem non satis demonstravit. Pertinent cautiones ad regulas prudentiæ & securitatis, ideoque regulariter in negotiis extrajudicialibus non sunt necessariæ, sed arbitrariæ. Hoc quidem negari nequit, mulierem prudentius egisse, si sibi de cautione prospexisset, ast de eo nunc quidem non quæritur, sed potius de necessitate prævisa, an leges eam ad hoc ipsum adstrinxerint. Si vel maxime ex jure Romano hæc quæstio esset decidenda, tamen ne sic quidem lex adducta hic applicari posset. Nam tunc demum cautio requiritur a Legibus, quando certum est, adhuc alios superesse coheredes, qui itidem de deposito agere possunt, quia sic depositario ab aliis lis est metuenda, quæ circumstantia hic cessat, ubi depositaria juste & b. f. existimavit, alterum ex sociis deponentibus mortuum esse, atque ita superstiti soli solvendam esse pecuniam.

(2) In Prædicta lege non de necessitate absoluta cautio requiritur, sed illud tantum asseritur, quod depositarius invitus, ut uni ex pluribus heredibus integrum depositum absque cautione præstita solvat, cogi nequeat, sed quod possit pro sua securitate cautionem exigere, ne forsan ab alio coherede postea desuper litem metuere necessum habeat. Et denique (3) cautio unice in legibus depositario in sui favorem commendatur, non in gratiam tertii & consequenter socius hic opponere nequit in sui commodum feminam contra jus egisse, quod cautionem non exegerit. Aut enim jus agendi contra fœminam salvum habet aut non. Posteriori casu, frustra defectus cautionis allegatur, priori vero, sive cautio fuisset exacta sive non, tamen jus suum persequi nihilominus potuisset, & solummodo cautio tunc depositariæ ad hoc profutura fuisset, ut sic regressum contra fidejussores habere potuisset, si ad solvendum depositum condemnata fuisset. Ergo ex aliis circumstantiis nunc videndum, an actio socio adversus depositariam supersit. Scilicet non ulterius obligatur de jure depositarius, quam ad dolum & culpam latam præstandam. Sed neutrum feminæ hic impu-

imputari potest, non dolus, quia bona fide solvit, cum juste credidit, alterum ex deponentibus mortuum esse, non culpa lata, quia hæc tam enormem desidiam denotat, qualis vix in eos cadere solet, qui communi sensu fruuntur. Ast si vel maxime quædam culpa depositariæ imputari posset, illa tamen ad hunc gradum summum referri nequit, quippe cum fœmina per ejusmodi dolum decepta fuerit, quo etiam prudentiores in errorem deducere potuissent. Neque enim illa, quæ actor pro suo jure allegavit, culpam aliquam latam arguunt. Non primum fundamentum, quia in facto non in jure erravit femina, seu erravit in eo, quod putaverit, alterum ex deponentibus jam defunctum fuisse. Non secundum, quia credulitas aliquam quidem culpam arguit, sed non talem, qualis hic desideratur. Etiam Cicero *lib. 10. epist. 23.* annotavit *credulitatem magis errorem esse, quam culpam, cum in optimi cujusque mentem facile irrepere soleat*, præsertim, si ejusmodi circumstantias supponimus, quales hic concurrunt, ubi socius vestibus lugubribus indutus mortem socii referebat, cui eo magis fides haberi poterat, quo magis externi luctus signa edebat. Multo minus tertium

fundamentum culpam latam arguit, siquidem hujus contrarium jam antea ostensum est. Et denique ad quartum argumentum ab actore allegatum idem fere respondendum, quod jam sæpius dictum est. Licet enim forsan non eo, quo debebat modo solverit, tamen semper huc redit quæstio, an eo ipso dolo & lata culpa peccaverit, quod ob sæpe adductas circumstantias dici nequit. Ex quibus omnibus denique concludo, mulierem pure ab actione absolvendam esse.

48. Judicium de ea Promotoris. Ego quidem Nobilissime Dn. Licentiate facile tibi consentio, &, si ex meo voto formanda esset sententia, non aliter pronunciarem. Cæterum an idem videatur toti huic illustri & splendido auditorio, nec tibi nec mihi promittere valeo. Præterquam enim, quod rarissimæ sint sententiæ judicum, quæ omnibus placeant, insuper casus propositus tales circumstantias habet immixtas, quæ facile alios ad dissentiendum movere possint. Quid si enim alius sententiam tuam accuset, eam nimis sapere jurisprudentiam cadaverosam, cum ea verbis pacti

nimis

nimis inhæreat, omissis regulis æquitatis: quid si dicat, iniquum esse, ut socius forte innoxius re sua privetur ob dolum socii, & simplicitatem depositariæ; quid si actor urgeat, quod velit cautionem præstare, de indemnitate, si alter socius iterum rediturus sit, quid si urgeat, saltem dimidium depositi esse restituendum actori, præprimis cum secundum Valerium Maximum res divisionem recipiat, utpote qui casum format de depositione pecuniæ. Non eo animo ista profero, ac si te refutare, aut a deciso tuo vellem dissentire, sed quia in seculo vivimus, ubi æquitas illa cerebrina, quam in oratione spectrum jurisprudentiæ diximus, multos ita occupavit, ut etiam solidissimas & apertissimas juris assertiones nec palpent nec videant. Ostendere saltem volui, quid alii forte dicturi sint. Et cum ex ipsa resolutione tua dubiolis ejusmodi facile possit satisfieri, non detinebo etiam auditorium in eorum refutatione. Sæ-

pe enim in ejusmodi contradictionibus ex æquitate cerebrina profectis locum habet illud, quod Tacitus *a*) de contumeliis dicit: *Spreta vile-*

Locus Augustini, quod non omnibus contradicentibus sit respondendum.

a) Quodsi forte Tacitus tanquam Ethnicus tibi displiceat, quodsi tu Lector forte totus Augustinianus sis, & optes, ut potius ex sanctissimi Augustini Civitate Dei locus aliquis fuisset adductus; Ecce, ut tester, quantum te amem, etiam hac in parte desiderio tuo satisfaciam. Sic enim Augustinus *lib. 2. de C. D. cap. 1. circa finem. Quis disceptandi finis erit, & loquendi modus, si respondendum esse respondentibus semper existimemus. Nam, qui vel non possunt intelligere, quod dicitur, vel tam duri sunt, adversitate mentis, ut, etiamsi intellexerint, non obediant, respondent, ut scriptum est, & loquuntur iniquitatem, atque infatigabiliter vani sunt. Quorum dicta contraria, si toties velimus refellere, quoties obnixa fronte statuerunt non curare, quid dicant, dum quocunque modo nostris disputationibus contradicant, quam sit ærumnosum & infructuosum vides.* Jam igitur poteris iterum caput tegere, benevole Lector Augustiniane. Nam textus est prælectus. Interim cogita, an Augustinus hic meum aut tuum, & nobis

vilescunt, *si irascaris agnita videntur.* Sic & de istis contradictionibus cogitandum. *Si sileas*, *vilescunt*, *si respondeas*, *videntur esse alicujus momenti.*

Ergo mittamus ista, & ad rem majoris momenti nos convertamus. Tale omnino est ipsum, quod jam tractatur negotium, dum Vos Nobilissimi Dni. Licentiati ad Doctoris in utroque jure gradum adspiratis. Neque enim solus Titulus hic vobis tribuitur, sed insimul justitiæ confertur sacerdotium, ac propterea omni studio Doctoribus eo laborandum est, ut quæ ad honorem DEI & promovendam justitiam publicæque rei salutem spectant, promte & ad conscientiæ ductum conferant. Atque hoc, ut eo

49. Præstatio juramenti.

nobis similium genium vel ingenium descripserit. Sed absque præjudicio autoritatis cogita, &, si forte usum rationis cum sancta Theresia jam abjeceris, ante omnia ora Deum, ut hanc stultitiam tibi ignoscat, & quantocius usum rationis rectæ tibi reddat.

eo certius faciatis ſolenni jurejurando ad hoc eritis adſtringendi. Accede igitur Ampliſſime & Conſultiſſime Secretarie Academiæ, atque Licentiatis verba ſolennia, in quæ jurandum ſit clara voce prælege & ab illis juramentum ſuſcipe.

(Hoc præſtito continuavit Promotor.)

50. Votum promotoris. Ita vos DEUS adjuvet, atque gratia ſua ſempiterna vobis aſſiſtat, ut ſemper memores ſitis eorum, quæ in præſentia tot teſtium jurato promiſiſtis. Etenim per hoc juramentum ſeparamini a rabularum conſortio, & piis pariter atque ingenuis juſtitiæ ſacerdotibus adſcribimini. Quare vobis maxime cavendum erit, ne venalem aut linguam aut calamum habeatis, ſed omnia ita peragatis, ut DEO in judicio quondam extremo rationem geſtorum reddere valeatis. Quod vobis omnibus animitus apprecor.

51. Creatio Doctorum. Itaque nihil amplius reſtat, quam ut votis veſtris ſatisfiat, Nobilis-

bilissimi Dn. Licentiati. Ergo quod felix faustumque esse jubeat DEUS ter optimus maximus, ego Christianus Thomasius J. U. D. & Professor publicus, & ad hunc actum rite constitutus promotor

TE Dn. Licent. Joh. Philippum Odelem,

TE Dn. Licent. Christoph. Frideric. Platnerum &c. &c.

Vos omnes inquam & singulos, ea qua polleo autoritate Imperiali & Regia J. U. Doctores creo, *b*) creatosque

b) Aliter creationis voce utuntur Christiani & sancti patres; aliter Ethnici & Gentiles. Apud illos creare significat aliquid vel plane ex nihilo facere, vel ex rudi indigestaque mole aliquid producere. Hutterus *in compend. Theol. loc. quart. qu. 1.* Sed hunc significatum creationis non poterant in mente habere Gentiles, utpote qui omnes statuebant, materiam primam fuisse Deo coæternam. Ergo, ut etiam Lexicon Fabri agnoscit, apud eos semper creare significabat producere aliquid ex aliquo, sive facere, pa- rare,

Creationis homonymia & usus vocis præsens.

tosque pronuncio, & proclamo, ac
ab

---

rare, ſine reſpectu an materia ad id ſit apta, an vero rudis & indigeſta moles, vel etiam, ut ſignificet electionem per ſuffragia ad officia & munera publica. Quem in finem ex Plauto, Cicerone, Salluſtio, Livio, Celſo ſolent adduci phraſes: Creare *ærumnas alicui:* Creare *ſibi, capiti ſuo, fraudem:* Creare *periculum alicui:* Creare *pecuniam & malis & bonis rebus:* Creare *Magiſtratus, Conſules, Duces bello gerendo* &c. Jam ſcire velim, quem ſignificatum in mente habuerint illi, qui primo in promotione Magiſtrorum vel Doctorum termino creationis uſi ſunt, & an hodie Promotoribus Chriſtianis & Evangelicis, maxime vero JCtis, vitio verti poſſit, ſi creationis termino in promotionibus utantur in ſenſu Gentilium. Quod primam quæſtionem attinet, nullum eſt dubium, Academiarum & Univerſitatum, & potiſſimum promotionum in Magiſtros & Doctores originem apud Chriſtianos quærendam eſſe in ſeculis, ubi craſſisſimus Papatus, & craſſisſima regnabat ignorantia etiam apud ipſos docentes, ſed tamen perpetuo obtecta affectatæ pietatis & ſanctitatis larva, & per eam occul-

ab omnibus pro Doctoribus Juris rite

---

occultata. Vide *paulo plenior. Histor. jur. Natur. cap. 4. juncto cap. 3.* Cum ergo illis primis temporibus non essent discipuli supra magistros, non poterat etiam aliter fieri, quam ut creatio Doctorum & Magistrorum denotaret productionem ex nihilo vel ex rudi indigestaque mole. Atque hic mos diu continuatus fuit, nec dissimularunt eum ipsi promotores. De tali siquidem creatione intelligendum est vulgatum dicterium Promotorum in Academiis Italiæ: *Sumimus pecuniam, & mittimus singulares creaturas in Germaniam.* Post reformationem (ut ad secundam quæstionem transeam) apud Protestantes equidem jam non disquiram de eo, quid fiat in Academiis utriusque Religionis, sed quid fieri, & quem sensum habere debeat terminus creationis in promotionibus secundum statuta Academica & secundum confessiones fidei Evangelicæ. Non nego, nullam ostendi posse cathedram in Academiis Protestantium, ex qua non creati fuerint Doctores & Magistri quarumcunque facultatum indigni, & quidem non pauci sed plures. Ast si statuta Academiarum evolvamus, quæ

rite creatis haberi volo, mando, jubeo, & universa jura & privilegia, quæ Doctoribus juris in aliis Europæ Academiis quibusvis competunt Vobis solenniter & efficacissime confero.

SECTIO IIX.

LII. *Reliqua promotionis solennia. Ascensus in cathedram superiorem.* a)

a) *Solennitates promotionum quid significent.*

LIII. *Li-*

quæ solum dignos & eruditos jubent creari Doctores, si confessionem fidei consideremus, quod nullus homo, sed solus Deus ex nihilo aliquid facere & ex rudi indigestaque mole aliquid producere possit, sua sponte sequitur, quod apud Protestantes in promotionibus vox creandi nihil aliud debeat denotare, quam novum ens ex alio ad id sua natura apto producere. Simul vero ex hactenus dictis constat, nequaquam cum Pharisæis Christianis Patrum lectionem & ab illis impositam vocibus significationem indistincte præferendam esse lectioni Ethnicorum & usurpationi vocum ab his inventarum, etsi a sanctis patribus recedentium.

LIII. *Librorum apertorum traditio.* LIV. *Clauduntur libri.* LV. *Impositio pileorum in capita.* LVI. *Et annulorum in digitos.* LVII. *Osculi datio.* LIIX. *Gratulatio.* LIX. *Gratiarum actio.*

CUm vero more majorum institutum sit, ut certis & solennibus ritibus *a*) promotio Doctorum perficiatur, etiam ad illa jam pergendum erit. Quare ascendite jam ab inferiore cathedra *52. Reliqua promotionis solennia: Ascensus in cathedram superiorem.*

a) *Quinque* solennitates jam olim in promotione Doctorum juris adhibitas earumque significatum ex antiquis Glossatoribus proposuit Guido Panzirolus *de clar. leg. interpret. lib. 2. c. 1. p. 95.* (ad quem locum etiam respicio in sequentibus, quoties Panziroli mentionem facio:) *primo* aperturam libri, ut ostendatur, promoto apertam esse juris interpretandi facultatem, *secundo* impositionem Pilei seu Bireti in caput promoti, i. e. sacerdotalis capitis tegumenti, ut videlicet istud tanquam sacerdotes justitiæ gereret; *tertio* impositionem annuli aurei digito tanquam justi- Solennitates promotionum quid significent.

dra, quam hactenus occupastis, ad me promotorem in cathedram superiorem, ut ea, quæ hic peragenda restant, absolvantur. Salvete Domini Doctores. Ita primus ego vos compello. Salvete, & ad latus meum consistite. Estis jam in loco superiori constituti, estis hoc modo a fece plebis separati. Sed cavete

justitiæ sponso, vel, ut alii volunt, annuli signatorii, ut responsa signare possit; *quarto* osculum promoto a promotore datum, gratulandi causa ob adeptam dignitatem, vel ut alii volunt, ut pacis, quam Doctores colere debeant, symbolum; *quinto* benedictionem. Cum vero & in his solennitatibus multæ lateant reliquiæ Papatus, non vitio vertendum Waldschmidio, quod plane aliam harum solennitatum significationem satyrice quidem sed ingeniose docuerit, quam excerpsi in denen Monatlichen Gedancken *1688. mense Aprili p. 280. seq.* Cum qua si conferre velis præsentem expositionem, deprehendes eam mediam esse inter superstitiosam interpretationem veterum Glossatorum, & satyricam Waldschmidi, etsi huic propius accedat.

cavete, ne per plebem ſaltem intelligatis vulgus ignobile, vulgus egenum, vulgus eruditione carens. Separati etiam eſtis a fece eruditorum, a fece potentum, a fece divitum, ſub Plebis voce omnes volo intellectos, qui virtutis & ſapientiæ ſemitam non calcant, ſed cupiditatibus ſuis indulgent, aut vana eruditione ſuperbiunt. Ergo operam dabitis ſedulo ac diligenter, ut non ſolum Doctorum titulo, ſed & ſerio virtutum & veræ non ſimulatæ philoſophiæ ſtudio, qualis noſtra Jurisprudentia eſt, præ reliquis emineatis.

Trado vobis libros initio apertos, ut recordemini, Jurisprudentiam habere corpus, ut non indulgeatis ſoli ingenio veſtro aut æquitati cerebrinæ, ſed ante omnia conſulatis leges præſcriptas, quarum interpretes non ſolum, ſed & cuſtodes decet eſſe genuinos JCtos, ut conſulatis etiam alios Doctores. Oculi enim plus vident, quam oculus, & ſæpe occaſionem JCto dant illi præceptores muti veritatem *53. Librorum apertorum traditio.*

tem

tem & justitiam inveniendi, quod citra eorum consultationem, alias expeditu fuisset difficillimum.

54. Clauduntur libri. Sed claudo rursus libros: Est Jurisprudentia habitus intellectualis, & nihil sapit, qui ex solis sapit commentariis, & qui solum jurisprudentiam illam cadaverosam callet, quæ ubique clara legum verba crepat, ratione seu anima destituta, quæ allegatione solum Doctorum contenta nullo habito respectu ad id quod Doctores ex regulis veræ jurisprudentiæ dicere debuerant. Cavete ergo, ne credatis, Papam solum aut Imperatorem leges debere in scrinio pectoris habere, Jureconsultum saltem in cerebro. Cerebrina ista Jurisprudentia est, at vera etiam in pectore JCti residet.

55. Impositio pileorum in capita. Impono capitibus vestris pileos Doctorales tanquam libertatis & ingenuitatis indicium. Libertatis vero non absolutæ, sed quæ legibus vivit. Nostis enim, quid jus nostrum disertis verbis inculcet. *Facta quæ lædunt pietatem ac justitiam,*

ac quæ bonis & honestis moribus repugnant, ea ne quidem nos posse facere, esse credendum. Liberi debetis esse a vitiis, ab ignorantia, ab injustitia, omnium maxime vero, si vel ad legum interpretationem vel praxin forensem vos estis applicaturi, a Rabulistica vel Legulejistica.

Porro annulo orno digitos vestros. Non conveniunt JCti cur annuli datio adhibeatur in promotionibus Doctoralibus. Alciatus putavit, id fieri ut Doctores responsa signare possent. Huic objicit Pancirolus; Si hic finis esset, oportere eum esse signatorium. Ipse putat insigniri annulo novellos Doctores tanquam justitiæ sponsos; Alii interpretantur annulum esse signum nobilitatis, cum, uti nobilitas sagata equitibus competat, ita Doctoribus per leges imperii nobilitas togata sit communicata. Forte etiam ad investituras Sacerdotum & clericorum respexerunt majores nostri rituum Academicorum autores, cum fatente ipso Panciroli & reliqua insignia Do-

56. Et annulorum in digitos.

Y ctorum

ctorum inde sint desumta. Quid enim notius in antiquitatibus Ecclesiasticis, quam quod Episcopi, antequam investitura per sceptrum, hodie per gladium, inciperet, antiquissimis temporibus baculo & annulo fuerint investiti. Sed quicquid hujus sit, est haud dubie annulus signum æternitatis. Hanc maxime velim, ut respiciatis Domini Doctores, quotiescunque recordabimini horum rituum, recordabimini vero sæpius. Perit fama rabularum, & qui nomine illustrium JCtorum abutuntur, quam florens etiam sit per breve tempus. Sæpissime evenit, ut ipsimet eam videant interire, & famæ suæ sint superstites. At verorum & justitiam sectantium JCtorum, & qui Papinianum imitati mortem citius subire parati sunt, quam ut turpis facinoris se faciant participes, laus & fama perennis est.

57. *Osculi datio.* Tandem do vobis singulis osculum, ut pacis signum, sicut etiam antiqui JCti id ita interpretati sunt. Scilicet, inquit Pancirolus, ut denote-

notetur, pacem inter se colere debere JCtos & concordiam, & a temerariis litibus abstinere. Sed debebant hæc facere JCti æque ut Doctores aliarum facultatum, ut homines omnes. Jam vero Hesiodi tempore proverbium in usu fuit, *figulus figulum odit*, & reliqua, quæ nostis. Sumus & nos JCti homines & humani nihil a nobis alienum esse arbitramur. Interim frequens etiam & seria recordatio officii nostri excitat humanum genus ad emendationem nævorum communium. Ergo quoties alii vos irritabunt, aut quoties cupidines vestræ vos sollicitabunt ad concordiam turbandam, aut ad vindictam, quamvis justam, toties in memoriam revocate osculum hoc solenne, & simul cogitate, nullum remedium promtius esse ad parandam pacem & tranquillitatem, quam patientiam prudentem, & magni esse indicium animi, magnas concoquere posse injurias. Cæterum uti animo sincero & infucato vos sum osculatus, ita hortor vos serio, velitis cavere

ab osculo Judæ & Joabico, nimis hodie frequente, etiam inter eos, qui vel maxime alios ab isto facinore debebant dehortari. Si nihil aliud idoneum foret vobis firmiter imprimendi stultitiam ejus osculi, saltem exitus vobis id persuadebit. Non vidi unquam eum, qui Joabum in insidiis imitatur, non etiam ex insidiis aliorum vel morte Joabica interiisse, aut damna certe maxima sustinuisse.

58. *Gratulatio.* Quod superest Nobilissimi Doctores, ego vobis de novis hisce honoribus animitus gratulor, atque ut tota hæc solennitas cedat in divini nominis gloriam, Reipublicæ, literariæ maxime, emolumentum & proprium vestrum commodum animitus exopto.

59. *Gratiarum actio.* Tuum vero jam erit *Domine Doctor Bastineller* prolixiore voto & debita gratiarum actione toti huic solennitati felicem imponere colophonem.

DIXI.



ORATIO

ORATIO,

ſeu

Declaratio publica

DE

SVSCIPIENDO PRO-RECTORATV ACADEMICO

d. XII. Julii MDCCIIX.



SUMMARIA.

I. *Dubia contra mores declarandi publice voluntatem suscipiendi Prorectoratus.* II. *Responsio brevis ad illa dubia.* III. Propositio. *Cur Prorectoratum, quem antea sæpius eram deprecatus, tum susceperim.* IV. *Rationes, cur antea recusaverim,* Prima. *Irregularis conditio civium Academicorum.* V. Secunda. *Diversissimus status docentium & regentium.* VI. Tertia. *Agnitio propriæ imbecillitatis.* VII. *Rationes, cur tum susceperim.* IIX. Prima. *Mundus exigua regitur prudentia humana.* IX. Secunda. *Providentia divina cuncta gubernat.* X. *Allocutio ad studiosam juventutem.* XI. *Promissio amoris paterni & regiminis benigni.* XII. *Imploratio assistentiæ collegarum.* XIII. *Vota consueta.*

1. Dubia contra mores, declarandi publice voluntatem suscipiendi Prorectoratus.



Ostulas a me Prorector Academiæ Magnifice, Vir summe Reverende, Amplissime atque Excellentissime, de singulis, quæ sustines, officiis tam Ecclesiasticis quam Academicis longe meritissime, Domine Fautor ac Collega honoratissime: *a*)

a) Scilicet Prorector illo tempore hanc declarationem a me postulans, erat Theologus hujus Academiæ primarius & Abbas D. Joachimus Justus Breithaupt.

Postulas, inquam, a me, ut more recepto publice in solenni hac panegyri animum meum de suscipiendo Prorecturatu Academico declarem. Ac poteram quidem interrogationi ac petito tuo una voce, VOLO, respondere. Etsi enim ritus hic in Academia nostra & aliis quibusdam *b*) receptus sit,

b) Sic & in Academia Lipsiensi receptum est, ut Rector Academiæ, more consueto ibi electus & publice proclamatus, statim publice con-

consensum suum declaret & Rectoratum acceptet. Apud nos tamen in eo est differentia, quod non eligantur pro lubitu Prorectores, sed quod secundum ordinem Facultatum aut receptionis succedant, & quod successor in tempore ante finitum antecessoris Prorectoratum interrogetur in Concilio Professorio, an munus hoc suscipere velit. Si se excuset, & munus deprecetur, tum statim is, quem ordo tangit, rogatur. Sin declaret, se suscepturum, tum in tempore hæc declaratio Potentissimo Regi ad confirmationem transmitti solet.

ut quemadmodum personæ desponsatæ matrimonium consummaturæ coram facie Ecclesiæ, sic & futuri Prorectores coram facie Procerum & populi Utriusque Reipublicæ, maxime vero Academicæ, consensum suum publice declarent. Non tamen ad hunc finem obtinendum opus esse videtur prolixis orationibus, & quasi deliberationibus, quibus rationes in utramque partem expenduntur, & quæ Can-

didato Prorectoratus susceptionem officii dissuadere, & quae eandem suadere valeant. Quodsi enim in ineundo matrimonio, societate tamen indissolubili & per totam vitam duratura, sufficit consensum suum una voce, imo una syllaba, declarare, cur non id sufficeret in suscipiendo munere hoc Academico, annuo saltem, & quod etiam pendente anno deponere licebit ei, qui ad id gerendum vires suas sentiat esse insufficientes. *c*) Adde,

c) Hic non putandum insufficientiam hanc aut aptitudinem dependere a diversitate Facultatum. Uti enim quotidiana experientia in omnibus Academiis testatur, subinde & JCtos alias celeberrimos, ad Regimen Academicum fuisse si non ineptissimos, saltem quandoque parum aptos, ita & eadem convincit dubitantes, quandoque etiam Philosophos, Medicos, & Theologos, prudenter & cum laude debita munus Rectoris & Prorectoris administrasse, sive intuitu Collegarum, sive intuitu Studiosorum, & fastum & avaritiam eorum,

rum, qui plerumque in Academiis dominatum affectare solent magna cum sapientia & modestia suppressisse. Sed cur quæso nullum exemplum allegari poterit Rectoris aut Prorectoris, qui ante finitum semestre spatium (quod in plerisque Academiis Regimini destinatum est) vel spatium annuum (quod in nostra Academia receptum) officium deposuerit, etsi forte ante susceptum munus ab omnibus, sensu saltem communi utentibus, pro ineptissimo fuerit agnitus, etsi forte amici & collegæ de eadem ineptitudine convicti eum modeste admonuerint de non suscipiendo regimine, etsi forte a summo magistratu de depositione fuerit gratiosissime admonitus? Odiosa quæstio & propterea caute tractanda. Movetur ea potissimum ab iis, qui cives Academici non sunt, & qui ob varias rationes Academias non amant. Sed his quidem non circumspectius responderi poterit, quam si prius ab iis quæramus: Cur non detur exemplum, quod Consul vel Prætor Urbanus unquam officium semel susceptum sponte

ſponte depoſuerit, etſi ad idem æque fuerit ineptus, etſi non raro in illa vel iſta urbe lapides clament, & conquerantur in Regimine Urbico de Syndicorum, in Judicio de Secretariorum aut Actuariorum vel tyrannide vel faſtu, vel ruſticitate, vel avaritia, vel dominatu &c. Quodſi reſpondere nolint; nec mihi vitio erit vertendum, ſi nec ego ipſis reſpondeam. Quamvis nullum ſit dubium, & quisque palpare poſſit, utrobique præcipuam rationem eſſe ſtultam Philavtiam & quod ejus agnitio in nulla ſchola ſufficienter & ſecundum regulas prudentiæ ſufficienter doceatur, & ejus ſuppresſio oſtendatur: ſed quod potius pasſim ejusmodi Philavti manuducantur ab aliis ad corroborandam Philavtiam per falſam perſuaſionem ſanctitatis vel prudentiæ Phariſaicæ, Jeſuiticæ, aut Monachalis in genere.

quod, quemadmodum turpe foret, ſi ſponſus & ſponſa demum coram altari deliberationem inſtituere vellent, an conduceret ipſis nubere vel uxorem ducere, an hoc præ-

præprimis conjugium ipsis utile esset futurum; ita pariter videatur intempestivum esse, & a sinceritate docentium alienum, si hi publice præ se ferant, ac si in hoc demum loco deliberent secum, quid facere debeant, cum tamen jam aliquoties consensum suum coram Collegis privatim declaraverint, &, nisi annuere voluissent desiderio Prorectoris officium suum deponentis, ne quidem subsellia hæc occupare debuissent. Quæ omnia dum cogito profundius, mihi firmiter persuadeo, nec Te, Prorector Magnifice, nec ullum in illustri hac panegyri ægre laturum esse, si vel solo nutu assensum meum publice declarem, & si absque ullis ulterioribus verborum ambagibus ad reliquas, quæ restant, solennitates uterque nostrum transeamus. Inprimis, cum ad nihil minus, quam ad orationes vel extemporaneas, vel memoriter habendas aptus natus sim, &, si res mei foret arbitrii, mallem per aliquot dies integros

pro

pro declaratione consensus mei publice de re quacunque disputare, quam per unius horulæ spatium memoriter disserere. Excusabit etiam me veneratio & reverentia Serenissimo Principi Juventutis Duci Saxoniæ, *d*) Domino meo Clementissimo debita, cujus patientia non abutendum est, & mihi maxime cavendum, ne prolixioribus verbis Eidem, forte magis ad videndum, quam audiendum intento, tædium ullum pariatur.

d) Nimirum tum temporis hic studiis operam dabat Reverendissimi & Serenissimi Mauritii Wilhelmi Ducis Saxo-Cizensis filius unicus, in tenera adhuc ætate constitutus, & paulo post etiam in hac urbe mortuus.

2. Responsio brevis ad illa dubia. Verum etsi hæc omnia ita se habeant, moribus tamen receptis mos erit gerendus. De gustibus non est disputandum, ita nec de ritibus more majorum introductis. Est aliquid præfandum novo Prorectori, antequam consensum suum declaret. Neque tamen propterea necesse

necesse est, ut demum in hoc loco deliberatio instituatur, & ejusmodi fictione nimis palpabili sinceritatis opinio in animis audientium destruatur. Sunt aliæ plurimæ materiæ differendi. Neque mihi talis longius erit quærenda, cum statim se aliqua offerat, quæ nec splendido huic auditorio ingrata erit, nec ab instituto præsenti aliena.

3. PROPOSITIO: Cur Prorectoratum, quem antea sæpius eram deprecatus, susceperim.

Jam secunda vice Prorectoratum Academiæ feliciter & cum laude gessisti, Vir Magnifice & summe reverende, de quo & Academiæ & Tibi animitus gratulor. Sed cum prima vice fasces Academicos deponeres, non mihi tum temporis sed alio JCto celeberrimo ac Collegæ honoratissimo eosdem tradidisti, & meo quidem consensu. Etsi enim & tum me ordo tangeret, nolui tamen illo tempore munus istud suscipere, sed hactenus id aliquoties, ut notorium est, serio sum deprecatus. *e*) Jam igitur

e) Postquam anno 1690. fraude adversariorum ex patria ejectus & eodem

eodem anno primus Professor hic constitutus fuissem, & mox non solum Reverendus Abbas & Prof. Frankius Professores constituti, sed & non contemnendus studiosorum numerus huc venisset, horum regimen ultra biennium cum Collegis interim gessi, donec Illustris Seckendorffius & B. Strykius anno 1693. huc vocarentur. Ab eo enim tempore, cum Seckendorffius mox post adventum mortuus esset, Strykius usque ad solennem Academiæ inaugurationem, ut Director, Academiæ regimen gessit. Cum vero Potentissimus Rex gloriosissimæ memoriæ jussisset, ut Prorectoratus ab una Facultate ad aliam transferretur: d. 1. Julii 1694. ex Facultate Theologica B. Beyerus, ex Juridica 1695. B. Strykius, 1696. ex Medica Dn. Hoffmannus, & ex Philosophica 1697. B. Cellarius Prorectores constituti fuerunt. Postquam autem ab anno 1698. ad Julium 1699. iterum ex Facultate Theologica Reverendus Abbas officium Prorectoris gessisset, & me tum prima vice ex Facultate Juridica ordo tangeret, honoratissimi Collegæ

legæ quidem meam deprecationem admittentes anno 1699. Prorectoratum in tertium Juris Professorem, B. Bodinum transtulerunt, sed tamen hujus regimine finito mihi eundem iterum, & rursus, cum ordo Facultatem Juridicam tangeret, humanissime obtulerunt.

non dubito, fore plerosque ita curiosos, ut scire pervelint, quid me moverit hucusque, ut officium hoc, etsi rogatus, suscipere noluerim, quid me jam moveat, ut id sponte, & prope non rogatus *f*)

f) Neque enim diffiteor, appropinquante tempore, quo in Concilio Professorio solebat de successore deliberari, me sponte declarasse Reverendo Abbati, dum soli de quibusdam negotiis Academicis deliberaremus, quod jam decrevissem susceptionem regiminis Academici. At vero hoc quidam ex Dnn. Collegis tanto minus speraverant, cum paulo ante Reverendissimus & Serenissimus Dux Saxo-Cizensis, impetrata ad id venia a Potentissimo Rege nostro, me in numerum Consiliariorum suorum Intimorum adoptasset.

 susci-

ſuſcipiendum eſſe decreverim. Dicam utrumque ex animi ſententia, ſed breviter atque ſuccinctè.

4. Rationes cur antea recuſaverim: Prima, irregularis conditio civium Academicorum.

Nolui humeros meos hactenus ſubjicere huic oneri, quia initio credidi magnam requiri prudentiam politicam ad regimen cujuscunque ſocietatis civilis, omnium vero maxime ad regimen Academicum. In reliquis ſocietatibus civilibus fere cives adſunt, quos liceat cum animalibus manſuetis comparare, qui videlicet ſedem fortunarum ſuarum in certo fixerunt loco, quosque adeo metus divitiarum & honorum amittendorum non difficulter retinet ſub vinculo legum. Et tamen magna prudentia opus eſt ad cives ejusmodi regendos, quamcunque demum Reipublicæ formam animo concipias. At in Academiis cives plerique, certe illi, quibus præ reliquis parendi gloria eſt relicta, ſunt animalia, quæ quotidie ire & redire ſolent, cicuranda equidem, ſed nondum omnino cicurata, &,

ſi

si verum est, quod nonnemo dixit, quod studiosus sit animal, aut nihil, aut aliud, aut male agens, quilibet videt, majore utique prudentia in regendis civibus Academicis, quam in regenda civitate qualibet opus esse. Etenim, si nimis indulgeas juvenum animis, ferociores redduntur; si paululum rigidiore disciplina eos in ordinem redigere velis, aufugiunt, & veluti in naturalem libertatem se recipiunt, aut etiam Rectoribus Academiarum & reliquis Professoribus multa tædia, multas molestias creant. Ergo cum intersit Academiarum, ut numero studiosorum abundent, & tamen simul intersit etiam, ut cives Academici metu pœnarum in ordine detineantur; maxime difficile est, mediam hic tenere viam, ut uterque finis simul obtineatur. Graviter equidem & eleganter de civitate Dei in Academiis ad ductum Augustini introducenda disseruisti, Vir Magnifice: Sed an adimpletio voti illius tui (quod se-

rio simul optamus omnes, quibus verus & rationalis Christianismus cordi est,) facile speranda sit, g)

g) Receptum est in Academia nostra, ut Prorector, antequam officium suum deponat, & in successorem transferat, orationem de themate, quod ipsi placuerit, præmittat. Elegerat igitur Reverendus Abbas thema hic memoratum. Quænam sit mea sententia de Augustino & Augustini libro de Civitate Dei, patebit ex Oratione sequente & ibi adnotandis. Cæterum quod hic Christianismi non solum veri sed & rationalis mentionem fecerim, studio factum fuit, quia omnis Christianismus rationi contradicens vel eandem plane abjiciens non verus est, sed Pharisaicus, aut Pontificius i. e. Hæretifex.

vel ex ista, quam modo memoravi civium Academicorum ab aliis civibus differentia, judicare licebit.

5. Secunda, diversissimus status docentium & regentium. Neque vero sola societatum Academicarum structura antea a regimine suscipiendo me deterruit, sed & insuper consideratio doctorum Academicorum. Distincta plane

ne & opposita sunt officia regentium & docentium. Illos severitas & coactio decet, hos benignitas & persuasio. Regere subjectos negotium est maxime activum & practicum. Docere studentes opus est maxime speculativum seu theoreticum. Quicquid ergo dixerit Plato, tum demum beatas fore Respublicas, si aut Philosophi, i. e. doctores Academici quicunque, regnarent, aut regentes doctrinas Academicas profiterentur; *b*) ridant tamen communiter id dictum Politici, & nescio, annon jure suo id faciant. Sane vita speculativa æque totum & alium plane hominem requirit, ac practica. Et quemadmodum homines activi parum apti sunt ad docendum, ita vereor, ut homines speculativi sint idonei ad regendum, nisi forte Respublicas Platonicas & ideales, quæ videlicet extra mentis operationes nullibi existunt.

b) Confer & de hac sententia Platonis notanda inferius ad Orationem sequentem.

3. Tertia: Agnitio propriæ imbecillitatis.

Porro quamvis nulla regula in rebus practicis sit sine exceptione, & quotidiana doceat experientia non saltem inter homines, qui studiis operam haud navant, sed & inter eruditos multa dari ingenia, quæ & ad meditandum & ad vitam activam pariter apti sunt, quorum Vos omnes refero Collegæ honoratissimi, qui a prima Academiæ hujus consecratione ad hoc tempus usque sceptra Academica gessistis; *i*) ego tamen ingenii mei

i) Quamvis ab adulationibus a natura abhorream, in tantum, ut & vitare studeam & loquendo & agendo, quæ saltem imaginem adulationis habere possint; non tamen vitio mihi vertendum erit, quod hic, ubi oratio mihi habenda, & præceptis Rhetoricis utendum erat, ista posuerim, quæ imaginem aliquam adulationis, si superficiarie verba mea respicias, exhibere videntur. Multo magis cavendum erit Lectori, ne ironiam hic latere exclamet. Figuram Rhetoricam me adhibere voluisse non nego, sive concessionem eam vocare cupias, sive antithesin, sive quo-

quocunque alio nomine eam designare, modo me ab adulatione & ab ironia hic absolvas. Ironia signa animi irridentis partim in vocibus partim in pronunciatione loquentis requirit. Adulatio supponit excessum in laudatione. Nihil horum hic deprehendes. Verba in factum temperavi, nil aliud dixi, quam, quod Collegæ, quorum hic mentionem feci, magis me & ad meditandum & ad vitam activam apti fuerint. Sed vita activa latior est regimine, nec semper imperium in alios necessario sub se comprehendit. Tertia hic ratio a me proponitur regiminis hactenus a me non suscepti, quæ cum ratione præcedente secunda minime est confundenda. Cæterum ut Lectori de ingenuitate mea eo firmius constet, non diffiteor, inter rationes, quæ me antea impediverunt, ne munus Prorectoris susciperem, & aliam fuisse inter præcipuas, quam tamen tum temporis ne publice proponerem, suadebant communia præcepta decori. Scilicet jam dudum legeram, inter dicta sapientum referri & illud, Principatum,

tum, vel regimen, vel magiſtratus geſtionem detegere ingenium & nævos pariter ac virtutes gerentium. *vid.* Laërt. *lib.* 1. *ſegm.* 77. *&* *ibi* Menagium *in notis p.* 46. Nimirum homines, etiam prudentes & virtuoſi, homines tamen manent, non ſolum erroribus obnoxii, ſed & aliis nævis & imbecillitatibus humanis, quæ difficilius disſimulantur ab imperantibus, quam a parentibus, & adeo in Academiis facile incurrunt in oculos tam Collegarum, quam Studioſorum. Atque veritatem hujus dicti ipſe expertus eram in Anteceſſoribus meis, ſi non omnibus, ſaltem plerisque.

& quid valeant humeri, quid ferre recuſent, probe conſcius, ſerio putavi, omnes alios ad regendam ſtudioſam juventutem me aptiores eſſe, certe me ad id regimen ſuſcipiendum eſſe ineptiſſimum, adeoque non ad exceptionem ſed ad regulam me pertinere. Educatus ſum in otio Academico, & hujus otii ſuavitas ita me totum ſibi vindicavit, ut vel ſola meditatio tædio-

diorum, quæ regimen & potissimum regimen Academicum comitantur, nauseam mihi pariat maximam.

Et his tamen rationibus omnibus, quantivis momenti etiam illæ sint, non obstantibus, jam cum ordo me secunda vice tangat, munus istud, sane gravissimum, lubens suscipio, atque humeros meos purpuræ Academicæ submitto. Neque tamen putabis, Vir Magnifice, me sententiam de me ipso mutasse, aut nunc in illum insipientiæ gradum esse prolapsum, ut putem me jam prudentiorem & ad regimen gerendum aptiorem esse redditum. Probe conscius sum, quam curta mihi etiamnum sit artis rectoriæ supellex. Probe sum conscius, quod vitæ speculativæ, tantum non totus sim immersus, & quod ad prudentiam rectoriam æque sim ineptus, ac antea fueram, si non ineptior. Adhuc agnosco differentiam illam civium Academicorum ab aliis civibus supra memoratam multas & insuperabiles in prudentia politica parere difficultates.

7. Rationes cur tum susceperim.

8. *Prima: mundus exigua regitur prudentia humana.*

Accipe igitur & serena fronte nunc etiam percipe, Vir Magnifice, rationes, quæ mihi nunc persuaserunt, ut absque ulla hæsitatione munus Prorectorale suscipiendum esse duxerim. Initò id attentius paulo meditatus sum, totum mundum regi exigua prudentia humana, *l*) si non plane nulla. In Mo-

l) Quemadmodum nota præcedens monstravit unam ex præcipuis rationibus, quæ me antea impediverat, ne Prorectoratum susciperem, ita & nunc, rationibus hic adductis cur Prorectoratum tum susceperim, addere etiam lubet aliam ex præcipuis, quæ tamen & illo tempore non poterat publice declarari, obstantibus iterum regulis decori. Nempe Collegæ illorum temporum nonnulli, qui tamen nunc omnes in sepulchris expectant judicium, me non solum in literis ad exteros depinxerant ut pedantam in gradu superlativo, qui propterea ex metu, ne forte studiosa juventus me publice prostitueret, non audeam munus hoc suscipere, & ne quidem commensales aut domesticos ex studiosis habere, sed & eandem com-

commendationem, data occasione, eaque satis frequente commensalibus & clientibus suis sæpius inculcaverant. Hos igitur, ut ex parte re ipsa refutarem, ostendere suscepto regimine volui, meum pedantismum, quantus quantus etiam fuerit, aptum esse ad æque bonos si non meliores effectus in regimine producendos, quam ipsorum virtutes etsi famigeratissimas & encomiis adulatorum illustres &c.

narchiis pariter, Aristocratiis & Democratiis, culpa vel imperantium vel subditorum vel utriusque classis, fere id unice & perpetuo agitur, ut non solum quies totius reipublicæ, sed & totius mundi pessundetur, & status Hobbesianus belli omnium contra omnes ubique oriatur. Et tamen per opus alterius prudentiæ plurimi status sæpe notabili temporis spatio magna in quiete detinentur.

Scilicet tua, Pater, providentia cuncta gubernat. A divina sapientia & providentia omnis dependet felicitas etiam temporalis regnorum, civitatum, Academiarum. *9. Secunda: Providentia divina cuncta gubernat.*

Hac

Hac itaque sola fretus in hac sola fiduciam meam collocans in nomine sacrosanctæ & individuæ Trinitatis onus Prorectorale, quod felix faustumque sit, ab humeris tuis, Vir Magnifice in meos suscipio. Neque adeo credo, meam regendi imprudentiam me amplius deterrere debere, postquam observavi, non solum in regimine civili, sed & in ipso regimine Academico feliciora aut infeliciora tempora soli divinæ providentiæ, nequaquam vero prudentiæ aut imprudentiæ eorum, qui fasces Academicos gesserunt, fuisse adscribenda.

10. Allocutio ad studiosam juventutem.

Neque Vos, Juvenes dilectissimi, spes patriæ, Ecclesiæ & Reipublicæ, ita formidandi estis, ut regimen vestrum amplius mihi metum incutere valeat. Non vestrum hoc vitium est, quod aut nihil, aut aliud, aut male agatis, sed commune toti humano generi. Neque nos, qui Doctores audimus, ab eo plane sumus immunes. Sed quotidie & nobis opera danda est, ut aliquid, ut hoc, ut bene agamus.

Agi-

Agimus autem haud dubie, si ante omnia serio implorata divina gratia, bene utamur etiam lumine naturæ & dictamine rectæ rationis, tanquam singulari Dei dono, cujus ope homines ad aliquid, ad hoc, quod decet, & ad bene agendum redduntur & peritiores & aptiores. Hoc a nobis obtento, non despero & vos, charissima capita, exemplo & precibus & adhortationibus eo perduci posse, ut & vestrum faciatis officium, aut certe, ut colla vestra subjiciatis non imperio despotico, sed disciplinæ paternæ, qualis ex veteri instituto omnis debet esse disciplina Academica.

Ego quantum in me erit, non quidem aureos promitto montes, sed, quod in proverbio est, faciam meum officium taliter qualiter. *m*) *n. Promissio amoris paterni & regiminis benigni.*

m) Nota est, & a me alibi adducta historia de monacho, qui usque ad provectam ætatem ita vixerat, ut, quod rarum est, nec invidiam aliorum nec odium metuendum haberet. Hic interrogatus, quibus mediis hanc quietem sibi parasset, respondit, se præcipue sequen-

ſequentes tres vivendi regulas obſervaſſe: (1) Semper bene loqui de Reverendo Dn. Abbate. (2) Facere ſuum officium taliter qualiter. (3) Sinere vadere, ut vadit. Conf. *Prudent. Conſultat. cap. 8. n. 57. p. 136.*

Id tamen velim, ut Vobis firmiter perſuadeatis, me Vos omnes & ſingulos, non ſolum honoratiores & ditiores, ſed & illos, qui imagines majorum oſtentare nequeunt, & quibus res anguſta domi eſt, ſincero & rationali amore proſequi, & in id ſtrenue eſſe incubiturum, ut amore hoc meo etiam a Vobis debitum amorem, id eſt, fiduciam cum reverentia conjunctam, impetrem, & eundem, humanitate mea & benevolentia, Vobis etiam invitis, tantum non excutiam. Non poſtulo a Vobis metum ſervilem, non quæro imperium in actiones, multo minus dominatum in conſcientias veſtras, ſed modo per Statuta & Leges Academicas id licebit, modo Vos ipſi & actiones veſtræ non alium poſtulent cum

Vobis agendi modum, ubique benignitate & mansuetudine vobis ibo obviam. Quantum enim ego differentiam inter civitatem DEI & civitates seculi hujus percipio, hæ quidem posteriores severitate reguntur, civitas DEI vero maxime clementia & misericordia, id est virtute, inter blandam indulgentiam & nimiam severitatem media, & tamen aliqua severitatis specie quandoque condita. Huic igitur & ego operam dabo sedulo & diligenter.

12. Imploratio assistentiæ Collegarum.

In hac virtute probe temperanda & prudenter applicanda vestra, Prorector Magnifice, & Vos reliqui Domini Professores ac Collegæ honoratissimi, qui omnes & experientia & regendi prudentia longe me antecellitis, consilia, vestram opem expeto; in hac virtute efficaciter exercenda Illustrissimorum & Excellentissimorum Academiæ Curatorum, Perillustris item Regiminis Magdeburgici, ejusque Illustrissimi ac Excellentissimi

simi Præsidis, ac denique amplissimi Senatus Urbici auxilia submisse & officiose imploro, atque omnibus & singulis debitam obsequentiam, venerationem, humanitatem ac amicitiam publice ac solenniter spondeo.

13. *Vota consueta.* Servet interim divinum numen Potentissimum Regem nostrum, servet Serenissimum Heredem Regium, servet Serenissimum Principem Rectorem Magnificentissimum, servet totam Serenissimam Domum Brandenburgicam. Faxit Deus optimus maximus, ut annua hac die redeunte eo cum gaudio & gratiarum actione, qua solennem hanc panegyrin hodie incepimus, eandem iterum celebremus, & ut eadem mentis tranquillitate, qua Prorectoratum hodie suscipio, illa die rursus in successoris mei humeros eundem transferam.

Dixi.



ORATIO

ORATIO
in
Depositione & Translatione Prorectoratus
d. XII. Julii MDCCIX.
habita
De Quæstione
AN SAPIENTEM DECEAT MAGISTRATUM GERERE?

***

Summaria hujus Orationis quære infra in fine.





Vm ante annum, Serenissime Princeps ac Dux Saxoniæ, Domine Clementissime, Regiminis Magdeburgici Perillustris & Excellentissime Domine Præses, Perillustres & Illustres Domini Comites & Barones, reliquique Auditores omnium Ordinum ac dignitatum honoratissimi, tuque circumfusa Studiosorum corona, spes patriæ ac Seminarium Reipublicæ &, quæ in Republica est, Ecclesiæ: Cum ante annum, inquam, in hoc Auditorio munus Prorectorale in me susciperem, a Deo optimo maximo publice sum precatus, ut annua illa die redeunte, eo cum gaudio, & ea cum gratiarum actione, qua solennem panegyrin illius temporis inchoaveramus, eandem iterum celebraremus, & ut eadem

EXORDIUM.

1. Preces duplici generis cum Prorectoratum susciperem.

mentis tranquillitate, qua Prorectoratum susceperam, hodie rursus in successoris mei humeros eundem transferrem.

2. Testatio varii gaudii, ob felicitatem domus Regiæ & proclamatio Rectoris Magnificentissimi.

Exaudivit divinum Numen preces meas, easque felicitate spem nostram longe superante ita cumulavit, ut præsentis diei festivitas multo exoptatior existat, pluresque exultandi causas suggerat, quam illud tempus, quo fasces Academicos suscepi. Vidimus tunc Potentissimum Regem optatissimo quídem rerum successu fruentem, belli ac pacis gloria inclytum, sed viduum ac conjuge orbatum. Jam vero cum ipso simul salutamus Reginam; colimus augusto ejus toro junctam principem regiis radiis coruscantem, auctam regni autoritatem veneramur; conspicimus florentem & summa prosperitate affluentem Serenissimum Heredem Regium cum conjuge, principe incomparabili, quæ nuperrime feliciter edito partu, summam domui

Regiæ

Regiæ lætitiam & recentissimum civibus omnibus solatium produxit: Vivit adhuc & secunda fortuna utitur Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus Philippus Wilhelmus, Princeps Borussiæ, Marchio Brandenburgicus, & Ducatus Magdeburgici Gubernator, Rector hactenus Academiæ hujus Magnificentissimus, quem petitis nostris humillimis clementissime annuentem etiam in hunc sequentem annum, Sacræ Regiæ Majestatis jussu, Rectorem iterum Magnificentissimum publice proclamo atque renuncio.

3. Grata memoria erga Curatorem Academiæ interim mortuum & legatam ab eo Academiæ Bibliothecam.

Reliqua quæ de felicitate nostra & gaudio in universos redundante alias fusius dicenda forent, jam lubens taceo, cum de iis jam uberrime ad vos verba fecerit Orator insignis & exquisitus, cujus elegantiam cum æquare nequeam, qui ratiocinationibus magis quam ornate dicendi artificio sum assuetus, nihil habeo, quod gratiarum actionibus & gratulationibus, quas

Universitas nostra, illo interprete, solenniter fecit, superaddam. Non tamen a me impetrare possum, ut inter hos plausus & votivas acclamationes plane silentio prætermittam insigne damnum, quod interim etiam passa est Academia nostra, dum ita volente divina Sapientia non ita pridem Curatore suo, at, quid Curatorem dico, Patre inquam gratiosissimo, inexpectata morte abrepto est privata, Cujus laudes & encomia etsi ante aliquot menses ex hac cathedra jam exposuerit idem facundus ac excellens Orator, nunc tamen gratitudo postulat, ut ejusdem munificentia insignis, qua Academiam nostram beavit, (quamvis & ejus jam mentio facta fuerit) a me etiam publice deprædicetur, dum rarissimæ Bibliothecæ suæ thesaurum Academiæ Fridericianæ donavit, & hoc modo nobis omnibus & singulis occasionem dedit, ut nunquam beneficiorum, quæ vivus exhibuit corpori nostro, obliviscamur,

mur, ſed ut memoria ac recordatio ejus tamdiu duret, quamdiu inſtructiſſima hac bibliotheca uti ac frui nobis licebit. Et quamvis nulla ſpes nobis ſit relicta, ejus Manibus gratitudinem noſtram declarandi, dabimus tamen operam ſedulo ac diligenter, ut perilluſtribus ejus agnatis, & Tibi inprimis, Perilluſtris & Excellentiſſime Regiminis Magdeburgici Præſes, venerationem & obſervantiam teſtemur nunquam intermorituram.

4. Teſtatio gaudii ob feliciter geſtum (per Providentiam divinam) officium ProRectoratus.

His præmiſſis ad ſecundum precationis meæ annuæ caput progredior; Non enim ea ſolum vim ac pondus habuere, quæ pro ſalute Regia & incolumitate publica devotiſſime precatus ſum, ſed voti mei pleniſſime compotem me factum eſſe video. Non mœſtus, non animi ægritudine perculſus magiſtratum relinquo, ſed Deo ter optimo maximo immortales ago gratias, quod mihi nunc liceat munus Pro-Rectorale eadem animi tranquillitate deponere, qua

ante annum idem in humeros meos ſuſcepi. Et cur non deponerem tranquille, quod toto hoc anni ſpatio tranquillo animo geſſi, quodque etiam perpetuo comitata eſt externa tranquillitas magna, & major, quam quidem initio ſuſcepti muneris mihi vel promittere, vel prævidere poteram. Equidem conſtanter mihi propoſui, & quantum imbecillitas humana permiſit, in id quotidie incubui, ut actiones meas ſic inſtituerem, ut Illuſtris Regiminis autoritas comiter coleretur; ut Vobis, Profeſſores ac Collegæ honoratiſſimi, de ſincero affectu meo conſtaret, utque inter ſingulos non ſolum amicitia & benevolentia, ſed & ut ea, quæ corpori toto a ſingulis, & quæ ſenioribus a junioribus debetur obſervantia, conſervaretur inviolata; ut ampliſſimo magiſtratui urbico nulla daretur de Academia conquerendi occaſio; ac denique ut erga Studioſam juventutem in univerſum ita me gererem, ut magis me

me patrem, quam magistratum, & magis Doctorem, quam Prorectorem experirentur. Sed quicquid tamen hac parte a me etiam probe gestum sit, absit, ut prudentiæ aut sapientiæ meæ, quam adhuc sentio in me esse valde exiguam, quicquam illius tranquillitatis & quietis, quam durante officio meo sensit Academia Fridericiana, adscribam, ut potius omnia unice tribuam providentiæ divinæ, cujus favore unice fretus humeros meos ante annum oneri illi subjeci; utque, quod tum temporis magna spe impulsus feceram, nunc vero etiam in ipso regimine meo expertus, cum gaudio & lætitia exclamem: *Tua, pater, providentia cuncta gubernat.*

5. Gratiarum actiones variæ (1.) erga Serenissimum Principem juventutis, studiis

Etsi autem gratias immortales pro inexpectato hoc beneficio agam divinæ Clementiæ, quod nulli tumultus, nulla homicidia statum nostrum luctuosum reddiderint & inquietum; sentio tamen, etiam esse mearum partium, ut & illi, qui-

hic operum dantem. quibus divinum Numen ut instrumentis obtinendæ & conservandæ quietis usum est, prædicentur, iisque grates publice nuncupentur. Atque hic quidem initio non ægre feres, Serenissime Princeps, Dux Saxoniæ, quod ad Te paulisper mea se convertat Oratio. Tota equidem civitas Hallensis Tibi multis modis submisse obstricta vivit, quod Te Serenissimo Hospite illi tamdiu frui liceat; sed inprimis Academia Fridericiana lucrum inde sentit longe maximum, cum Tu, Serenissime Princeps, pro connato Tuo in bonas literas favore, etiamsi tenera ætas Tua nondum studia Academica admittat, sæpius tamen sacra nostra, exoptatissima Tua præsentia reddere soleas illustriora, simulque exemplo hoc Tuo Studiosam juventutem & præcipue perillustres & illustres Comites & Barones ac generosiorem Studentium classem excites, ut eo diligentius illa frequentent, utque iidem conspecta

morum

morum Tuorum decora innocentia, rubore quasi quodam victi non raro supprimant surgentes in visceribus subinde motus indecoros & parum innocentes. Faxit Deus optimus maximus, ut integer vitæ scelerisque purus diutissime vivas & floreas, & ut cum augmento ætatis Tuæ etiam favor & clementia Tua erga Academiam nostram quotidie augeatur.

Neque silentio prætermittendi sunt Illustris in hoc Ducatu Regiminis proceres. Salutares curæ, quibus communem reipublicæ salutem & tranquillitatem publicam promovent, etiam statui nostro pacem & quietem conciliant; Adsunt nobis auxilio ubi opus est; nec permittunt, ut immunitatibus Academicis sua detrahatur autoritas, aut suus vigor adimatur. Expertus illud sum per annuum hoc spatium; Non cessavit singularis eorum erga literas & literarum sacraria favor; non defuit studium provehendi incrementa nostra, quin

6. (2) Erga illustre Regimen Ducatus Magdeburgici.

quin potius conſervatores & cuſtodes jurium noſtrorum exſtiterunt. Hanc itaque benevolentiam non ſolum Academia, debita gratitudine, ſed & ego, quantum in me erit, omni occaſione, prolixiſſimo affectu demereri ſtudebimus.

7. (3) Erga Senatum Academicum. Vobis autem, Profeſſores honorandi, Collegæ amiciſſimi, quid & quantum debeam, animo magis concipio, quam ut id verbis exprimere digne queam: Vos me dubium ſæpe conſiliis veſtris prudentiſſimis adjuvaſtis, Vos mihi in cauſis, quæ ſphæram activitatis meæ tranſcenderunt, ſecundum ſtatuta viam, qua eundum ſit, ſincere & cum multa favoris teſtatione monſtraſtis, & ſic tranquillitatem illam qua gaviſi ſumus, inſigniter promoviſtis. Cujus beneficii ſingularis ita perpetuo memor ero, ut re ipſa ſentiatis, id in hominem ingratum nequaquam vos contuliſſe.

8. (4) Erga Magiſtra- Sed nec ſine grati animi ſignificatione recordamur auxilii, quod

Amplis-

Amplissimus Senatus & Consultissimi Consules Academiæ & mihi præstiterunt. Non raro enim accidit, ut desint Academiis manus ad exequendum necessariæ: Sæpe earum placita non obtinerent scopum, nec finem quem intendunt, nisi alia judicia vim & pondus illis adjicerent. Merito itaque laudamus eos, & prædicamus, utpote qui conclusis nostris nulla objecerunt impedimenta, nec petitis nostris unquam renuerunt, sed prompte adsistendo plurimum ad stabiliendam & conservandam tranquillitatem communem conferre voluerunt. *tum Urbis Hallensis.*

Denique & Vobis, Ornatissimi Juvenes, cujuscunque status & conditionis, gratias ago maximas, quod partim vita decora & moribus ingenuos animos decentibus sponte semitam virtutis & sapientiæ calcare volueritis, ut erga maximam partem vestri ordinis, ne quidem monitis, tantum abest, ut coërcitione judiciali opus fuerit; *9. (5) Erga studiosam Juventutem.*

par-

partim vero, ubi a quibusdam a legibus per primos animi motus, qui vix in poteſtate noſtra ſunt, aberratum fuiſſet, quod tamen monitis aut coërcitione Academica paſſi fueritis vos in ordinem reduci, neque pertinaci reſiſtentia concilium Profeſſorium ad duriora conſilia adegeritis. Sed ne quid diſſimulem, fuerunt tamen inter vos, & ſunt proh dolor etiamnum, etſi, ut arbitror, pauciores, qui data opera & dolo nequaquam bono vitam agere intendunt ſtudioſis indignam, ac aſtutia partim legum vim eludere laborant, partim vero abjecto omni pudore easdem contemnunt; Et his tamen gratiæ debentur, quod vel ſponte vel publice juſſi abierint ex hoc Muſarum ſacrario, vel etiam quod metu, etſi non filiali, ſed ſervili, non majori impetu, quam ab iis ſub regimine meo factum eſt, tranquillitas publica turbata fuerit, quibus etiam in poſterum ſeriam emendationem, &, ut ſit mens ſana

ſana in corpore ſano, animitus apprecor.

Cum vero moribus receptum ſit, ut Proreſtor faſces deponens de conveniente materia prius quædam diſſerat, putavi non alienum a negotio præſente futurum, ſi de quæſtione: VTRVM VIRVM SAPIENTEM DECEAT AD REM PVBLICAM ACCEDERE ET MAGISTRATVM GERERE? in præſenti panegyri verba facerem.

PROPOSITIO. 10. Inquiſitio quæſtionis, an Sapientem deceat Magiſtratum gerere?

Qua de re dum paulo attentius meditor, tot obruor ſpeculationibus ad perſpicuum intellectum hujus quæſtionis, & ad ſolidam ejusdem definitionem pertinentibus, ut facile ſentiam, integrum volumen requiri ad hanc quæſtionem pro dignitate reſolvendam, neque adeo parvo iſto temporis ſpatio, quod oratiunculæ meæ deſtinatum eſt, negotium illud expediri poſſe.

11. Copia dicendorum ſaltem per indicem oſtenſa.

Etenim

12. (1) Ex historia Philosophica. Variæ sententiæ Philosophorum Ethnico-

Etenim ante omnia dicendum foret ex Historia philosophica de veterum philosophorum ea de re opinionibus. Quid Pythagoras circa hoc doctrinæ caput docuerit, *a*) qui Cicerone teste mundum cum

Pythagoræorum fraudes, sub specie fugiendi magistratum, perveniendi ad summum imperium.

a) De Pythagora & Pythagoræis vide Diog. Laërt. *toto libro 8.* Ex Laërtio & aliis Scriptoribus antiquis, nostris temporibus, collegit Johannes Schefferus eruditum libellum *de natura & constitutione Philosophiæ Italicæ seu Pythagoricæ*, qui prima vice Upsaliæ 1664. typis impressus fuit, unde potissima excerpemus ad scopum nostrum vel directo vel per indirectum pertinentia. Scopus ultimus Philosophiæ Italicæ fuit, fieri Deo similem. Idem docuit & Plato, addita tamen limitatione. Quare citra limitationem sic statuerit Pythagoras. Schefferus *cap. 7. p. 42. seq.* Hinc docuerunt, Philosophum a notitia & cura rerum corporalium civiliumque debere esse remotum, in tantum, ut vicinum proximumque suum ignoret, non modo quid ab eo agatur, sed & ut prope nesciat, an is sit homo an forte aliud brutum. *Cap. 8. p. 64.* Primum

cum mercatu, Philosophos cum *rum (t) Py-*
specta- *thagora;*

mum ad Philosophiam aditum esse docuerunt Pythagorei seipsum nosse, quod post Pythagoram etiam Plato, Stoici, aliique tradiderunt: Secundum aditum docuerunt esse, purgare se ac liberare a sordibus corporis, & bonorum geniorum operam esse necessariam ad hanc purgationem. Multum autem conducere ad hanc purgationem, si animus in se vertatur, & intuitu aliorum lateat, unde & Apollonius, simia Pythagoræ, frequenter hanc sententiam protulit: *Late cum vivis*, sin minus id potes, late cum sis vita discessurus. Unde a Pythagoræis etiam acceperunt alii, qui hoc præcepto usi fuerunt, cum primis Epicurus. *Cap. 9. p. 67. 73. 76.* Pleraque autem præcepta tradebat Pythagoras per Symbola, sed horum triplici interpretatione utebatur, una exoterica, ad quam admittebantur cives quivis & promiscua multitudo; altera acroamatica, ad quam admittebantur solum ejus discipuli, tertia esoterica, Pythagoræ propria & arcana. Porro Scholæ acroamaticæ ad vitam fere & mores pertinebant, non tamen ad vitam quamvis & civilem, sed pe-

culiarem & Pythagoricam, interim tamen Exoterica Schola continebat etiam præcepta de republica & de officiis cum magiſtratuum erga civis, tum civium erga magiſtratus. *Cap, 10. p. 82. 83. 84.* Unde nec mirandum, quod inter Auditores Pythagoræ fuerint etiam Politici, œconomici, & Nomothetæ, quamvis interpretes neſciant, ad quam claſſem Auditorum hos referre, & quomodo accurate ipſas claſſes diſtinguere debeant, cum modo externorum & internorum, modo theoreticorum & acuſticorum &c. mentionem faciant. Erant etiam inter diſcipulos Pythagoræ fœminæ, quas poſtea etiam Plato, Stoici & Epicurei in diſciplinam admittebant. *Cap. 11. p. 106. 107.* Igitur ſecreta Philoſophiæ Pythagoricæ omnia celata & propoſita per Symbola tam multitudini, quam exotericis. Non docebant ex libris, ſed memoriter, nec auditores litteris quid conſignabant, ipſi tamen Philoſophi Pythagorei quædam ſcripto conſignabant, ſed his non ſuum ſed Pythagoræ nomen præfigebant, neque ea, cuiquam facile communicabant. *Cap. 13. p. 125. ſeq.* Cæterum diſcipuli Pythagoræ in probatione prima deſpecti erant & exagitationibus vexati, quod deinde & alii Philoſophi ſunt imitati.

Addita

Addita deinde alia, sitis, inedia, ustiones, sectiones, quæ & ipsa sequentibus philosophis, præsertim Cynicis usurpata fuere, item Essenis & Christianis quoque. Cibi discipulorum Pythagoræ erant, milium, mel, favus in prandio, in cœna olera, puls. Cibi prohibiti manna, ova, & carnes animalium, non tamen quorumvis &c. Neque hæc prohibitio ad omnes Sectatores Pythagoræ spectabat, sed solum ad contemplativos, & quidem ad maxime contemplativos, aut, si etiam ad alios, ad illos solum qui fuerunt legislatores ex Politicis, tanquam qui inter hos summi & perfectissimi essent, quales tamen ex Pythagoræis pauci civitatibus præposuerunt leges. Vestimentis utebantur candidis & mundis, pallium eorum sordidum erat & lacerum, non tamen omnium, pedibus incedebant nudis, non tamen omnes, calcei eorum erant ex papyro. Utebantur & tonsura aliqui; bona propria habebant acusmatici & Mathematici communia, ut hodie Monachi & Cœnobitæ. Politica tractabantur post meridiem. In universum abstinere cogebantur a luxu, ideo deni & deni capiebant cibum; a somno, ideo post solis ortum nefas erat surgere; a Venere, fortassis

omnes, saltem aliqui &c. *Cap. 14. p. 137. seq. potissimum p. 147. 157. 163.* Secta hæc Pythagoræ per Aristæum ad Platonem & Aristotelem est propagata, vel potius aliquo modo renovata. Ipsa enim Pythagoræorum Secta floruit saltem ducentis circiter & quinquaginta annis, cum seditione adversus eam orta omnia collegia ipsorum, domiciliaque vel incenderentur, vel quacunque ratione alia everterentur. Rationes & causæ hujus seditionis præcipuæ erant, quod Secta ista tota esset cum asperitate morum ac doctrinæ, tum vitæ, habitusque singulari differentia notabilis & a vulgo plurimum diversa, atque eo ipso suspecta & invisa. Deinde, quia gravitate quadam singulari ac exuperante conditionem humanam offendebat. Ergo metus non exiguus ab isto genere tyrannidis, quem accendebant æmuli osoresque interpretationibus ingeniosis, cum occasiones præberent abunde sodalitia Pythagoræorum, votis, conjurationibusque mutuis sic instituta, ut de secretioribus negotiis ipsorum omnes alii excluderentur. Accedebat regendarum civitatum studium, quo hanc præ se ferebant speciem, quasi vivere privatim neque vellent, neque possent, qui hanc Sectam colerent.

Hinc

Hinc & Seneca Scholam Pythagoricam vocavit *invidioſam*, videlicet in reſpectu reliquarum, quæ minus duræ, minus alienæ a vulgari conſuetudine vivendi, minus avidæ novarum rerum ac imperii videbantur eſſe. Interim etiam poſterioribus temporibus frequens Pythagoricorum mentio, qui tamen mixtam aliquam ex Pythagoræ Platonisque, immo & commentis cujusque propriis, philoſophiam coluiſſe videntur. Tales fuere ſub Auguſto Anaxilaus, Sotio, Sextius &c. Sub Veſpaſiano Apollonius, ſub Antonino Numenius, quem tamen ob modo memoratam rationem alii Platonicum vocare maluerunt &c. *Cap.* 15. *p.* 170. *ſeq.* 174. 178. *ſeqv.* Noviſſime etiam Thomas Stanlejus *Parte* 8. *Hiſtoriæ Philoſoph. a p.* 658. *ad p.* 826. *verſ. Latinæ* vitam & doctrinam Pythagoræ & Pythagoræorum diſtincte propoſuit, unde adhuc nonnulla excerpemus ad ſcopum noſtrum. Quod *vitam* Pythagoræ attinet, huc pertinere videntur Oratio ejus ad Senatores Crotoniatas. *cap.* 13. *p.* 676. Pythagoræ in Republica autoritas, quamvis ipſe leges non ferret. Suaſit tamen Sybaritis ut exules protegerent; & Agrigentum a Phalaridis tyrannide liberavit: *Cap.* 17. *p.* 682. *ſeq.* Interemtus eſt Pythagoras a Crotoniatis

spectatoribus otiosis comparavit; b) quique

ob metum, ac si Pythagoras tyrannidem in eos occupare vellet. *Cap. 19. p. 688.* Ex *doctrina* Pythagoræ ejusque *parte I.* huc spectant: Pythagoræ autoritas inter discipulos *c. 1. p. 705.* Media ad purgandam mentem varia, silentium, abstinentia, temperantia, opum ac honorum contemtus, bonorum communio &c. *cap. 3. seq. p. 708. seq.* Studium occultandæ doctrinæ arcanæ: *cap. 11. p. 715.* Regendæ Reipublicæ disciplinam suis Auditoribus ultimam tradebat, jam doctis, jam perfectis, jam sapientibus, jam beatis. *Part. 3. Sect. 2. cap. 6. p. 76. &c.* Sufficere hæc possunt, ut cognoscamus ea, quæ Pythagoras & ejus discipuli senserint de quæstione proposita. Breviter: multis simulationibus & dissimulationibus persuadere voluerunt incautis, ac si tantum quærerent unionem cum Deo & contemnerent omnia mundana & Politica, cum tamen nil minus intenderent, sed revera cuperent hoc modo decipere concives & eos subjicere tyrannidi suæ, ut servos, cæca obedientia omnia facientes, quæ ipsi vellent &c.

Ciceronis dicta varia

b) Pythagoram Phliuntem ferunt venisse, eumque

quique auditoribus suis præceptum in-

eumque cum Leonte, Principe Phliasiorum docte & copiose disseruisse quædam, cujus ingenium & eloquentiam cum admiratus esset Leon, quæsivisse ex eo, qua maxime arte confideret; ac illum, artem quidem se scire nullam, sed esse Philosophum: Admiratum Leontem novitatem nominis, quæsisse, quinam essent Philosophi, & quid inter eos & reliquos interesset? Pythagoram autem respondisse: Similem sibi videri vitam hominum, & mercatum eum, qui haberetur maxime ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem coronæ peterent; alii emendi aut vendendi quæstu & lucro ducerentur: esset autem quoddam genus eorum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plausum, nec lucrum quærerent, sed visendi causa venirent, studiosique perspicerent, quid ageretur, & quo modo: item nos quasi in mercatus quandam celebritatem ex urbe aliqua, sic in hanc vitam ex alia vita & natura profectos, alios gloriæ servire, alios pecuniæ: raros esse quosdam, qui cæteris omnibus pro nihilo habitis rerum naturam studiose intuerentur: hos se appellare sapientiæ Studiosos, id est philosophos: & ut illic liberalissimum esset, spectare, nihil sibi

de Pythagora & Pythagoræis.

inculcavit, ei, qui bene vitam transi-

acquirentem, sic in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum cognitionemque præstare. Nec vero Pythagoras nominis solum inventor, sed rerum &c. ipsarum amplificator fuit. Qui cum post hunc Phliasium sermonem in Italiam venisset, exornavit eam Græciam, quæ magna dicta est, & privatim & publice præstantissimis & institutis & artibus. Cicero *Tusc. quæst. lib. 5. cap. 3. & 4. p. 1098. edit. Schrevelii in quarto 1661.* Quæ hic in genere Cicero de adventu Pythagoræ in Italiam meminit, ea paulo distinctius alibi proponit: *Pythagoras*, (inquit *lib. I. Tusc. qv. c. 16. 17. p. 1056.*) *cum Superbo regnante in Italiam venisset, tenuit magnam Græciam cum honore & disciplina, tum etiam autoritate, multaque Secula postea sic viguit Pythagoræorum nomen, ut nulli alii docti viderentur* &c. *Platonem ferunt ut Pythagoræos cognosceret, in Italiam venisse & didicisse Pythagoræa omnia primumque de animorum æternitate non solum sensisse idem, quod Pythagoras, sed rationem etiam attulisse.* Idem *lib. 4. Tusc. qv. c. 1. p. 1686. Pythagorea doctrina cum longe lateque floreret in Italia & Græcia, etiam permanavit Romam. Arbitror etiam, Numam Regem Pythagoræum*

transigere velit, bene latendum esse; c) quique doctrinis suis prima fun-

raeum a posterioribus existimatum, propter Pythagaraeorum admirationem. Alibi tamen nempe *lib. 2. de Oratore c. 37. p. 96.* notat, Numam annis permultis ante fuisse, quam ipsum Pythagoram. Scilicet quia, secundum paulo antea excerpta Pythagoras demum *S*uperbo regnante in Italiam venerat. Sedet in *libro 3. de Oratore c. 15. p. 115.* sequentia de Pythagora memoravit Cicero. *Hanc cogitandi pronunciandique rationem, vimque dicendi,* (i. e. artem oratoriam) *veteres Græci sapientiam nominabant. Hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones atque ab hac similitudine Coruncanii nostri, Fabricii Catones, Scipiones fuerunt, non tam fortasse docti, sed impetu mentis simili & voluntate. Eadem autem alii prudentia, sed consilio ad vitæ studia dispari, quietem atque otium secuti, ut Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, a regendis civitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerunt: quæ vita propter tranquillitatem, & propter ipsius scientiæ suavitatem, qua nihil est hominibus jucundius, plures, quam utile fuit Reip. delectavit.*

c) De hoc præcepto Pythagorico jam De præcepto Pytha-

fundamenta videtur jecisse post multa demum secula orti in Christianis rebuspublicis Monachismi, & aliorum Papismi arcanorum pseudopoliticorum. *d*)

Tum

gorico: λάθε βιώσας. quædam memoravi *supra lit. a in excerptis ex Schefferi Philos. Ital. cap. 9.* Adde sequentia ex *Notis* Menagii *in Diog. Laërt. lib. 8. cap. 50. p. 378. Mirum autem, Laërtium nostrum inter Pythagorica effata τοῦ λάθε βιώσας non meminisse de quo sic Marinus in vita Procli:* Usque adeo latebat Proclus, quantum ne Pythagoræi quidem, qui præceptum hoc auctoris sui: λάθε βιώσας inconcussum servant.

An Pythagoras prima fundamenta jecerit Papismi Pseudo-politici.

d) Nimirum ut in *nota lit. a* ostendi, *P*ythagoram & *P*ythagoreos sub specie unionis cum Deo & contemtus rerum humanarum & *P*oliticarum ac purgationis animi occulte imperium tyrannicum quæsivisse in populum; ita par est ratio Monachorum in *P*apatu & omnis Cleri imo *P*apæ ipsius. Id saltem dubium videtur, qua ratione dicere possim, ista arcana *P*olitica *P*apismi ortum ducere a *P*ythagora & *P*ythagoræis, cum tamen ibidem simul ostenderim, jam dudum extinctam fuisse sectam *Pytha-*

Tum quid Socratem moverit, ut cum antea in juventute & militiæ operam dederit, & officia Politica Athenis gesserit, postea etiam philosophiam docendo, ut ex Xenophontis Memorabilibus patet, politicos sæpius instruxerit, quomodo Respublica sit prudenter administranda; ipse tamen a geren- *13. (2) Socratis.*

Pythagoræorum, & cum alibi *in caut. circa præcogn. jurisprud. cap. 6. §. 63. lit. m.* observaverim Pythagoricos Philosophos sub Augusto Roma fuisse ejectos, imo cum Historia Ecclesiastica ostendat arcana illa Pseudopolitica in Papatu deberi doctrinæ Platonicæ, & nimiæ venerationi Patrum erga Platonem, de qua plura dicentur infra suo loco. Sed hoc dubium facile tolli potest, si simul ex supra excerptis notaveris, etiam post illam ejectionem Pythagoræorum semper extitisse Philosophos Pythagoræos, etiam post tempora Augusti; item quod Plato plurima dogmata sua a Pythagora hauserit, & saltem hinc inde emendaverit, aut novis larvis obductis occultaverit.

gerendis negotiis plane abstinuerit. *e*)

Porro

Probatio brevis eorum, quæ hic de Socrate dicuntur.

e) Quæ hic de Socrate dixi singula probari possunt ex vita Socratis & memorabilibus Xenophontis de Socrate, quæ jam anno 1693. ex Carpentarii scripto Gallico in idioma Germanicum transtuli. Socratem in juventute & militiæ dedisse operam, & officia Politica Athenis gessisse pluribus descripta vide *in vita Socratis cap. 4. p. 7. cap. 7. 8. 9. p. 15. seq. cap. 24. p. 105.* Quod autem Socrates Politicos sæpius instruxerit, quomodo respublica sit prudenter administranda, patet ex rubrica libri secundi memorabil. Socratis cap. 1. p. 68. seq. *de informatione Principis*, & libri tertii cap. 1. 2. 3. p. 139. seq. *de officio supremi ducis militiæ*, porro capitis 5. p. 157. *de corrupto statu Reipubl. Atheniensis*, capitis 6. p. 169. *de stultitia imperitorum officia Reip. ambientium*, capitis 7. p. 177. *quod idonei administrationi Reipublicæ se non penitus subtrahere debeant:* capitis 16. p. 191. *de arte regendi*, denique libri quarti capitis 10. p. 280. *de variis formis Rerumpublicarum.* Cur vero Socrates ipse se subtraxerit administrationi Reipublicæ, paucis rationem exhibet *memora-*

Porro quænam ratio subsit, ut cum Zeno & Chrysippus duo illi Stoicæ philosophiæ principes, ipsi Rempublicam non administraverint, docuerint tamen, Sapientem accessurum esse ad rempublicam, nisi quid impediret, imo solum Sapientem esse idoneum ad gerendum magistratum, & ad judicandum, imo solum Sapientem Regem esse. *f*) Tum qui factum sit, ut Stoici

14.(3)Stoicorum.

---

morabil. lib I. c. 21. p. 65. Adde Stanlei *p. 126. 160. 162.*

f) Laërtius *lib. 7. c. 121. 122. p. 441. edit. Menagii*, notat, Chrysippum docuisse, accessurum esse Sapientem ad Rempublicam nisi quid impediat; item solum sapientem esse liberum, imo regem. Plutarchus in libro *de contrad. Stoicorum* Stoicos reprehendit quod eorum decretis vita non consentiat: Cum enim sapientem rempublicam administrare velint, deque ea multa scribant, ipsos tamen semper in otio versatos esse. Præterea ex Chrysippo quædam in medium affert, ex quibus intelligitur Stoicos otiosam vitam reprehendere consuevisse. Conf. Cicer. *de finib. lib. 3. c. 20.*

Cur Stoici inculcantes sapientem ad Rempublicam accessurum, ipsi non accesserint?

p. m.

Stoici de gubernanda Republica nihil literis prodiderent, nec in animo

---

p. m. 1028. item Aldobrandini *notas ad d. c. 121. 122. Laertii*, Stanleium *Part. 7. Sect. 2. c. 15. p. 618. 619.* Voluit equidem hoc dubium solvere Seneca *de Otio Cap. 32.* Sed jam supra *Orat. I. §. 9. lit. 9. p. 56. seq. potiss. p. 69.* ostendi, Senecam ipsum, dum Stoicorum ineptias vult refutare, aliquando etiam ineptire. Annon & in hac quæstione idem sit notandum, judicio Lectoris relinquo, & saltem doctrinam Senecæ refero, (1) ad objectionem quod natura utrumque exigat a Sapiente, & *agere* & *contemplationi vacare*, respondet *Tom. 2. p. m. 692.* se utrumque facere, cum nec *contemplatio* sine *actione* sit. (2) Per ipsum sapientem non esse moram, non *actorem*, sed *agenda* deesse, ergo, Sapientem ad otium secedere, ut sciat, se *tum* quoque *acturum* ea, per quæ posteris prosit. (3) Illustrationis gratia addit: Zenonem & Chrysippum majora egisse, quam si duxissent exercitus, gessissent honores, leges tulissent, quas non *uni civitati*, sed toti *humano generi* tulerint. Tale igitur otium convenire viro bono, per quod *futura secula* ordinet, nec apud

paucos

mo habuerint, quicquam de ea re tradere, quod in vita Civili ad hunc

---

paucos concionetur, ſed apud omnes *omnium gentium homines*, tam præſentes quam futuros. (4) Ergo Chryſippum & Zenonem ſic vixiſſe, quemadmodum dixerant eſſe vivendum. Quodſi objicias, neminem illorum Rempublicam adminiſtraſſe, reſpondet; non fuiſſe illis aut eam fortunam aut dignitatem, quæ admitti ad publicam rerum tractationem ſolet, (i.e. adnotante Lipſio, quod ad Rempublicam tum ex cenſu & ex genere magiſtratus admiſſi fuerint.) Idem Lipſius ex *S*tobæo aliam excuſationem affert: Chryſippum, interrogatum, cur non adminiſtraret publica? reſpondiſſe: Quia, ſi male, Diis diſplicuero, ſi bene, civibus: *P*ergit *S*eneca *(p. 692.)* addendo (5) reſponſionem. Zenonem & Chryſippum nihilominus non ſegnem egiſſe vitam, inveniſſe quemadmodum plus quies illorum hominibus prodeſſet, quam aliorum diſcurſus & ſudor. Ergo hos nihilominus *multum* egiſſe viſos eſſe, quamvis *nihil* publice agerent. Relinquo inquam has reſponſiones *S*enecæ judicio Lectoris & ſaltem hic duobus verbis

hunc finem uſui foret, ſed ſolummodo de quæſtionibus abſtractis, & ad vitam politicam plane inutilibus diſputaverint, ut vel ex unius Senecæ libello de Otio Sapientis colligere licet: g) Quid Ciceroni reſpon-

verbis noto exceptionem ad reſponſionem primam ex verbis ejusd. Senecæ paulo poſt (ead. p. 692.) ſequentibus. *Plurimum, inquis, diſcriminis eſt, utrum aliqua res propoſitum, an propoſiti alterius acceſſio ſit.* Utrum autem hanc exceptionem tollant verba ſtatim ſequentia Senecæ valde dubito, dum pergit: *Sane grande diſcrimen, tamen alterum ſine altero non eſt: nec ille ſine actione contemplatur, nec hic ſine contemplatione agit.* Mihi non diſplicet judicium Euremonii de Seneca: *Dans Seneque il ya deux hommes, l' un viſionaire, l' autre Philoſophe.* De utroque exempla non pauca addit, quæ videri poſſunt in *Saint-Euremonianis a p. 32. ad p. 36.*

Exempla quæſtionum inanium Stoicorum ex Seneca.

g) Non dico, quod Seneca in libello de otio Sapientis intenderit taxare Stoicos, quod quæſtiones ſaltem abſtractas & ad vitam Politicam plane inutiles propoſuerint & de iis diſputaverint, cum

respondendum sit, Stoicæ Philoso-phiæ alias magno admiratori, in libris

---

cum potius nota præcedens doceat, quod Seneca in dicto libello Stoicos defendere voluerit. Interim si lector impartialis saltem sequentem locum Senecæ velit attente considerare, patebit, quæstiones, quas Seneca ad defendendos Stoicos exempli gratia affert, si non æque inanes esse, ac disputationes illas, quas *supra p. 56. & 62.* ipso Seneca judice, ut ineptissimas attulimus, saltem esse inutiles & valde noxias, si homo de earum resolutione glorietur: *Huic majori Respublicæ* (i. e. toti generi humano) inquit Seneca *cap. 31. de ot. Sap. p. m. 687. & in otio deservire possumus: imo vero nescio an in otio melius: ut quæramus, quid sit virtus? una pluresve sint? natura an ars bonos viros faciat? unum sit hoc, quod maria terrasque & mari ac terris inserta complectitur? an multa Deus corpora ejusmodi sparserit? continua sit omnis, & plena materia, ex qua cuncta gignuntur, an deducta, & solidis inane permixtum sit? Deus sedens opus suum spectet an tractet? utrumne extrinsecus illi circumfusus sit, an toti inditus? immortalis sit mundus, an inter caduca & ad tempus nata nume-*

libris de Oratore ad oculum demonstranti, Stoicam doctrinam ad admi-

numerandus? Hæc qui contemplatur, quid Deo præstat? Ne tanta ejus opera sine teste sint. Solemus dicere, summum bonum esse, secundum naturam vivere: natura nos ad utrumque genuit, & contemplationi rerum & actioni &c. Cæterum, dum dixi, Stoicos de gubernanda Republica nihil litteris prodidisse, id pariter intelligendum de gubernanda republica secundum regulas genuinæ prudentiæ. Etenim recte quidem Lipsius *Lib. 1. manud. ad Philos. Stoicam dissert. 16. p. m. 91. edit. Lugd. 1644.* monuit, Stoicos etiam ad civilem doctrinam, quæ reges principesque tangit, ivisse, ubi simul ad Laertium provocat, quod inter Zenonis & Cleantis & Chrysippi libros, occurrant tituli, de *Republica*, de *legibus* de *consilio*, & talia, quæ ad regimen aut tutelam faciant generis humani (vide Libr. 7. Laertii *c. 36. 175. 188.*) sed dum Lipsius addit, eos *maxime* ivisse ad civilem doctrinam, & quod in catalogis Laertii *statim* occurrant isti tituli, in eo fallitur. Nam ex allegatis modo Laërtii locis patebit, libros Politicos horum Stoicorum esse paucissimos, intuitu reliquo-

De libris Politicis Stoicorum.

administrandam rempublicam homines ineptissimos reddere? Quid Plutarcho, integros libellos de communibus notionibus item de contradictionibus Stoicorum, & alium,

---

liquorum ibi recensitorum, quorum multi, ut statim ex titulis apparet tractarunt res inutiles & inanibus abstractionibus repletas. Cum autem citati a Lipsio libri *S*toicorum de Republica, de Legibus, de Consilio non extent, dici non poterit, an mereantur commendationem Lipsii. *S*i tamen ex illis, quæ Laërtius de Chrysippo ejusque absurdis dogmatibus & interpretationibus fabularum, de ejus arrogantia, interrogatiunculis, sophismatibus. *d. libr. 7. cap. 179. ad finem libri* passim tradidit, judicare licebit, si consideremus ea, quæ *cap. 188. p. 481.* notavit de Chrysippo Laërtius, quod in libro de Republ. dogma hoc posuerit, patrem ex filia, matrem ex filio & fratrem ex sorore liberos procreare, & quæ pariter de assertis *S*toicorum moralibus & *P*oliticis docuit *S*extus Empiricus *libr. 3. Pyrrhon. Hypot. cap. 24. p. m. 528. 529.* tum facile conjicere licebit nullius, vel certe exigui momenti fuisse dogmata *P*olitica *S*toicorum.

alium, quod Stoici magis improvisa quam Poëtæ dicant, adversus Stoicos edenti? *b)* Quomodo remo-

Ciceronis censura Stoicorum: & quid huic & Plutarcho respondeat Lipsius.

b) Statim lib. I. de Oratore cap. 11. p. m. 70. Cicero dicit, *Stoici nostri disputationum suarum atque interrogationum laqueis te* (qui oratoriæ studes) *irritum tenerent.* Alia adhuc ex aliis Ciceronis libris excerpsit Lipsius *manud. ad Philos. Stoic. lib. I. dissert. 14. p. 83.* quod videlicet Zeno Stoicorum Princeps non tam rerum inventor fuerit, quam verborum novorum; itaque eum maluisse *producta* dicere, quæ alii *bona fortunæ* aut *corporis* vocaverint, & *rejectanea*, quæ alii *mala* ejusdem generis vocaverint; quod Cicero dixerit: Stoicorum subtile vel spinosum potius esse disserendi genus; item, quod pungant, quasi aculeis, interrogatiunculis angustis, quibus etiam qui assentiantur, nihil tamen commoveantur animo & iidem abeant, qui venerint. Equidem Lipsius *d. l. lib. 3. diss. 2. p. 248.* respondet: Ciceronem & Plutarchum esse Academicos, id est ex professo Stoæ hostes; alibi vero *d. lib. 3. diss. 12. p. 321.* idem Plutarcho objicit, & Ciceronem Ciceroni opponit, dum doceat Sapientem (Stoicum) rectius

movenda ſit inculpatio Rubellio Plauto apud Tacitum, adhuc eo tempore, quo Secta Stoicorum nota & florens eſſet, facta, quod Stoicorum arrogantiam, ſectamque quæ turgidos homines & negotiorum appetentes faciat, aſſumſiſſet, inprimis cum ipſe Lipſius Stoicæ Sapientiæ reſtaurator eam objectionem inſufficienter removerit, & prope neceſſe habuerit fateri, quod ex Paradoxis contumacia Stoicorum, nimius ſui amor, & aliorum nec privatorum tantum, ſed & magiſtratuum principumque contemtus ortum duxerint. *i*)

Tum

ctius appellari Regem, quam Tarquinium, qui nec ſe nec ſuos regere potuerit. Sed hæ reſponſiones mihi parum placent, neſcio an tibi, Lector.

i) Quæ hic de Rubellio Plauto & de contumacia Stoicorum ac contemtu aliorum adduxi, iſta Lipſius ſub perſona Auditoris ſibi ipſi objicit, *lib. 1. diſſ.* 14. *p.* 84. & ad hæc reſpondet *diſſ.* 15. *p.* 91. ex Senecæ *Epiſt.* 73. & *lib.* 2. *de Clement.* *c.* 5.

Aliæ reſponſiones Lipſii inſufficientes.

15.(4) Epicuri. Tum de Epicuri doctrina videndum esset, & utrum inter dicta ejus de Sapiente illud, quod jubet Sapientem non accessurum esse ad Rempublicam, ita absurdum sit, ut jurati Epicureæ philosophiæ hostes, Cicero & Epictetus, id passim variis

c. 5. errare videri eos, qui Philosophiæ Stoicæ fideliter deditos contumaces esse dicant, & refractarios & contemtores magistratuum & regum, eorumque per quos publica administrentur, cum e contrario nulli adversus illos gratiores sint, & nulla Secta benignior leniorque sit, nulla amantior hominum. Sed hæ contradictiones meræ sunt, non responsiones perspicuæ. Adde quod Lipsius *d. l. 3. diss. 14. p. 329.* Stoicorum tumorem & vaniloquentiam ipse notet, occasione Paradoxi Stoici, Sapientem Deo parem esse & mox *diss. 15. ab init. p. 330.* etiam sequentia Paradoxa: Sapientem omnia recte facere, etiam digitum exserendo; cum sine peccatis esse, pariter ad ea referat, quæ ab eodem elationis Stoicæ fonte orta, & adeo noscendi solum non probandi causa edisserenda sint. Conf. eund. *d. lib. 3. diss. 23. p. 329.*

variis dicteriis & scommatibus impugnarent. Et annon potius rectæ rationi magis conveniat dogma Epicuri, Sapientem non gesturum esse magistratum, nisi forte patria periclitetur, aut eo valde opus habeat; quam paradoxum Stoicorum, reipublicæ quidem operam Sapientis sui spondentium, sed sub limitatione totum præceptum destruente, nisi videlicet aliquid impediat; sub ejusmodi impedimentis autem etiam illud comprehendentium, si Respublica ipsis vel leviter saltem displiceat. *l)*

Ulterius

l) Præter Laertium & *S*tanleium hic vide potissimum Gassendum *in animadvers. ad 10. libr. Laërtii Tomo II. f. 14. seq. item fol. 157. seq. edit. Lugdun. 1675.* Paucis: Docet Gassendus non difficulter objectionibus Epicteti & Ciceronis adversus doctrinam Epicuri, de accessione *S*apientis ad Rempublicam, responderi posse, si fundamenti loco ponatur sequens locus *S*enecæ *c. 30. de ot. Sap. p. m. 686. Duæ maximæ hac in re dissident Sectæ, Epicuræorum & Stoicorum; sed utraque ad*

Epicuri doctrina: Sapientem ad Remp. non accessurum comparata cum doctrina Stoicorum.

16.(5) Platonis & Platonicorum.

Ulterius circa Philoſophiam Platonicam dicendum foret de notiſſimo Platonis dicto, tum demum beatas

---

ad otium diverſa via mittit. Epicurus ait: Non accedet ad Rempubl. Sapiens, niſi quid intervenerit. *Zenon ait:* Accedat Remp. niſi quid impedierit. *Alter otium ex propoſito petit, alter ex cauſa.* Quodſi igitur objiciatur Epicureis neglectus patriæ, publicæque utilitatis, reſponſuros eſſe, ſi *intervenerit* tempus, quo Patria conſilio opeque ipſorum indigeat, ſe eſſe ſaluti patriæ otium ſuum poſthabituros. His addi poſſe aliam reſponſionem ex Plutarcho & Stobæo, Epicurum docuiſſe, illis, qui ſuapte natura ambitioſi gloriæque appetentes ſint, non eſſe quieſcendum, ſed publicæ adminiſtrationi actuoſæque vitæ ſe dedentibus naturæ obſequendum, cum ſcilicet ita ſint comparati, ut ex otioſa vita potius perturbationem & moleſtiam trahant, dum, quod concupiſcant, non aſſequuntur. Unde nihil aliud voluiſſe Epicurum, quam eſſe quidem Philoſophicum otium negotioſæ vitæ cæteris paribus præferendum; verum ſi quis actuoſus ſit, publicisque rebus gerendis idoneus, inſuper vero

&

beatas ſore Respublicas, ſi aut Sapientes regnarent, aut qui regnã-

---

& naſcendi conditio, aut ſors & occaſio januam facilem ad publicæ rei adminiſtrationem aperiat, hunc debere vitam præferre actuoſam. *P*orro ſi quis aut ſua natura ad otium comparatus ſit, aut ambitionem vanitatemque vi rationis repreſſerit, aut quid rei id ſit expertus, quaſi ex procellis emerſerit, ſecundum Epicurum huic otium præſtabilius fore, neque eſſe congruum, ut illud cum vita actuoſa commutet, niſi quid forte interveniat ex parte Reip. quod ejus induſtriam depoſcat. Pergit Gaſſendus; videri ipſi, quod Epicurus præſtantius ſentiat Zenone, cum ipſe per ſe ac ſponte otium eligat, Zeno autem ad illud, niſi ex accidenti, & quia a negotio arceatur, non tendat; Porro, videri etiam animi modeſtiam, a Rep. abſtinere, ad quam neceſſitas non vocet, contra videri præſumtionem animi, in eam ſe ultro ingerere, etiam cum nihil ſit, quod oſtet. Et revera luſiſſe Stoicos illa doctrina ſua de *S*apientis acceſſu ad Remp. ulterius probat ex *S*eneca *de otio Sapient. cap. 32. p.m. 693.* docente, ſapientem *S*toicum non

gnarent, sapientiæ darent operam; *m*) de republica item Phantastica

accessurum ad quamvis Rempublicam, non ad Atheniensem, non ad Carthaginensem, neque ad ullam aliam cum nulla inveniatur, quæ sapientem, aut quam Sapiens pati possit.

Brevis nota circa dictum Platonicum.

m) Vel ut ab aliis effertur: tum demum beatas fore respublicas, si aut Philosophi regnarent, aut qui regnarent philosophentur. Stanlei *Part. 4. c. 11. p. 312.* Nam Sapientes & Philosophi hoc loco significant unum & idem. Ipsum dictum Platonis concederemus, si modo historia Philosophica non ostenderet, Philosophos gentiles maxime Platonicos nihil minus docuisse, quam genuinam sapientiam, singulis ad emendationem propriam & illis qui regunt cives in Republica ad promovendam tranquillitatem publicam, utilem & proficuam, sed potius eorum doctrinas fastum intolerabilem & stultitiam toti humano generi noxiam & produxisse & promovisse. Confer quæ de Pythagoræis & quod horum doctrinas reassumserint Plato & Platonici jam supra notavimus *lit. d.*

tastica Platonis; *n*) de libris ejus non

n) In genere de modo docendi *Platonico* per Dialogos, noto, eum me non improbare sed approbare, si modo regulæ observentur quas breviter proposui *in Cautelis circa præcognita Jurisprud. cap. 10, §. 66, in not.* & quas revera si non semper, ut plurimum tamen observavit Socrates *in memorabilibus Xenophontis*. Has vero ita nusquam & nunquam observavit Plato, ut diffiteri nequeam, me semper, quoties in Platone legerem, maximam sensisse nauseam & admiratum esse, qui fiat, ut Plato hodienum a multis magnæ autoritatis viris tantopere commendetur & æstimetur, antequam fontem hujus mali (de quo fonte in sequentibus) distinctius cognoscerem. Ita ubique & prope in singulis paginis deprehendebam nil nisi doctrinas vanas, logomachias, & ubique fundamenta summæ insipientiæ. Potissima differentia inter modum proponendi Platonicum & Socraticum in eo consistit: In Socratis dialogis invenies breves quæstiones & responsiones. Plato non tam breviter quærit, quam prolixe disserit. Fingit responsiones pro lubitu, nec tam responsiones sunt, quam applausus

Judicium sincerum de Platone.

plausus intempestivi. Ex vita Socratis constat, etiam huic ipsi displicuisse Dialogos Platonis, & admiratum esse, quod tam impudenter in istis dialogis Plato ipsi Socrati affinxerit sæpissime asserta stultissima & quæ Socrati nunquam in mentem venerant. Et ne putes, me solum ista multis forte displicentia observasse, adjiciam hoc loco saltem duas observationes parallelas. Primam invenies apud Clericum *Logicæ Part. 4. cap. 9. §. 9. p. 235. Plato in dialogis magistro δογματικότερος multo est, & Xenophon plurima refert Socratis colloquia, vere, ut videtur habita, cum Plato multa finxerit*, item apud Jacobum Bernhardum *in novellis Reip. Liter. 1710. in Sept. p. 265. Il ya, sans doute d' excellentes choses dans les ouvrages de Platon, mais elles sont quelque fois accompagnées, de je ne scay quel galimatias.* Quod in specie Platonis dialogos X. de Republica attinet, in eo consentiunt fere omnes, etiam qui alias doctrinam Platonicam magnifaciunt, Rempublicam a Platone descriptam esse nullius momenti & Phantasticam; atque hæc assertio cuilibet facile in oculos incurrit, si quis modo considerare velit potissimas doctrinas a Platone in illis decem dialogis propositas, quæ sunt sequentes. Initio

Et in specie de ejus dialogis de Republica. Horum synopsis.

tio examinat pro more ſatis prolixe *juſtitiæ* definitionem, magis impugnando definitiones, quas pro falſis habet, quam ut genuinam definitionem perſpicue tradat. Tum de *injuſtitia* agit, tanquam ex cujus cognitione illuſtretur juſtitiæ ipſius definitio. Porro docet: de virtutibus *magiſtratuum*, eos debere eſſe *iracundos* in pœnis irrogandis & erga hoſtes, *ſagaces* in præmiis; inſtituendos eos eſſe in *Muſica* & *Gymnaſtia*, de quibus prolixe diſſerit. *Poëtas* eſſe ejiciendos e Republica, honore tamen ſalvo. Agit etiam de *quatuor virtutum cardinalium* uſu eximio in Republica. Magiſtratus porro inſtituendos eſſe in *vera Philoſophia* i. e. ſummi boni ſeu Dei cognitione. Huic aſſertioni jungit dictum, de quo in *nota m.* egimus: *Tum demum beatas fore Respublicas* &c. Sequuntur præcepta ſpecialia: ad officia Reipublicæ etiam admittendas eſſe *fœminas: uxores, liberos* & *bona* civibus eſſe debere *communia:* Ideam boni ſummi ſeu Dei non conſiſtere in *nuda contemplatione*, ſed in cognitione rerum ad *officia ſocialia* neceſſariarum. Hanc vocat *Dialecticam*, Hujus famulas dicit eſſe *Phyſicam* & *Matheſin*: *Tres formas* eſſe rectæ gubernationis, monarchiam, ariſtocratiam & politiam: His *oppoſitas*

eſſe

non melioris notæ de Legibus; *o*) de

esse tyrannidem, oligarchiam & democratiam: *Tyrannidem* esse infelicissimam. Denique declarat cur *Poëtas* ex sua Rep. excluserit, & de *præmiis* ac *pœnis* tam in hac, quam in *altera vita* disserit.

Synopsis dialogorum Platonis de legibus.

o) Quid de hoc Platonis opere, quod tredecim Dialogis inclusit, sit judicandum, etiam aliquo modo patebit ex sequenti eorum synopsi. *Dialogo primo* tractat de legum (1.) causis, Deo & virtute, (2.) de legum subjecto, scilicet natura humana, corrupta per cupiditates, & ratione repugnante, (3.) de legum fine, ut cives fiant virtuosi. *Dialogus secundus* docet, legislatorem debere maxime respicere duas hominum cupiditates dominantes: dolorem & voluptatem. Ex quo infert, leges, nec nimiæ licentiæ debere favere, nec nimis rigidas esse: Potissimum autem momentum situm esse in educatione puerorum; omnia autem ætatum esse decoram quandam harmoniam. *Dialogus tertius* inquirit in legum originem post universum quoddam diluvium, & inde auctis iterum hominibus, post seculum simplex æquitati deditum, introductis divitiis & penuria. *Dialogo quarto*

de variis item Plutarchi, Platoni-
cam

quarto agit de ſitu civitatum oportuno & quærendarum ſedium occaſionibus; de Reipublicæ forma, Dei & parentum cultu, legum vi & autoritate; de *præfationum* legibus præmittendarum neceſſitate, & regulis earum. *Dialogus quintus* docet, quomodo verus animi cultus ſit inſtituendus intuitu corporis, pecuniæ & aliarum rerum externarum: & *fruſtraneas eſſe leges*, niſi prius animus recte fuerit formatus, ut ipſe ſibi lex ſit. *Dialogus ſextus* proponit magiſtratuum necesſitatem, diverſitatem, creationem, matrimonii doctrinam & leges matrimoniales (ubi ſimul emendare voluit doctrinam de *communione uxorum.*) *Dialogus ſeptimus* iterum de liberorum educatione tractat, tam quoad corpus, quam quoad animum, ubi prolixe diſſerit de muſica & choreis, tanquam quæ maxime apud Græcos in uſu eſſent. *Dialogus octavus* agit de ludis & feſtis religioſis (Græcis etiam maxime frequentatis) eorumque etiam in bellis uſu: item, quatenus mulieres etiam ſint ad bellum præparandæ. Porro de religionis naturalis efficacia perpetua in homine intuitu con-

conſcientiæ, de turpitudine adulterii, ſcortationis, & veneris maſculæ. *Dialogus nonus* proponit generalia præcepta de judiciis, de criminibus maximis, de differentia legislatoris & judicis, & de regulis conſtituendorum judicorum. *Dialogus decimus* agit de impietate & profana loquentia de Deo, de hujus impietatis ſtultitia, variisque generibus, & de variis pœnis in illa impietatis genera, etiam capitalibus. *Dialogus undecimus* proponit doctrinam de pactis in genere & in ſpecie de pactis & contractibus privatis, (ſub quibus etiam comprehendit teſtamenta & tutelas) item de horum obligatione ex æquitate naturali. *Dialogus duodecimus* continuat agere de pactis & contractibus publicis, de legationibus, militari diſciplina, jurejurando, publicis peregrinationibus, de tribus judiciorum ſubſelliis, de jure ſepulcrorum &c. In *dialogo decimo tertio* & ultimo concludit; a Deo pendere omnem Reipublicæ felicitatem; adeoque præcepta dat de collegio ſacro ex optimis civibus conſtituendo, & de ſapientia per hoc collegium introducenda. His ita præmiſſis cave ne putes, judicium meum generale de Platonis philoſophia *ſupra nota n.* ſincere datum id intendere, ut

Judicium ſpeciale de doctrinis Platonicis.

conte-

contemnere velim omnes doctrinas Platonicas. Quin potius uti in sensus incurrit, quod ibi potissimum sententiam meam dixerim in genere de modo tædioso secundum quem Plato proposuit doctrinas suas; ita quod in specie doctrinas ejus de Republica & legibus hactenus recensitas attinet, paulo specialius meam sententiam de iis hic, sed brevibus propono. *Sunt bona mixta malis, sunt mala mixta bonis.* Inter doctrinas non paucas, quæ prima fronte piæ & sanctæ videntur, sunt etim multæ, quæ, si eas paullo attentius examines, sunt hypocriticæ, aut, si verba magis in factum temperare velis, Pythagoricæ. Sed adsunt etiam non paucæ, quæ ne quidem umbram sapientiæ habent. Ita, ut secundum ordinem supra usurpatum hoc judicium meum exemplis illustrem, non credo, in libris de Republica, prudenter & juste magistratibus esse iracundiam, item Musicam & Gymnasticen tantopore commendatas. Quod præceptum de Poëtis e Republica ejiciendis attinet, equidem hoc nimis rigidum esse arbitror, interim in eo consentio Platoni, quod alii Græcorum (quos hodienum multi ex nostratibus sequuntur) nimis imprudenter commendaverint & extule-

In specie de Poëtis:

Dd rint

rint Poëtas, inprimis Homerum & Virgilium, qua de re mentem meam distinctius exposui *in cautelis circa præcognita jurispr. capite 8. potissimum §. 11. & 12. & ibi not. d.* Scriptoribus ibidem allegatis adde Max. Tyrium *dissert. 7.* In specie de Homero & Virgilio in utramque partem Basnagium *Histoire de Juifs. lib. 3. cap. 20. p. 941. ad p. 948.* Huetium *de orig. fabul. Roman. p. 86.* Homerum colaphis dignum dixit Heraclitus apud Laertium *libr. 9. cap. 1.* Adde de Homero Baylium *dict. critique sub voce Loyer p. m 356. Edit. primæ.* Madame Dacier *des causes de la corruption du gout*, de la Motte, *dans le discours sur Homere* qui ipsius versioni Iliados Homeri præmissus est. Possunt etiam multa ad hunc usum peti ex lectione Longini *de sublimi* & ex *observationibus Gallicis* ad easdem du Boileau, item ex *parallelis des anciens & de modernes* de Perrault, ex observ. Halens. *Tom. III. obs. 1. §. 8. seq.* ex Dion. Halicarn. *oper. Rhetor. & ejus indice voce Homerus, Zoilus.* Virgilium contra Clericum *lib. 1. Parrhas.* defendere aliquo modo voluit Burmannus *in præfatione ad Petronii Satyricum circa finem.* Ex antiquis Virgilium prolixe commendat & sapientiam ejus demonstrare voluit Macrobius Saturn. *lib. 1. cap. 24. &*

integr.

integr. lib. 3. 4. 5. 6. In *operibus Vavassoris fol. 680. ad 700.* etiam plura invenies de vana commendatione Homeri. Sed redeamus ad Platonem. Hujus doctrinæ de vera Philosophia, in qua magistratus sint instituendi, i. e. in summi boni seu Dei cognitione, & quod ista non consistat in nuda contemplatione, sed in cognitione rerum ad officia socialia necessariarum, item quæ de legibus *dialog. 1.* iterum de Deo & virtute tanquam legum causis tradit, item in *dial. 10.* de graviter punienda impietate & profana loquentia de Deo, denique *in dial. ult.* quod a Deo pendeat omnis Reipubl. salus &c. si supine eas consideres, optime & pie sonant; sed si penitius eas examines, & scopum, quorsum ista omnia tendant paulo penitius consideres, scilicet, ut *in ult. dial.* addit, collegium sacrum ex optimis civibus esse constituendum, quod sapientiam istam in civitatem introducat, facile apparebit, Platonem in hoc esse egregie imitatum Pythagoreos; ut sub specie pietatis & sanctitatis stabiliret solum autoritatis præjudicium & tyrannidem maxime crudelem erga eos, qui ab ejus dictatis vel in levissimis dissentire auderent, tanquam in homines maxime impios. Porro doctrina Platonis

De hypocritica pietate Platonica.

De communione

bonorum & uxorum &c. tonis de communione bonorum, uxorum, liberorum, non ſolum eſt phantaſtica. (quod communionem bonorum attinet,) ſed & irrationalis & impia, unde & ipſe *dial. 6. de Legib.* doctrinam de communione liberorum & uxorum emendare, aut potius emollire, voluit. Eſt & id ridiculum, quod doctrinam de Deo ad Dialecticam retulerit, ſed id tamen ſimul affectationem dominatus in intellectum humanam indicat, quod Phyſicam & Matheſin voluerit hujus Dialecticæ famulas eſſe. Facit & id ad ſtabiliendum præjudicium autoritatis, quod Plato *in Dial. 4.* tantopere commendet præfationum legibus præmittendarum neceſſitatem, cum potius natura & ſcopus legum oſtendat, rectius Senecam docuiſſe, ſtultitiæ id indicium eſſe. Pariter, dum docet *in dial. 5.* fruſtraneas eſſe leges, niſi prius animus recte fuerit formatus, ut ipſe ſibi lex ſit, quilibet videt potius dicendum eſſe, non opus eſſe legibus, ſi animus jam ita ſit formatus, ut ipſe ſibi lex ſit. Poſſent etiam multa moneri circa doctrinas Platonicas de uſu muſicæ & chorearum, item ludorum & feſtorum religioſorum in Rep. etiam tempore belli, *(dial. 7. & 8.)* de uſu teſtamentorum in Rep. *(dial. 11. p. m. 969.)* ſi pro-

cam doctrinam secuti *p*) libris, dogmata

si propositum id permitteret. Unde potius abrumpo, & ad Plutarchum transeo.

p) Plutarchus historiæ scriptor disertissimus & morum Præceptor insignis, duo egregia ac eruditissima post se reliquit volumina, *Parallela* videlicet, (id est illustrium Græci nominis & Latini virorum vitas ita digestas, ut semper Græco homini Romanus aliquis comparetur,) & quod titulo *Moralium* extat, opus non modo eruditum, sed etiam varium & philologicum. De eo Lipsius *in notis ad Polit. p. 450.* judicat, Plutarchum, si quem alium dignum esse Principe scriptorem, ut qui judicium mirifice formet, & diffusa ac plana quadam scribendi via ad virtutem ubique & prudentiam ducat, sed, ut Lipsius addit, *ad illam magis, & nisi fallor, melior omnino, quam acutior doctor.* Eanapio *in vitis Philosophorum in Proëm.* Plutarchus est totius Philosophiæ Venus & Lyra: Heinsio compendium eruditionis, & prudentiæ thesaurus. Cui Erasmus magnam eruditionis suæ partem debet, ut scribit Focanus *dissert. de studiis.* Vossius *de histor. Græcis lib. 2. c. 10.* vocat

Plutarchi encomia, & judicia de ejus scriptis.

gmata varia huc pertinentia expli- canti-

vocat virum undiquaque doctissimum, item Philologum, Philosophum & historicum summum, cum magnam horum trium scientiam undique ejus scripta spirent. His encomiis addit Quenstedt *de patriis illustrium virorum p. 411.* Plutarchum esse amplissimum historiæ Græcæ & latinæ thesaurum, & ejus vitas esse Bibliothecam omnium veterum historiæ scriptorum, in quibus præstantium gentis Græcæ & Latinæ Virorum circiter 50. res gestas & opera inter se componat. Deprehendi insuper, Michaelem de Montaigne multum debere Plutarcho, quem etiam valde commendat *lib. 2. des Essais cap. 10. p. m. 379. edit. 1616. in octavo.* „Quant a mon „autre leçon, qui mesle un peu plus „de fruict au plaisir, par ou j' aprens „à ranger mes opinions & conditions, „les livres, qui m' y servent, est Plu„tarque, depuis qu' il est Francois, & „Seneque. Ils ont tout deux cette no„table commoditè pour mon humeur, „que la science, que j' y cherche, est „traitée en pieces descousuë, qui ne „demandent pas l' obligation d' un „long travail, de quoy je suis capable.

Ainsi

cantibus, videlicet: Sapientem debere

Ainsi tous les opuscules de Plutarque» & les Epistres de Seneque, qui sont la» plus belle partie de leur ecrits, & la» plus profitable: Il ne faut pas grande» entreprinse, pour m' y mettre, & les» quitte, ou il me plaist. Car elles n'» ont point de suite & dependance des» unes aux autres. Ces auteurs se ren-» contrent en la plus part des opinions» utiles & vrayes: comme aussi leur» fortune les fit naistre environ mesme» siecle; tous deux præcepteurs de» deux Empereurs Romains: tous deux» venus de pays estranger: tous deux» riches & puissans. Leur instruction» est de la cresme de la philosophie, &» præsentée d' une simple façon & perti-» nente. Plutarque est plus uniforme» & constant; Seneque plus ondoyant» & divers. Cestuici se peine, se roidit» & se tend pour armer la vertu contre la» foiblesse, la crainte & les vitieux ap-» petits, l'autre semble n' estimer pas» tant leur effort, & desdaigner d' en» haster son pas, & se mettre sur sa gar-» de. Plutarque à les opinions Plato-» niques, douces, accommodables a la» societè civile &c. Seneque est plein»

bere versari maxime cum principibus

»des pointes & saillies, Plutarque des »choses. &c.» Idem de Montaigne *lib.3.cap.884.* Plutarchum commendat, quod ejus doctrina quis uti possit in quibuscunque eruditionis partibus, & *libro 2.cap.31.p.691.* Plutarchum defendit contra Bodinum, qui Plutarchum in *Methode histor.* ignorantiæ & falsarum narrationum accusaverat. Valde miror, quod alius Gallorum eruditissimorum de la Motte le Vayeur neque *in Volum. III. Opuscul.* ubi de Historicis Græcis & Latinis agit, Plutarchi mentionem faciat, nec in ullo alio loco saltem eum nominet, quod exinde conjicio, cum in indice ad universa opera nihil de Plutarcho deprehendatur. Et valde tamen dubito, quod Vayeurius non legerit opera Plutarchi, & quod non multa ex eo mutuatus fuerit. Scaliger in judicio de Plutarcho valde variat, si *Scaligerianis* fides est adhibenda. Modo enim sub voce *Plutarchus*, eum vocat totius sapientiæ ocellum, modo, sub voce *Cicero* contemtim de eo sentit. *Libros,* inquit, *omnes Philosophicos Ciceronis nihili facio; nihil enim in iis est, quod demonstret, & doceat, ac cogat, nihil Aristotelicum,*

pibus & magnatibus; principem debere

telicum, ut nec apud Plutarchum, qui aulicis tantum scripsit, non doctis. Apertum est, quod Scaliger in hoc ultimo loco contemnat Plutarchum, ideo, quod non observaverit modum docendi Aristotelicum. At hoc a Plutarcho factum est, tam in vitis parallelis, quam in opusculis moralibus, unde sua sponte cadit opinio Dacierii & uxoris ejus, qui *in præfatione versionis Gallicæ vitarum illustrium Plutarchi p. 20.* conciliare voluerunt ista duo judicia Scaligeri opposita, quod in priore respexerit Scaliger ad vitas parallelas, quæ tantum sapientiæ contineant, quantum in nullo alio opere Philosophorum antiquorum, invenire liceat, in posteriore autem loqui voluerit de opusculis moralibus, ubi nihil fere satis profunde propositum & demonstratum fuerit, sed ubi omnes materiæ paucis exceptis nimis superficialiter fuerint exhibitæ. At in vitis parallelis, comparationes seu parallelismos esse omnino admirabiles &c. Quasi vero Scaliger non æque oppositurus sit, etiam in vitis parallelis nihil Aristotelicum occurrere, &, opuscula moralia magis doctis, vitas autem magis

aulicis ſcriptas eſſe. Cæterum, cum ex hactenus dictis jam aliquo modo pateat judicium Dacierii de *P*lutarcho, abſolvamus illud paucis. Addit : Se facile plures ex opuſculis moralibus daturum eſſe pro parallelisſmis ſeu comparationibus perditis , cum ibi *P*lutarchus convenientias & differentias morum in ſingulis hominibus illuſtribus maximo cum judicio ingenio & ſapientia propoſuerit. Interim ipſe Dacierius modum loquendi in *P*lutarcho taxat *p. 10.* quod ſtilus ſit durus & confuſus, impolitus , plus ſoliditatis quam gratiæ habens , & magis naturam ſequens quam artem. Interim ſingula ejus verba facile intelligi & ſenſibiliter percipi, eſſe ſatis gravia & ponderoſa, & correſpondere gravitati & ponderoſitati cogitationum ejus. Invenies etiam in dicta præfatione *p. 16. ſeq.* deſcriptionem vitæ *P*lutarchi, ex qua hic ſaltem noto, erronee haberi a quibusdam *P*lutarchum pro præceptore Trajani, etſi ſub Trajano vixerit; prius Plutarchum ſcripſiſſe quædam opuſcula moralia antequam vitas hominum illuſtrium deſcribere aggrederetur : multa occurrere

in

non debere abstinere a Re publica; aliis-

in operibus Plutarchi, quæ magis sapiant doctrinas hominis Christiani quam Ethnici, unde nonnulli opinati fuerint, ea mutuo accepta esse ex scriptis Christianorum; sed Dacierius putat Plutarchum illas ex Platone hausisse. Denique addit, multos hæsitaturos esse utrum ex scriptis Plutarchi vitas opusculis, an opuscula vitis præferre debeant, se vero sincere asserere, multo plus ingenii, judicii & artis deprehendi in vitis, plus lectionis & memoriæ in opusculis. Me quod attinet, liceat etiam mentem meam paucis adjicere de diversis istis judiciis hactenus recensitis, quæ sæpius magis involvunt, quam ut erudiant. Nam quid vult sibi *Lipsius*, dum dicit Plutarchum *magis ad virtutem quam ad prudentiam ducere?* Quasi virtus imprudens & prudentia vitiosa detur; In eo vero consentio Lipsio, dum Plutarchum vocat *meliorem* quam *acutiorem* doctorem, si hic sit ejus sensus, scripta Plutarchi digna esse ut legantur a Principibus aut Politicis, & quod non sint apti ad gustum Philosophorum, acumina methaphysica, mathematica & similia ut muscas captantium. Hi enim commenda-

aliisque præcepta politica peculiariter tradentibus.

De

mendabunt potius, ut Scaliger etiam fecit, ſuum divum Platonem & ſummum Ariſtotelem. At Politici & hiſtoriæ philoſophicæ ſtudioſi gaudebunt lectione Plutarchi etiam ſeptem vel octo horarum ſpatio continuata; ſed deprecabuntur continuationem lectionis (etiam per ſpatium paucarum horarum) in Ariſtotele & Platone etiam intuitu librorum Politicorum & moralium; cum in Plutarcho inveniant veritates (vel etiam aliquando errores) ſenſibiles, in Ariſtotele & Platone tantum non ubique grillos & muſcas, etſi quandoque larvis vel palliis oblongis, ad decipiendum incautos, indutas. Pergo ad *Eunapium*, quem non intelligo. Video, eum voluiſſe Plutarchum laudare, ſed non intelligo cur eum vocaverit totius Philoſophiæ Venerem & Lyram, & non potius Æolum & tympanum, & ſi pace illuſtrium Criticorum aut Grammaticorum id fieri poſſit, referrem hoc encomium in locis communibus ſub titulum: *Galimatias.* In *Heinſii, Focani, Voſſii* & *Quenſtedtii* judiciis quod deſiderem nihil habeo. Valde etiam mihi placet

De Ariſtotele Platonis diſcipu- *17. (6) Ariſtotelis.*
lo, ſed novæ & totum mundum Chri-

---

placet *Michaelis de Montaigne* commendatio Plutarchi, comparatio cum Seneca, & defenſio contra Bodinum. De *Scaligeri* judiciis duobus diverſis & pene contradicentibus ita ſentio: Quod prius attinet, nollem equidem *P*lutarchum vocare totius ſapientiæ ocellum, interim tamen nollem etiam, quod poſterius concernit, eum ideo taxare, quod nihil Ariſtotelicum (quoad modum docendi & demonſtrandi) in eo reperiatur. Quin potius mihi ſufficit, quod absque ambagibus *P*lutarchus rationes ſuas proponat & quidem plerumque ſatis perſpicue. Neque id mihi diſplicet in *P*lutarcho, (etſi diſplicuerit Scaligero) quod aulicis tantum ſcripſerit, non doctis, id eſt Ariſtotelicis, quia Ariſtotelice doctos non magnifacio, & quia credo, aulicos, ſi modo prudentes ſunt, præferendos eſſe ejusmodi doctis. In *Dacierii* judicio approbo commendationem vitarum parallelarum *P*lutarchi, ſed propterea tamen non probo judicium ejusdem de ſcriptis moralibus, ob defectum probationum profundarum, quia profunditas

ditas ejusmodi sæpe obscuritatem & subtilitatem stultam involvit. In his quæ de stilo *P*lutarchi addit Dacierius, non habeo quod moneam. Item' de ejus Secta. Cæterum, dum in oratione dixi, *P*lutarchum *P*latonicam doctrinam secutum esse, non id volo, quod *P*lutarchus inter sectarios *P*latonis sit referendus, sed quod ex *P*rincipibus *P*hilosophorum Græcorum & Autoribus Sectarum Græcarum præ reliquis magis inclinaverit in doctrinas *P*latonis. *P*rimum quod attinet, quod non fuerit *S*ectarius intuitu *P*latonis, exinde constat, quod non solum integrum librum de Homero scripserit, qui in opusculis moralibus est ultimus *p. m. 705. seq.* ibique eum, contra, ac *P*lato fecerat, valde commendaverit, sed quod in opusculis moralibus plerisque tantum non ubique & ad nauseam usque versus ex Poëtis Græcis probationis loco adduxerit. Posterius quod concernit, cum inter Sectas *P*hilosophorum Græcorum præcipuæ sint *P*latonica, Stoica, Epicurea, Aristotelica, Plutarcho Stoicos minime placere, ostendunt scripta jam supra in ipsa oratione citata, de communibus notionibus, item

Sectæ autore, etiam nonnulla, sed
pauca

item de contradictionibus Stoicorum, & aliud, quod Stoici magis improvisa, quam Poëtæ dicant. Similiter contra Epicurum & Epicureos edidit libellum peculiarem adversus Colotem Epicureum *p. 581. seq.* & aliud scriptum, in quo defendere voluit, ne quidem jucunde vivi posse ex Epicuri sententia *p. 372. seq.* At quod Platonem attinet non solum eum sæpius commendat, ut ex *indice opusc. moral. sub voce Plato*, constat, sed etiam quæstionum Platonicarum peculiarem librum scripsit *p. 593.* & in libris Politicis rarissime a Platone recedit, quorum primus tractare voluit de rebus publicis quæ a singulis & a paucis tenentur, *p. 108.* sed videtur saltem esse fragmentum opusculi vel non absoluti, vel perditi. Sequitur *p. 109. seq.* opusculum: An seni sit tractanda Respublica, quam quæstionem respondendo non determinat, sed rationes pro utraque parte more Academico seu Platonico recenset. Tertium docet, *p. 118. seqq.* cum Principibus maxime debere Philosophum sermocinari, ubi inter alia *p. 120.* dicit: *Philosophus, qui remotus est a negotiis, non abhorrebit ab iis,* (Principibus) *Politicus*

vero

vero eos etiam sectabitur. Ubi videtur per Philoſophum intelligere Philoſophum theoreticum, per Politicum autem, Philoſophum practicum. Quartum rubricam habet, ad Principem indoctum *p. 121.* Quintum autem præcepta Politica tradit, *p. 123. ſeq.* Poſſes etiam huc referre opuſculum *p. 257. ſeq.* contra dictum (Pythagoreorum) Ita vive, ut nemo te ſentiat vixiſſe, de quo vide ſupra *notam c.* Ariſtotelem ſæpius quidem citat, aut potius ejus ſententias recenſet, ſed non legi, quod Ariſtotelem valde commendet, aut eum Platoni præferat. Vide *indic. opuſc. moral. ſub voce Ariſtoteles.* Unde miror, qui factum fuerit, ut Georgius Hornius *lib. 4. Hiſt. Philoſ. cap. 6. p. 259.* Plutarchum vocaverit Philoſophiæ Peripateticæ amatorem. Etſi itaque Plutarchus ob hactenus dicta non poſſit claſſi Philoſophorum Eclecticorum accenſeri, interim tamen nullum eſt dubium, quod ejus libri quinque de placitis Philoſophorum *p. 329. ſeq.* referant ſententias varias omnium pene Philoſophorum Græcorum circa omnes fere controverſias Phyſicas. Utinam etiam in reliquis Philoſophiæ partibus ſimili modo placita Philoſophorum Græcorum expoſuiſſet, haberemus profecto theſaurum

incom-

pauca differenda forent. *q*) Etsi enim

incomparabilem historiæ Philosophicæ. Id unicum addo, quod in opusculo contra *S*toicos, cujus titulus est, de Stoicorum communibus notionibus *p.420. seq.* inveniatur disputatio Plutarchi contra infinitum Stoicorum satis ampla *p.433.ad p.436.* quæ, etsi præcipue loquatur de infinito Physico, deprehendes tamen ibidem non paucas rationes, quibus uti etiam possis adversus infinitum Mathematicorum.

q) De Aristotele & ejus Philosophia non adeo prolixe agit Laërtius *lib.5. sectionibus prioribus 34. a p. 268. ad p. 288.* Diffusior & prolixior est Stanleius *Part. 5. a p.410. ad p. 491.* Circumstantias vitæ Aristotelis in summam contractas recensui in **Monathl. Gedancken** *1688. mens. Aprili p.459. seq.* Cavendum ingenuo Philosopho est, ne Aristotelem nimis contemnat, multo magis ne calumnietur. De calumniatoribus Aristotelis vide Is. Casaub. *in notis ad Laërt. lib. 5. sect.3.* de ejus Apologia Laërtium *ibid. sect. 9.* & ibi Aldobrand. & Menag. *in notis.* Hodie vero multo magis cavendum, ne quis nimis exosculetur Scripta Aristotelis & ejus sputa lingat. Cum vero

Judicium de Aristotele quomodo temperandum.

enim pro more, etiam in doctrina

---

ii, qui hactenus Aristotelicas doctrinas ut oracula, more pene idololatrico venerati sunt, & adhuc venerantur, si modo in viribus eorum situm sit, ingenuos Philosophos, insufficientiam doctrinarum Aristotelicarum & inutilitatem & noxiam Doctorum Scholasticorum, qui se Aristotelicos esse ubique clamant, ostendentes, vi & fraude, ut homines maxime improbos, persequi eosque apud potentes audacter calumniari soleant, non equidem vitio his vertendum, si quandoque etiam fabulis Satyricis depingant stultitias hominum, etiam orthodoxorum, ex Aristotele Idolum facientium. Etsi enim ipsi Sectarii per Satyras ejusmodi magis pertinaciores reddantur in stultitia sua, tamen & sensus communis & experientia testatur, viros prudentes impartiales, inprimis eos, qui nondum præjudicio illo noxio autoritatis fuerant infatuati, citius & cum majori efficacia ejusmodi scriptis Satyricis, quam disputationibus maxime seriis solere disponi ad cavendos pedantas. Unde & ego olim in casu simili tentavi primas quasdam lineas dare ejusmodi

na politica præceptorem suum refutet, in eo tamen haud dubie cum ipso sensit, quod Sapiens Magistratum gerere debeat, cum honorem pariter ac divitias inter bona a Sapiente

di Satyræ adversus Philosophiam Aristotelicam in modo citato *mense Aprili* **der Monathlichen Gedancken** *potissimum p. 499. seq.* quam etiam deprehendi effectu modo memorato non fuisse destitutam, sed multis Politicis oculos aperuisse, quare etiam eandem adhuc auditoribus & lectoribus meis, qui usum rectæ rationis magnifaciunt & impudentiam pariter & hypocrisin detestantur, commendo. Ut vero eo melius appareat, quid in illa fabula de vita Aristotelis fictum sit, quid verum aut verosimile, diffiteri nolo, me cum ista scriberem, maxime usum fuisse tractatu Gallico Rapini Jesuitæ, cui titulus: *les comparayons des grands Hommes de l' Antiquitè ejusque tomo 4. & partibus tribus prioribus*, in quibus Platonis & Aristotelis vitas earumque circumstantiat, diversam docendi methodum, & scripta Logica, Moralia, Physica & Metaphysica inter se comparat.

piente etiam maximopere appetenda collocaverit. *r*) Ac etsi porro ex

Cur Jesuita Rapinus Politicam Platonis & Aristotelis omiserit.

r) Facile prævideo, Lectores non paucos vel taxaturos esse in Rapino, quod comparationem inter Platonem & Aristotelem intuitu doctrinæ Politicæ omiserit, vel admiraturos, qua ratione id fieri potuerit, cum tamen omnia opuscula Rapini testentur eum fuisse virum multæ lectionis, & haud dubie etiam legisse opera Politica Platonis & Aristotelis. Proponam varias responsiones ex quibus lector pro lubitu eligere poterit, eam, quæ ipsi videbitur optima. 1. Dici poterit, quod Rapinus hic termino Philosophiæ moralis usus fuerit in latiore significatu ut Politicam sub se comprehendat, unde & in comparatione Philosophiæ Moralis Platonicæ & Aristotelicæ librorum politicorum Platonis & Aristotelis mentionem facit, adeoque Politicam tanquam appendicem Ethices considerat. Hic vero lector forte desideraturus esset, quod, etiam hoc concesso, tamen Rapinus omiserit distinctiorem comparationem Politicæ Platonicæ & Aristotelicæ quatenus in specie quoad leges rite formandas & Rempublicam constituendam

ex ejus libris politicis plurimi intercciderint, ex istis tamen, quorum fragmen-

---

dam conveniunt aut differunt. 2. Quod reverendi Domini Jesuitæ saltem de moralibus sint solliciti & Politica Politicis id est Laicis solis relinquant, & intuitu rerum politicarum se habeant mere passive, unde & solent Politicos plerumque pro impiis habere. Sed uti hæc responsio refutatur per experientiam, cum habeamus etiam opera Politica Jesuitarum, v. g. Adami Conzenii, ita metuo, ne multi habituri sint hanc rationem pro ironica. 3. Quod studio id factum fuerit, cum Politica Patrum venerandorum sit arcana, adeoque non proponenda Laicis, ne arcana eorum ad notitiam Politicorum Laicorum perveniant. Sed & huic responsioni obstant scripta Politica Jesuitarum, & quod hanc arcanorum politicorum revelationem non magis timeant, quam revelationem arcanorum moralium v. g. reservationum mentalium & similium, de quibus videri poterunt scripta varia, pro cæteris vero Ludovici Montaltii *literæ provinciales de Jesuitarum morali & Politica disciplina.* 4. Quod eorum *Politica* neque sit pure Platonica neque

fragmenta restant, haud magna, certe non tanta, quam vulgo prædicare solent Aristotelicæ philosophiæ

pure Aristotelica, sed Eclectica. Sed & adversus hanc responsionem regeri poterit, quod hæc ratio tamen non moverit Rapinum, ut comparationem Philosophiæ Moralis Platonicæ & Aristotelicæ omiserit; cum & Philosophia moralis Jesuitarum neque sit pure Platonica neque pure Aristotelica. Sed hæc transeant. Pergo potius ad ea, quæ hic in textu paucis a me notata sunt. Quod primo attinet dissensum Aristotelis in Politica a Platone de eo legi poterit ipse Aristoteles *Polit. lib.* 2. *cap.* 1. 2. 3. 4. *juncta periphrasi* Danielis Heinsii. Quod convenientiam Platonis & Aristotelis in textu adductam attinet, notum est, Stoicos docuisse, sola bona animi esse appetenda, bona vero corporis & fortunæ esse non quidem appetenda sed sumenda; Aristoteles vero etiam bona corporis & fortunæ esse appetenda discipulis suis inculcavit, cum virtus his, maxime autem bonis fortunæ, divitiis & honoribus, sæpe opus habeat, vid. Laërt. *lib.* 5. *sect.* 30. & *ibi* Aldobrand. *in notis.*

Dissensus & consensus Platonis & Aristotelis in doctrina Politica.

phiæ amasii, prudentiæ politicæ rempublicam gubernandi indicia comparent, quamvis Conringius *s*) pro-

s) Edidit jam anno 1656. Helmestadii Hermannus Conringius libros superstites *P*oliticorum Aristotelis, non solum emendatos, sed & notatis passim lacunis horum librorum & ubi quædam deficere videntur. Addidit etiam Introductionem in opera *P*olitica Aristotelis, in cujus novem capitibus multa erudite annotavit. Ostendit enim certis, ut loquitur, argumentis, illa *P*olitica esse Aristotelis; simulque disseruit de omnibus aliis politici argumenti Aristotelicis libris dudum perditis. *P*orro probare voluit, (*c.3.p.579.seq.*) *P*oliticos libros, qui extant, esse opus acroamaticum, non exotericum, simulque indicavit, quis demum solido cum fructu uti illorum lectione possit. Tum exhibuit priorum trium librorum argumenta, & docuit, post tertium librum prolixe ab Aristotele actum esse de optimæ reipublicæ constitutione, cujus doctrinæ pars hodieque supersit in libro septimo & octavo, qui adeo tertio libro statim sint subjungendi; unde & seriem & argumenta illorum duo-

Conringii merita in doctrinam Politicam Aristotelis commendanda & emendanda.

probaverit, libros istos Politicorum Ari-

rum librorum adjecit, & monuit, verosimile esse, quod ulterius quatuor libris, qui tamen perierint, de optima Republica actum fuerit, ac tandem argumenta librorum, quarti quinti & sexti subjecit. His vero præmissis totius operis *Politici* ordinem justum & argumentum in unum conspectum produxit. Denique in *cap. ult. p. 640. seq.* disseruit: quænam hodieque sit operis *Politici* conditio, quæ in posterum speranda, & quid hactenus circa illud fuerit præstitum, ubi simul de fatis hujus operis Politici a Seculo decimo tertio ad sua tempora multa haud vulgaria annotavit. Sed tamen in solo Aristotele non substitit, quoad doctrinam de prudentia politica seu civili Conringius, sed & ipse tentavit ea quæ forte in Aristotelica doctrina hic desiderari possunt, aut supplementa desiderant, emendare, etsi pro more temporum, quibus scribebat Conringius, ubique commendaverit *Politica* Aristotelis, ac ea plus, quam mererentut magnifecerit. Quod ut eo distinctius percipiatur, notandum, olim in Academiis *Pontificiis* receptum fuisse, ut Magistri *Philosophiæ*,

ante-

Aristotelicorum acroamaticis, non vul-

antequam renunciarentur, in scriptis solenniter promitterent, quod Aristotelis sputa lingere, & omnes ab Aristotele dissentientes refutare, & pro virili illis resistere vellent. Duravit hic mos etiam in Academiis Protestantium diu post reformationem. Unde formulam ejusmodi promissionis adhuc in Academia Lipsiensi anno 1590. usitatam, quam in MSC. beati *Patris* nactus eram, inserui *mensi Majo 1688.* der Monathlichen Gedancken *p. 599.* Etsi vero pedetentim hic mos successu temporis paulatim desierit in usu esse in Academiis Lutheranorum, memini tamen, mihi relatum esse, cum adhuc juvenis essem, illo tempore in Academia Helmstadiensi ejusmodi promissiones sive literales sive verbales adhuc in usu fuisse. Hoc intuitu Conringius erit excusandus, quod in illis tenebris non potuerit præjudicium illud authoritatis Aristotelicæ in totum abjicere, quin potius mirandum, qui factum fuerit, ut ipse de emendatione prudentiæ *Politicæ* saltem cogitare potuerit. Interim ejus eruditus tractatus *de civili prudentia* anno 1662. & sequenti anno 1663. ejusdem

vulgaribus & exotericis doctrinis esse accensendos.

Cum

Propolitica sive brevis introductio in civilem Philosophiam Helmestadii edita docent, quam sollicitus fuerit, neglectum communem genuinæ Politicæ emendare. Sed de his duobus scriptis id observandum, utriusque idem esse argumentum, & eandem utrobique disserendi methodum esse observatam: nisi quod ex præfatione Propoliticis præmissa pateat, propolitica hæc esse saltem rudimenta prima tractatus de civili prudentia, & hujus compendium, & illa fuisse jam ante librum de civili Prudentia in gratiam selectorum aliquot juvenum anno 1649. confecta, unde de hoc non erit opus ut plura memorem, nisi, quod hic non sit ægre ferendum, quod Conringius *in cap. 15. p. 103. de Politicæ scientiæ optimis per omnem ætatem scriptoribus* defectus quidem librorum Platonis de Republica & Legibus *p. 105.* paucis notaverit, sed quod Aristotelis libros Politicos concernit, de iis sic judicet *p. 106.* quod & in his *Aristoteles omnes omnium temporum conatus hactenus quidem longo intervallo superaverit.* Porro fata libri de prudentia civili, & quomodo ejus plena

Cum autem Philosopho ac Jure-Consulto Christiano conveniat, non solum circa sententias & doctrinas Ethnicorum Philosophorum esse occupatum, sed vel omnium maxime Christianæ Philosophiæ, aut (si forte philosophia non bene in Ethni- *18. (II) Ex principiis doctrinæ Christianæ & Philosophorum, qui Christiani vocantur.*

na elaboratio multis annis impedita fuerit, legi possunt in Præfatione. Intentio Conringii fuit, docendi, politicam non esse peritiam civilitatis morum, aut facultatem blandiendi: Per injuriam *P*oliticos a multis fucatæ pietatis hominibus infamari, ac si numinis & honesti omnes contemtores essent: inter Jurisprudentiam & Politicam esse insignem differentiam, adeoque perperam JCtos credi *P*oliticos; porro nec Rhetoricam, nec singularis alicujus Reip. notitiam, nec prudentiam in genere cum *P*olitica esse confundendas: *P*oliticam proprie ita dictam versari circa omnes respublicas & quæ ad easdem primo ac per se pertinent; adeoque non quamvis prudentiam & in specie, non militarem, nec ditescentem, nec Ethicam esse partes *P*oliticæ: neque tamen *P*oliticam consistere in sola peritia aut experientia rerum civilium: civi-

civilium rerum dari demonſtrationes, ſed ſecundi ordinis, adeoque cognitionem rerum civilium mereri nomen & Scientiæ & Prudentiæ civilis: quemadmodum prævia experientia & collatione rerum inde perceptarum & accedente demonſtratione prudentia Politica poſſit acquiri, & quo ordine & modo id fieri debeat. His ſubjungit monita de prudentia ſingularum rerum civilium & ſeorſim omnium & integræ civitatis: item de iis quæ in Politico, cum Philoſopho, tum verſaturo in actu rerum requirantur, deque recta utriusque inſtitutione, denique, quæ ſcripta edita ad parandam prudentiam civilem univerſalem maxime ſint idonea. In hoc capite ultimo *p.302.* Ariſtotelem tanquam virum ſummi judicii laudat, quod ipſe aliarum hiſtoriarum nulla facta mentione in methodo tractandæ *Politicæ* ſaltem illas hiſtorias elegerit, quæ doceant, quid civitatibus proſit, & quid ſit noxium: *P.315.ſeq.* refellit JCtos vulgares qui Juſtinianearum Legum infinitum pretium & commodum in ſtudio *Politico* commendare ſolent: *P.324.* *Lipſii* monita & exempla *Politica* dicit eſſe longe infra ſuam expectationem; de *Georgii Richteri* autem & *Johannis a Chokier* Aphoriſmis *Politicis* judicat, quod

Conringii judicia de novioribus ſcriptis Politicis.

quod congeries historica a Richtero aphorismis addita sit parum utilis & exigui judicii Richteriani indicium; & quod Chokier, etsi majorem multo vim & ingenii & doctrinæ attulerit ad suos aphorismos, perpauca tamen & ipse vere Politica attigerit: *P.342.* laudat præ aliis *Lamberti Danæi* aphorismos politicos, quibus tamen *Alii* recentibus adjectis exemplis pro luce tenebras fœnerati fuerint: *P. 350.* laudat quidem opus Politicum Aristotelis, sed non cum tanto encomio, uti in *propoliticis p. 106.* fecerat: *P.* 359. libros *Petri Gregorii Tholosani* & *Joannis Bodini* de Republica inter se comparat, *Illum* ait potissimum, occupatum esse in doctrina de legibus ferendis, non tamen intuitu omnium rerum publicarum, sed saltem vel optimæ vel regiæ, reliqua vix leviter attingere etsi sint maximi momenti: Sæpius etiam magis autoritate legum Romanarum & nostri ævi Juris doctorum, quam solidis Politicæ principiis suffultum esse, cum tamen illa autoritas non demonstrationem Politicam, sed saltem dialecticam verisimilitudinem suppeditare possit. Nihilominus Tholosanum intuitu prudentiæ legislatoriæ in majori pretio habendum, quo pauciores Politici nostri ævi in hac parte prudenden-

dentiæ civilis quicquam operæ colloca-verint. *Bodinum* se magis per alia dif-fudisse, nec tamen, quæ leges attinet, plane neglexisse, in utrroque tanto fe-licius Tholosano, quanto major fuerit ingenii capacitate, & historiarum omnis generis inusitata peritia, tanquam qui rarissimo post Aristotelem exemplo o-mnium pene rerumpublicarum cogni-tionem ad culturam *P*oliticæ attulerit. In eo tamen taxandum Bodinum, quod istas historias non seorsim tradiderit, sed nimia prolixitate doctrinæ *P*oliticæ commiscuerit, cum illæ frequentissimæ digressiones historicæ sæpe ad rem pa-rum aut nihil facientes, turbent ut plu-rimum lectores. Solere etiam Bodinum multa alia plane aliena omni doctrinæ suæ miscere: immo nec universum argumentum *P*oliticum a Bodino vel levi brachio esse attactum, nec quic-quam pene justo ordine aut ex solidis principiis esse traditum; sæpe etiam vapulare Bodinum ob studium novita-tis. Etsi itaque forte Naudæo conce-deretur, cæteros recentiores ab illo memoratos Bodino cedere, haud qua-quam tamen Naudæo concedendum esse, omnes, qui usquam de Rep. libros edidere, atque adeo & ipsum Aristote-lem, a Bodino victos esse, & opus Bo-

dini

dini sic esse omnibus numeris absolutum, ut, qui ab ipso discesserit, haud dissimilis sit antiquioribus nautis, ob ignorantiam cynosuræ navigationis suæ cursum ad avicularum quarundam placitum dirigentibus: Interim Conringium habere Bodinum pro magno Politico, nec probare anagramma Cujacii quod fuerit, *Andius sine bono* &c. Tum *p. 361.* pergit ad *Arnisæum* & ejus relectiones Politicas, quem ob ingenium capacissimum, industriam sine exemplo, & judicium omni genere Philosophiæ Aristotelicæ subactum laudat, sed dolet simul, quod maximi operis non nisi primam partem dederit, & a vitio Bodini sibi non caverit, intempestivarum videlicet ad aliena digressionum tam historicarum, quam aliarum nihil ad rem Politicam facientium. Reliqua Arnisæi scripta de jure connubiorum, de jure majestatico, de subjectione Clericorum, de autoritate Principum, esse Autori digna, sed ad methodum universalis Politicæ non facientia, & magis ad normam legum receptarum, quam principiorum Philosophiæ adaptata. Iisdem morbis laborare *Althusii* & *Hœnonii* scripta Politica, & ne quidem apparere in iis Arnisæanas virtutes ad ista vitia tegenda: accedere in utroque

illo

illo autore errorem pestilentem & fundamentalem, quod summa Potestas Reip. cujusvis sit penes solum populum. *Clapmarii* librum de arcanis rerumpublicarum esse elegans & bonæ frugis ad omnes Reip. species pertinentes plenissimum opusculum, sed ei non fuisse propositum tradere integram *Politicam*: *Boxhornii* institutiones & *Cellarii* compendium in ipso statim titulo significare, quid polliceantur, neque tamen fallere expectationem: ex adverso, *Adami Contzenii* opus mole satis magnum & titulo dives fere deludere lectorem, &c. Judicia hæc Conringii de scriptoribus hodiernis *Politicis* hactenus recensita approbo omnia, approbo etiam ejusdem refutationem doctrinæ Aristotelicæ crude expositæ, quod homo sit natura animal civile, quod thema tractat in *cap. 7. p. 81. seq.* Ego quanti faciam Conringium, quod etsi Medicus fuerit, fere tamen primus JCtorum, etiam protestantium, stultitias detexerit, controversias juris publici ex legibus Justinianeis definire intendentium, satis declaravi partim in *dedicatione notarum auctarum & correctarum in Monzambanum* anno 1714. publicatarum, partim in *Historia juris naturalis, append. 2. p. 198. seq.* (Conf. *Prudent. consult. c. 3. §. 24.*) Priori loco

Meum de Conringio judicium.

loco ostendi præcipue, valde errare eos, qui Theologos & Medicos paulo impudentius ad studia JCtis etiam valde utilia, v.g. historica & inde dependentem doctrinam Juris publici, asserunt esse ineptos, in odium videlicet Speneri & Conringii, quos etiam propterea non immerito notavit honoratiss. Collega Gundlingius in der Erläuterung des Historischen Berichts von *Neufchatel p. 27.* In altero loco defendi Conringium contra Taborem & Henricum Petr. Haberkornium, simulque historiam controversiæ inter Conringium & Taborem ejusque eventum recensui. Interim cum in doctrina de prudentia Politica saltem glaciem fregerit Conringius, nonnulla quæ in ejus doctrina mihi hic displiceant, potissimum vero, quod (occasione justæ iræ in adversarios,) JCtos in genere incapaces esse docuerit ad doctrinam Politicam emendandam, annotavi, & JCtis simul vindicavi jus præcipuum hujus emendationis in *Prudent. consult. d. c. 3. §. 27. seq. ad finem capitis.* Conf. etiam *Hist. Jur. natur. append. 2. p. 193. seq.* Antequam ab Aristotelis Politica abeam, hoc unum addo, si quis paulo attentius Conringii introductionem ad Politicam Aristotelicam attendat, deprehendet, quantamcunque

Item de Politica Aristotelis.

Ff etiam

etiam induſtriam adhibuerit ad commendanda opera hæc Politica, omnem tamen laborem in eo deſinere, ut tandem confiteri fateatur, opus eſſe imperfectum. Conf. potiſſimum *cap. 8. introd.* Utrum vero hæc imperfectio primario, ut videtur voluiſſe Conringius, adſcribenda ſit, quod interierint potiſſima Ariſtotelis tradita de optima Republica, utrum aliæ ſint imperfectionis hujus cauſæ, non equidem locus hic eſt, ut prolixe inquiratur. Interim, etiamſi Ariſtotelis libri omnes de optima Republica extarent, etiamſi Ariſtoteles in hac doctrina non tam diffuſe ſe detinuiſſet in refutandis aliorum ſententiis, & conſiderationibus inutilibus ac comparationibus quarundam Rerumpublicarum Græcarum, ſed potius mentem ſuam de optima Republica paucis & perſpicuis principiis incluſiſſet, vereor tamen, ut hæc doctrina ſatisfactura fuiſſet ingenuo Politicæ diſcipulo, ſaltem aliquo mediocri judicio prædito. Habemus Platonis meditationes de optima Republica, non mutilas, & tamen hoc non obſtante reſpublica hæc optima habetur phantaſtica. Firmiter perſuaſus ſum, eadem fata expectaſſe optimam Ariſtotelis Rempublicam, ſi plene fuiſſet delineata, ut & ipſa inter chimæras fue-

fuerit relata, aut jure ſuo referenda. Verus Politicus, meo judicio, vero & prudenti Medico in hoc ſimilis eſt, ut, quemadmodum hic tempus non perdit in formanda idea exacta ſanitatis optimæ & perfectisſimæ, ſed contentus eſt conceptu ſanitatis medii generis pene in ſenſus omnium incurrentis, & magis ſollicitus eſt de conſiliis & regulis vel evitandorum morborum, vel recuperandæ ſanitatis, experientia magis & rationibus veroſimilibus ſubnixis, quam ex abſtractionibus metaphyſicis aut mathematicis demonſtratis; ita & genuinus Politicus idem obſervet in formando conceptu Reipubl. perfectæ, & magis ſollicitus ſit de conſiliis & legibus ad evitandam aut emendandam corruptionem Reipublicæ neceſſariis. Sed in his ſuppeditandis deficit Politica Ariſtotelica. Vide B. Patris *Philoſ. Pract. Tab. ult. & ibi in obſervationibus.* Ut taceam doctrinam Ariſtotelicam de Republica recta & corrupta eſſe mere idealem & phantaſticam, cum non habeat criteria perſpicua ſeparandi tyrannidem a regno, oligarchiam ab ariſtocratia, & ochlocratiam a democratia. Cæterum operam dedit Stanlejus, ut Ariſtotelis dogmata dialectica, Phyſica, Ethica, Oeconomica, Politica & Metaphyſica

Ethnicam & Chriſtianam *t*) dividatur)

Parte V. a p. 443 ad p. 491. in ſumma proponeret, ubi deprehendes præcepta Politica (ut & Oeconomica) non ſolum eſſe pleraque inania, quod cum reliquarum claſſium doctrinis fere commune habent, ſed etiam intuitu Dialecticorum, Phyſicorum & Methaphyſicorum pauciſſima, cum *p. 485.* unam ſaltem unius folii columnam impleant.

Philoſophia Chriſtiana quatenus laudari, quatenus ut erronea notari mereatur.

t) Anno 1686. Valentinus Alberti Lipſiæ in diſputatione publica exponere voluerat *Philoſophiæ Chriſtianæ exiſtentiam & eſſentiam in genere*, eamque illuſtrare §. *23. ſeq.* exemplis ex Metaphyſica, Logica, Phyſica & Ethica Chriſtiana deſumtis. Hujus inventi falſitatem oſtendere & id refutare tentavi, etſi non nominato ibi Autore, *in Introd. ad Phil. Aulic. cap. 2. a* §. *26. ad* §. *34.* Primaria occaſio, quæ Albertum ad illum errorem ſeduxerat, erat ſtudium contradicendi Grotio, Pufendorffio, & aliis Jurisprudentiæ naturalis Doctoribus, & ſtudium inclareſcendi per novum principium juris naturæ, hactenus inauditum, & quod ob nimiam abſurditatem non poterat aſſenſum & applauſum aliorum acquirere, convenientiam videlicet & diſcon-

datur) Christianorum Philosopho-
rum

disconvenientiam cum statu integritatis. (vid. *Histor. jur. nat. cap. 6. §. 23. 31. seq.*) Nam cum statum integritatis ignorarent Gentiles, (vid. in *dict. Hist. §. 32.*) compellebatur Alberti, ut assereret, Jus suum naturale pertinere ad *P*hilosophiam Christianam, & hoc etiam intuitu Philosophiam Christianam esse nobiliorem Ethnica. Quare & jam anno 1684. evidentes obiectiones hypothesi illi obstantes removere intendebat inventa nova & æque inepta distinctione inter præcepta juris naturæ ex statu integritatis vel normaliter vel formaliter deducta, in *disput. publ. de primaria axiomat. Jur. Nat. divis. in philos. Christiana.* Sed ad hæc ejus inventa respondi pluribus *in lib. 1. instit. Jurispr. div.* ut passim ex notis ad *dict. lib. 1. potissimum ad cap. 4.* & ex programmate Germanico *instit. Jur. div.* præmisso apparet. Conf. etiam *præfat. ad introd. ad Philos. aul. in medio.* Ex JCtis nostrorum temporum neminem novi, qui, ut ita loquar, Albertizaverit, quam Joh. Ludovicum *P*raschium tribus opusculis anno 1688. editis, uno *de lege charitatis*, altero *de designatione juris naturalis ex disciplina Christianorum*, ter-

rum sententias de Concordia Sapientiæ

tio, *de vero Jure Gentium, maxime Christianarum*, quæ recensui cum addito judicio meo & ejus vindiciis in denen Monatl. Gedancken *Anni 1689. Mens. Febr. p. 79. seq. Mart. p. 206. seq. & Aprili p. 295. seq.* Ut tamen paulo distinctius appareat quo sensu distinctio illa Philosophiæ tolerari possit, aut ut erronea vitanda sit, res sic se habet. 1. Omnis Philosophia vera, quatenus Theologiæ opponitur, rationalis est. Recta autem ratio est communis & Gentilibus & Christianis, adeoque hoc intuitu male dividitur in Christianam & Ethnicam. 2. Absurdius est fundamentum divisionis illius desumtum ab exemplis, quatenus ea solum ex sacris litteris, aut ex scriptis *P*aganorum desumuntur. Philosophia enim ex principiorum veritate est dijudicanda. Exempla non sunt principia, & notum, vulgare quidem, sed verum axioma, quod exempla non probent sed illustrent. Ita ridiculum esset, si quis illam Arithmeticam velit appellare Christianam, cujus exempla sint solum ex SS. literis petita, v. g. de sex hydriis in Cana Galileæ &c. 3. Philosophia falsa & sectaria respectu sectatorum pot-

pientiæ & regiminis politici probe
excu-

est quidem dividi in philosophiam Ethnicorum & Christianorum, quatenus horum utraque Classis falsa supposuit, etiam ex recta ratione omnibus hominibus communi refutanda, quæ perspicue indicavi *in cautel. circ. præcogn. Jurispr. cap. 6.* §. *25.* Sed hæc distinctio non est divisio Philosophiæ, sed Philosophorum, aut certe non est synonymum divisionis Philosophiæ in veram & falsam, sed potius subdivisio solius Philosophiæ falsæ. 4. Quodsi tamen supponas, Philosophos Gentiles omnes in ista doctrina primorum principiorum aberrasse, etiamsi veritas principiorum oppositorum (*ibid.* §. *29.* recensitorum) possit etiam ex recta ratione sibi relicta demonstrari, tolerari posset distinctio Philosophiæ in Ethnicam seu falsam, quatenus ut dictum Ethnici omnes in fundamentis illis primis a vero aberrarunt, & Christianam seu veram, quatenus illa principia vera falsis opposita, illustrari possunt non ex libris Philosophorum Christianorum aut Patrum Ecclesiæ aut ex horum testimoniis, sed ex solis libris scripturæ sacræ utriusque fœderis.

excutere & meditari eum deceat, nova meditationum & dicendi copia & longe major quam de Ethnicorum sectis hactenus per indicem recensuimus, hic se offeret palulum profundius cogitanti.

19. (t) de sensu doctrinæ Christi: Reges Gentium regnant: Vos autem non sic.

Videlicet de sensu doctrinæ Christi: REGES GENTIUM REGNANT, VOS AUTEM NON SIC. An præceptum hoc ad omnes Christianos, an saltem ad omnes Doctores, & sic etiam ad professores Academicos, an solum ad Doctores Sacrarum literarum, an saltem ad Apostolos pertineat? *u*) An

Genuinus sensus dicti.

u) Confitentur Augustinianæ Confessioni addicti *artic. 16.* contra Anabaptistas, Magistratum Politicum ejusque potestatem a DEO institutum nec a Christo aut Apostolis sublatum esse. Quam assertionem, cum etiam in responsi. sua *ad d. art. 16.* approbaverint Catholici, mirandum, quod in Apologia hic non acquieverint ejus autores, sed potius hac occasione invecti fuerint in monachos, ex ratione, ut videtur, a *d. art. 16.* plane aliena. Hoc vero præsuppo-

An sensus hujus doctrinæ, si etiam ad Doctores Academicos sive omnes

suppofito, & cum præterea tam a Catholicis, quam a Protestantibus fundamenti loco hic soleat adduci doctrina Pauli *Rom. XIII. v. 1. seq.* facile patet quid ex hac hypothesi communi respondendum sit ad quæstiones hic in textu propositas, nimirum de interpretatione dicti Christi: *Reges Gentium dominantur &c. Vos autem non sic*, quod tres Evangelistæ referunt, Matthæus, *cap. 20. v. 25.* Marc. *cap. 10. v. 42.* & Lucas *cap. 22. v. 25.* Nimirum, cum & Matthæus & Marcus referant Christum hoc dictum protulisse ea occasione, cum mater filiorum Zebedæi, Jacobi & Johannis, una cum filiis petiissent, ut in regno Christi proximi ab eo forent, idque reliqui ejus discipuli ægre tulissent, ac forte similis postea ambitio quorundam, ut Lucas docet, (conf. Hammondum *in periphrasi illorum trium locorum*) Christo occasionem dedisset hoc monitum & præceptum repetendi, facile patet per VOS hic nequaquam intelligi omnes Christianos, sed præcipue ac primario Christi discipulos & Apostolos ad quos loquebatur. Adde quod in verbis antecedentibus sub voce *Gen-*

omnes sive Sacrarum saltem litera-
rum spectet, intendat interdicere
ge-

tium non excludantur *Christiani* sed comprehendantur, neque opponantur ibi Ethnicis & *Paganis*. Unde miror, qui factum fuerit, ut Hammondus in sua Periphrasi latina non dixerit: Reges *Gentium* sed utrobique & apud Matthæum & Marcum: Reges *Ethnicorum*. Neque enim credo, Hammondum voluisse hic opponere Ethnicos Christianis. Neque etiam adeo verosimile est, Hammondum id voluisse; Reges *Ethnicorum* dominari, etiam Sacerdotibus, at reges *Christianornm* non dominari Clero, aut saltem non Episcopis, cum & hic lateret tortura crassa doctrinæ Christi. Etsi autem primario intelligantur discipuli & Apostoli Christi quod non debeant imperium & magistratum gerere; etsi nullum restet dubium, non omnes Christianos a regimine Politico hic excludi; id tamen non est ita perspicuum, annon forte ob paritatem rationis monitum Christi de non imperando pertineat etiam ad Clerum Christianum, ita ut imperium Politicum saltem relinquendum sit Laicis? Sane cum Clerus alias apud *Pontificios* omnia quæ alias in

gestionem magistratus?an saltem id, quod alias Stoici docent, bona fortu-
næ

in sacra scriptura de jure & obligatione discipulorum & Apostolorum docentur, ad se applicare soleant, cum Christus Apostolos & sapientes eminenter tales hic aperte nolit esse magistratus, & Clerus si non omnem, saltem eminentem sapientiam sibi tribuat, quis dubitaret? *Vos non sic* etiam ad Clerum in Christianismo seculis subsequentibus ortum pertinere, eumque omnem ac totum, quatenus Laicis opponitur, quia Clerus omnis ex principiis Juris Canonici sibi soli sapientiam & quidem spiritualem tribuit, regere autem subditos & magistratum gerere Politicum, ad carnalia, aut temporalia refert. *vid. can. duo sunt genera C. 12. qu. 1.* Confer *notas ad Lancel. lib. 1. tit. 4. not. 41. sect. 2. p. 25. seq.* Porro, cum & Doctores omnium facultatum in Academiis a Papa primum introductis primitus sub Cleri nomine, fuerint comprehensi, & Laicorum imperio exemti, videbatur etiam prima fronte dicendum, dictum Christi etiam ad JCtos, Medicos & Philosophos pertinere. Sed si accuratius rem considerares, patebit, saltem hactenus dicta pri-
mario

næ non esse appetenda, sed sumenda? an, quod Epicurum voluisse diximus, non gerendum esse viro Sapienti magistratum, nisi res publica eo opus habeat? an forte, quod Aristotelici hodienum in Academiis Evangelicis docent, magistratum a sapiente etiam esse appetendum? Quo modo, si hic forte sensus doctrinæ Christi foret, aut quibus distinctionibus subtiliter excogitatis uti liceret, ut verba Christi, alias primo intuitu vix ac ne vix quidem eam interpretationem suadentia in hunc tamen sensum inclinari, aut etiam, si opus, pie torqueri possent?

---

mario pertinere ad Professores Theologiæ, ob prætensam Sapientiam spiritualem; reliquas autem tres facultates hoc intuitu Cleri nomine non amplius venire, ne quidem apud Catholicos, in specie autem JCtos in omnibus tribus religionibus haberi pro Laicis, imo propterea etiam apud Catholicos sæpius Politicorum exoso & vere sapientibus opposito nomine insigniri. Conf. supra notata *nota s. p. 443.* ex Conringio.

ſent? *x*) Aut, ſi ſenſus doctrinæ Chriſti doctrinæ Ariſtotelicæ forte adverſus ſit, qui factum fuerit, ut tamen iſta doctrina adverſa adhuc dominetur in terris etiam Evangelicorum Principum? & cur per aliquot ſecula Theologi Jureconſulti aliique Profeſſores Academici iſtam adverſitatem non ſenſerint, aut, ſi ſenſerunt, cur tamen perverſam, doctrinam docendo propagaverint?

Hæc autem ultima meditatio novum campum de plurimis maximi

20. (2) Cur in primis Chriſtianiſmi ſe.

x) Ita notum eſt, acutum quendam Monachum, cum ei objiceretur dictum Chriſti, *vos autem non ſic*, reſpondiſſe, eſſe ſphalma Typographicum in Bibliis vulgatis, & ſic legendum eſſe: *Reges gentium regnant, Vos autem non? Sic.* Ita ut hoc modo potius affirmetur, Monachos regnare debere. Simili acumine idem, vel alius ei ſimilis, falſitatis arguebat verſiculum vulgarem: *Quicquid agit mundus, monachus vult eſſe ſecundus*, addita ingenioſa iſta ratione, quod monachus non velit in iſtis negotiis eſſe *ſecundus*, ſed omnino *primus*.

Exempla aſtutarum interpretationum Monachalium.

culis regnaverit Stoica & Platonica Philosophia, non Epicurea, nec Aristotelica?

ximi momenti rebus disserendi aperiret; *y*) de caussis, cur in primis Christianæ doctrinæ Seculis nec Epicurea nec Aristotelica Philosophia Christianis Doctoribus se insinuaverit, sed saltem Stoica & Platonica, & illa quidem ad exiguum tem-

Scriptores quinam hic evolvendi.

y) Cum institutum non patiatur, ut prolixe de quæstionibus, quæ jam incipiunt & usque ad finem paragraphi 23. continuantur, mentem meam aperiam, sed potius, ut monitis brevibus, sed quantum tamen fieri poterit, perspicuis eam declarem, sufficiet, credo, si hic saltem adduxero Autores & libros, in quibus latius de illis doctrinæ & assertionum capitibus agi solet; addito tamen meo de Autoribus sincero judicio, & quibusdam brevibus observationibus subinde inspersis. *Rapinus* Jesuita partim in primo partim in secundo opusculorum Tomo multa suppeditabit tam ad quæstiones sequentes, quam ad illustranda ea, quæ in antecedentibus, potissimum, de Platone & Aristotele, dicta sunt, pertinentia. Ex tomo 1. huc pertinet *a p. 280. ad finem* comparatio Platonis & Aristotelis quadripartita. In parti-

Excerpta ex Rapino.

tempus, hæc vero per aliquot secula

---

partibus tribus prioribus, postquam præmisisset de origine Philosophiæ & ejus statu ante Platonem & Aristotelem, comparat utrumque, partim quoad personam, mores & virtutes intellectus, partim quoad methodum doctrinæ, partim quoad quatuor Philosophiæ partes, Logicam, Ethicam, Physicam & Metaphysicam. In parte quarta *p.364. seq.* comparat fata utriusque Sectæ usque ad adventum Christi & porro tam intuitu priorum, quam posteriorum octo seculorum post Christum natum. Ex Tomo 2. *p. 216. ad finem* reflexiones Rapini super Philosophia suppeditabunt etiam non pauca. Postquam enim ibi in genere Philosophiæ originem apud Ægyptios & Græcos indicasset & characteres Pythagoræ, Socratis, *P*latonis, & Aristotelis indicasset ac eminentiam ingenii Aristotelici prædicasset & varia fata Philosophiæ, potissimum apud Romanos, tam sub consulibus, quam sub Imperatoribus, præcipue sub Augusto, Hadriano &c. recensuisset, docet, qua ratione Philosophia Ethnica multum autoritatis perdiderit per ortum & augmenta Christianismi, & quomodo ipsi

cula totum fere Chriſtianum or-
bem

Philoſophi, poſtquam ad Chriſtianam religionem ſe contulerint, eam ſupprimere allaboraverint: donec ſubſequentibus ſeculis ſtudium *P*hiloſophiæ Ariſtotelicæ initio per Arabes, tum per Scholaſticos, & potiſſimum per S. Thomam iterum fuerit elevatum, ortis tamen mox Sectis Nominalium & Realium, & plane novis Philoſophis partim Chymicis, Lullio, Cardano, Paracelſo, partim Cabaliſticis, Cornelio Agrippa, Arnoldo Villanovano, Bacone &c. & variarum Gentium Europæarum partim antiquæ Philoſophiæ reſtrauratoribus, partim novatoribus, Aug. Nipho, Marſilio Ficino, Boilio, Carteſio, Gaſſendo, Hobbeſio &c. His notatis pergit ad comparationem *P*hiloſophiæ antiquæ & novioris, & dum monet, antiquam nec plane rejiciendam, nec tamen idololatrice colendam, fuſius quasdam obſervationes ut maxime notabiles proponit. *P*hiloſophos antiquos eſſe venerandos, ita tamen ut ab ipſorum autoritate non toti dependeamus: non debere nos eſſe pertinaces in defendendis propriis opinionibus; opinionem a toto mundo receptam eſſe

eſſe magis ſequendam, quam dogmata ſingularia & extraordinaria, & Philoſophiam ſubtilem ortum debere defectui ſoliditatis. Interim characterem veri *P*hiloſophi eſſe, ut ſciat legitime dubitare, non de omnibus, ſed tamen de quibusdam, vitato autoritatis præjudicio; porro ut operam det ſinceritati, & in diſputationibus vitia communia evitet. Abſolutis iſtis generalibus monitis, ſpeciales obſervationes exhibet partim de Logica, partim de Ethica, partim de Phyſica, partim de Metaphyſica *P*latonis, Ariſtotelis, Zenonis Stoici, Epicuri, & quod Logica Ariſtotelica ſine cauſa & ſine ſucceſſu a novatoribus quibusdam emendata fuerit, cum potius hi novatores emendatione ex Ariſtotelica Logica haberent opus, item quod omnis Ethica Ethnicorum hodie debeat cedere Ethicæ Chriſtianæ; quod Ariſtotelis *P*hyſica ſit reliquis præferenda, interim tamen defectibus quibusdam laboret, nondum tamen perfecte per Phyſicas hodiernas, in ſpecie per Carteſianam, emendatis; denique quod Metaphyſica Ariſtotelis ſit ſcientia ſcientiarum quæ potiſſimum de eſſentiis & ſubſtantiis ſupernaturalibus & ſpiritualibus omnium optime ratiocinata fuerit. Denique

de usu Philosophiæ in religione Christiana quædam observat: Philosophiam, cum sit primum instrumentum religionis ad confirmanda præcepta sua, debere esse sanam: Necesse esse, ut quis prius sit Christianus, quam Philosophus: optimam Philosophiam esse, quæ plus faveat religioni: Ante omnia rationem subjiciendam esse fidei ab eo, qui velit esse Christianus: Si ratio subjecta sit fidei, tum Philosophiam & maxime Aristotelicam ei valde inservire ad Scripturæ explicationem: Philosophiam, quæ religioni suppeditat terminos ad explicandam doctrinam, posse etiam eidem tradere methodum ratiocinandi, omnium maxime vero Philosophiam Aristotelicam: Usum Philosophiæ potissimum intuitu religionis esse, ut eam confirmet & stabiliat &c. Quæ hactenus ex Rapino excerpsi docebunt, non pauca ab eo tradi, jucunda pariter & utilia, etsi etiam illis hinc inde immixta sint, quæ dubium reddere possint lectorem, inprimis cautum; unde credo, non ingratum fore lectori, si pauca quædam de hoc autore subjecero. Nimirum est vir multæ lectionis, laudandi ingenii, & judicii etiam, interim est Jesuita. Hoc vero supposito non potuit non Aristotelem ubique extollere,

Judicium de eo.

ex

ex reliquis autem Philosophis Epicurum maxime calumniari, Zenonem vili pendere, & *P*latonem infra Aristotelem collocare. Et hæc omnia bona fide & in honorem suæ sanctæ societatis. Unde nec vitio ipsi erit vertendum, quod in ipsa etiam Historia Philosophica hunc scopum semper præ oculis habuerit, adeoque ea, quæ illi forte repugnare viderentur, omni modo cavere intenderit, & sic multa facta vel dicta passim tacuerit, potissimum intuitu Patrum Ecclesiæ, quæ vel Zenoni vel Platoni nimis favorabilia videri poterant. Unde non mirandum, quod in *Tomo I. p.391.* asserat, Patres in prioribus saltem tribus seculis magis favisse Platoni, quam Aristoteli, sed quod in seculis statim sequentibus Aristoteles magis æstimari cœperit; quod ad illustrandam hanc observationem afferat *p.394.* quod Hieronymus in libro 2. contra *P*elagium asserat: *P*eripateticorum sententiam, (quam vero non determinat Rapinus) consentire autoritati sacræ scripturæ: cum tamen Dupinius *Tomo III. p. 244.* commendet Hieronymum, quod Philosophos Græcos, (non solum Aristotelem) juxta ac latinos familiares habuerit, & quod eorum placitis mirum quam commode, quam opportune usus fuerit:

& Ziroldus, ut mox excerpta ex eo docebunt, Hieronymum inter hostes Aristotelis retulerit: denique quod Rapinus *d. p. 394.* de Augustino plane tacuerit, quod Platoni præ aliis Philosophis fuerit addictus, (qua de re in sequentibus plura annotabo) & quod eum tantum non plane Aristotelicum faciat, dum ibi observat, Augustinum, etsi maximo judicio pollentem, non tamen omisisse, quin commentatus fuerit in Aristotelem, quod tamen non facturus fuisset, si eum non præ aliis magnifecisset. Misso Rapino, pergo ad Autorem anonymum *du Platonisme devoilè* qui liber *anno 1700.* prodiit. Etsi enim non dissimulet se esse Unitarium, etsi hoc intuitu maxime cavendus sit Lectori, dum id ex professo agat, ut doctrinam nostratium de Trinitate refutare velit; non tamen plane negligendus est, ubi de historia *P*latonismi, etiam apud præcipuos Ecclesiæ patres se nimis, quam par erat, insinuantis, agitur, quorsum pertinent capita illius libri sequentia: videlicet *cap. 5. 7. & 9.* de tribus principiis a *P*latone cognitis; *cap. 10.* de *P*latonismo *P*hilonis Judæi; *cap. 12.* de doctrina *P*latonis ænigmatica, & de differentia inter verbum *P*latonis & Johannis Evangelistæ; *cap. 18.* de methodo docen-

Item de Autore Platonismi detecti.

docendi Platonicorum Christianorum, & præcipue de allegoriis; denique *cap.* *20.* & *21.* de Politica sacra Patrum, sub voce œconomiæ & Theologiæ (i. e. Platonismi) occultata &c. Pergo ad Autores orthodoxos, ubi tamen eadem ratio æquitatis & sinceritatis suadet, ut quemadmodum in præcedente autore heterodoxo, (seu stilo juris Canonici etiam apud nos regnante, hæretico) quædam profutura Lectori ingenuo indicavi, ita etiam in scriptoribus orthodoxis, quædam addam quæ monenda credidi. Edidit nimirum jam anno 1694 *Colbergius* Professor Gryphiswaldensis specimen historicum de origine & progressu hæresium & errorum in ecclesia, in quo ostendere voluit, quod hæreses in primitiva Ecclesia in primis seculis prioribus natæ, pleræque Philosophiæ Platonicæ originem debeant, & cum modernorum fanaticorum deliriis in multis conspirent: quam assertionem peculiaribus capitibus, de hæresi Simonis Magi, Nicolaitarum, Carpocratianorum, Valentinianorum, Marcionitarum, Manichæorum, & denique de Origenis erroribus, multa adhibita diligentia, demonstrare allaboravit, nisi, quod Marcionem Stoicorum doctrinæ operam dedisse notet, & simul in plerisque

Excerpta ex Colbergio.

capitibus Pythagoræorum dogmata Platonicis jungat, quod valde illustrat ea, quæ jam supra passim, potissimum *nota a.* & *d.* notavi, *P*ythagoræ doctrinam a *P*latone fuisse in multis repetitam. Quamvis autem Colbergius in titulo istius libelli promiserit, quod velit etiam ostendere, quod illæ hæreses & dogmata *P*latonica in multis conspirent cum fanaticorum modernorum deliriis, tamen in isto quidem libello altum ea de re est silentium, & miror, quod Colbergius non duobus saltem verbis notaverit in præfatione, quod illam ostensionem jam antea exhibuerit in tractatu Germanico anno 1690 publicato, cujus contenta breviter ipse Titulus exhibet: Das Platonisch-Hermetische Christenthum, begreiffend die Historische Erzehlung von Ursprung und vielerley Secten der heutigen Fanatischen Theologie unter dem Nahmen der Paracelsisten, Weigelianer, RosenCräntzer, Qväcker, Böhmisten, Wiedertäuffer, Bourignisten, Labadisten und Qvietisten. Hos omnes in prioribus tribus capitibus derivat ex *P*hilosophia *P*ythagorica, *P*latonica & Stoica, quatenus hæc in multis cum *P*latone consentiat, ubi simul paucis observat, eandem originem habere hæreses modo memoratas primorum seculorum, nec *P*atres

satis

satis cavisse a Philosophia Platonica, præcipue vero Clementem Alexandrinum; Etiam Platonismo originem debere Theologiam Mysticam; Præmittit etiam articulos fidei fundamentales sed erroneos, in quibus conveniant Christiani Platonici, & duo principia eorum falsa, Cabalam & Magiam &c. Sed jam æquum est, ut audiatur & altera pars. *Zieroldus* Anno 1700 edebat librum, cui titulus: Einleitung zur Gründlichen Kirchen-Historie mit der historia philosophica verknüpfft, darinnen die Krafft des Creutzes Christi, als der eintzige Grund des wahren Christenthums wieder die Feinde des Creutzes von Anfang der Welt biß auf unsre Zeit vorgestellet wird. Occasionem præcipuam scripto præbuit Bücheri & Schelwigii rusticitas erga Spenerum & Spenerianos, etsi de ea nulla fiat mentio in præfatione, vid. *cap. 2. §. 44. p. 111. & §. 84. p. 146.* & alibi passim; adde totam Partem II. hujus ita dictæ historiæ Ecclesiasticæ anno 1703 publicatam, ubi primarius hic scopus statim in titulo exprimitur. Totum opusculum intendit defendere Theologiam mysticam, commendare Pythagoram & Platonem, contra, Aristotelem proponere ut Philosophum ineptum, impium & causam si non unicam, saltem primariam omnis

Et Zieroldo.

mali, quod Christianismum hactenus affecerit. Ad nostrum scopum pertinent doctrinæ sequentes. Veram Theologiam mysticam consistere in mysterio crucis Christi, *cap.1.§.10.seq.p.6.* & hoc mysterium crucis esse etiam scopum primarium totius legis Mosaicæ, *cap.2. §.45.p.112.* Pythagoram a Mose & Prophetis adeoque a Judæis fundamenta sapientiæ suæ hausisse: Ens Platonicum parum differre a Jehovah, atque hoc nomen *P*ythagoræ & *P*latoni non fuisse ignotum: *P*ythagoram suam unicam veritatem proprie in Deo & rebus spiritualibus æternis & immutabilibus quæsivisse, eumque contra calumniatores jam a *P*lutarcho esse defensum: Etiam *P*ythagoram aliquid de Trinitate scivisse: *P*ythagoræ præcepta in multis convenire cum lege Mosaica: Doctrinæ *P*ythagoricæ scopum esse unionem cum Deo per agnitionem stultitiæ, pœnitentiam, & introitionem: *P*ythagoram etiam in *P*hysica & Ethica convenire cum Mose: & Symbola ejus ex doctrina Mystica vel Cabbala Hebræorum orta esse &c. *cap.2. §. 113. ad §.132. p. 173.seq.* Interim tamen *P*ythagoram & *P*latonem esse rejiciendum, ob ignorantiam Christi, & mysterii crucis ejus: *c. 2. §.121. ad §.126. p.180.seq.* Porro *P*latonem

multa

multa ex ſacris literis didiciſſe, inprimis de Jehovah, (& inde deſumtum eſſe ens Platonicum) item a Judæis quædam de Trinitate, de angelis bonis & malis, de cognitione ſenſuali & ideali ſecundum diverſitatem rerum ſpiritualium & terrenarum: Ideas Platonem didiciſſe a Moſe ejusque idea Tabernaculi & ex imaginibus Biblicis, ſpiritualia myſtice ſignificantibus, ſed poſtea ab Ariſtotele has ideas fuiſſe falſificatas: Platonem ab Ebræis audiviſſe de Prophetarum frequentibus exceſſibus mentis, adeoque de iis ſæpius mentionem feciſſe, ſed admixtis multis erroribus, Ariſtotelem autem ejusmodi exceſſus mentis morbis maniacis accenſere: Platonem nequaquam defendiſſe errorem communem reliquorum Philoſophorum quod duo ſint principia rerum coæterna, Deus & materia prima; quin potius Platonem ex Moſe deſcripſiſſe creationem mundi, & originem mali adſcripſiſſe neque Deo neque materiæ, ſed ſpiritui malo; eundem etiam quædam audiviſſe de peccato Adami & ejus leges in multis convenire cum lege Moſaica &c. *cap. 2. §. 133. ad §. 152. p. 190. ſq.* Ariſtotelem Platonicæ doctrinæ deſertorem nimis extuliſſe ſenſiones, inconſtantem fuiſſe in doctrina de Deo, en-

tia & abstractiones multiplicasse, doctrinas suas obscure proposuisse & sine ordine, in Physicis, Logicis & Moralibus, ineptire, & nequaquam Platoni esse præferendum, quamvis Plato contemnatur a Sophistis, contra Aristoteles commendetur ab impiis; interim neutrum a veris Theologis plus justo æstimari; Theologiam mysticam Sacræ, Philosophiam Platonicam Hagari, Aristotelicam Ismaeli esse similes *cap. 2. §. 153. ad 162. p. 211. seq.* Stoicos & Epicureos ob maximos errores non esse prolixa observatione dignos, *ibid. §. 163. 164. p. 224. seq.* In *cap. 3. §. 20. s. p. 243. seq.* commendat Cabbalam veram ejusque differentiam a falsa monstrare vult, additque §. *56. sq.* quod Judæi, potissimum Hellenistæ, miscuerint Philosophiam Aristotelicam cum scriptura, indeque ortas esse Sectas Pharisæorum, Sadducæorum, Essæorum, potissimum vero Sadducæorum; item §. *74.* Judæos præ cæteris Philosophis maxime laudare Aristotelem, imo *(§. 81.)* anno 1405. Aristotelis Ethicam a Rabbino quodam in linguam Ebraicam fuisse translatam. Ex *capite 4. p. 293. seq.* notabiliora sunt: Johannem Evangelistam *(§. 2.)* manifestasse mysterium crucis: falso imputari doctrinæ Christi *(§. 14.)* & Christianorum.

quod

quod conveniat cum Cabbala Judaica & Platone: Ex justis causis (*§.33.*) Platonicos multos ad Christianos transiisse, & vice versa a Christianis amatos esse, sed tamen falso Christianos primos accusari, quod fuerint Platonis Sectarii. Ex Patribus inprimis (§.*34. ad finem capitis*) Justinum Martyrem, Irenæum, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Origenem, Lactantium, Eusebium, Basilium, Gregorium Nyssenum, Nazianzenum, Epiphanium, Theodorum, Faustinum, Ambrosium, Hieronymum, Simplicianum, Augustinum, Prudentium, Cyrillum Alexandrinum, Theodoretum, Ænæam Gazæum &c. partim commendasse Platonem, eumque prætulisse Aristoteli, partim condemnasse & rejecisse Aristotelem, ut patriarcham hæreticorum. In *capite 5. p.334. seq.* monet, hostes quidem Platonis adscribere omnem impietatem & originem hæresium Platoni, sed verius esse, quod hæreses Simonis Magi, Gnosticorum, Valentinianorum, Arrianorum, Aetianorum, Pelagianorum, Semipelagianorum, Atheistarum & Papistarum, item Scholasticorum præcipue ab Aristotele ortæ fuerint: imo Julianum ab Aristotele seductum deseruisse religionem Christianam, quin & Turcas ex doctrina Aristoteli-

telica ortos esse, & Diabolum Turcis sub forma Aristotelica apparuisse. Porro Damasceni systema de orthodoxa fide compositum esse ex Philosophia Aristotelica; imo Aristotelicam Philosophiam in Seculo XI. & XII. esse fundamentum Papatus & Theologiæ Scholasticæ, cujus origo, progressus & augmenta per sequentia Secula distincte exponuntur. *Caput 6. p. 367. seq.* observat, Lutherum sub Aristotelicis adultum ab Augustino ad scripturam fuisse manuductum, adeoque postea magnum odium erga Aristotelem & Scholasticos sæpius, usque ad mortem, fuisse testatum, contra Pythagoram & Platonem ab eo fuisse commendatos: etiam Melanthonem conquestum esse de doctrinis Scholasticis &c. Denique *capite 7. p. 382. seq.* docet, Philosophiam Aristotelico Scholasticam maxime post mortem Lutheri fuisse elevatam a Philippo Melanthone, quamvis Lutherus hanc Philippi intentionem serio fuerit detestatus; Seductum autem fuisse Philippum per Metaphysicam Scholasticam; postea philosophiam Aristotelicam in locis communibus Philippi occultatam loco Scripturæ Sacræ fuisse explicatam in Academia Wittebergensi, in Lipsiensi vero anno 1580. Melanthonis Dialecticam & Aristotelis

Phi-

Philosophiam fuisse prælectas. Anno 1605. Arndium scripsisse contra Christinianismum Scholasticum, huic se opposuisse inimicos crucis Christi, Lucam Osiandrum & alios Aristotelicos Theologos, contra Arndtium defensum fuisse a Theologis piis, Daniele Dilgero & aliis: Lipsiæ per Hulsemannum Scholasticam Theologiam & artem concionandi fuisse stabilitam, & ex hac Theologia infinitas rixas inter Lutheranos fuisse ortas, & magna incrementa inde sensisse Papatum ac Jesuitas, Spenero & aliis frustra optantibus emendationem hujus mali &c. Jam, quod *Colbergium* attinet, scripta ejus ideo sunt commendanda, quod multa cum eruditione collegerit ea, quæ de origine hæresium in primis Seculis ex Platonismo testantur, & in Scripto Germanico historiam controversiæ inter eos, qui Fanaticismi accusati sunt & eorum adversarios & scripta ab utraque parte edita breviter & perspicue recenseat, sed tamen optandum esset, ut excerpta sua non præcipue ex scriptis adversariorum, quorum pleriqve, si non omnes, fuere Scholastico Aristotelici, desumsisset, sed potius ut ipsa Scripta eorum, quos Fanaticos vocat, cum majori diligentia & attentione legisset, atque ut Weigelium

Judicium de utroque.

lium, Arndium, Hohburgium, Böhmium, Betkium aliosque mitius tractasset. Declarat equidem in præfatione scripti Germanici, quod & mixtura Philosophiæ Aristotelicæ cum Theologia sit causa multorum malorum in Ecclesia & in præfatione opusculi latini circa finem eandem declarationem repetit, atque declarat, *se in animo habere, si Deus vires concesserit, & ordinarii labores otium indulserint*, Regnum tenebrarum ex Aristotelicæ Philosophiæ & Theologiæ mixtura enatum *aliquando typis committere: Instituti rationem & ordinem hæresium exegisse, ut ab his, quæ ex Platonica Philosophia ortæ sunt, hæresibus initium faceret, reliquas, quibus Peripatus occasionem dederit, alii occasioni reservaret.* Sed vel ex ipsis his verbis adductis mihi persuadeo, hanc intentionem Colbergii non fuisse seriam; Accedit, quod hoc pacto coactus fuisset, eos etiam notare ex quorum tamen libris impugnaverat Platonico-Fanaticos. *Zieroldi* librum quod attinet, fuit equidem bona ejus intentio quod Spenerum adversus adversarios satis impudentes defendere voluerit, & quod varia notabilia attulerit, partim de Platonismo multorum Patrum Ecclesiæ, partim de damno in Ecclesiam per Aristotelis receptionem & Scho-

Scholasticos introducto, & post reformationem Lutheri continuato & aucto: Sed multa tamen etiam sunt, quæ lector judicio pollens optaret, ut aliter se haberent, 1. Fundamentum Theologiæ mysticæ quam acriter defendit ab ipso obscurissime positum, nec verbis perspicuis explicatum, sed mystice occultatum; *mysterium crucis Christi*. Quasi in Scriptura sacra non ubique adsint, fundamenta clarissima & perspicua, amor Dei & proximi per fidem in Christum excitandus, evitatio Pharisaismi & Sadducæismi, & cum his conjuncti criminis hæretificii &c. Notum est, Pharisæos, Monachos, Jesuitas ubique in ore habere gloriam Dei, crucem Christi, & tamen sub his terminis occultare res minime laudabiles. 2. Meditationes impertinentes, contortæ, tantologiæ infinitæ, methodus confusa. 3. Defensio Pythagoræ & Platonis ac vituperatio Aristotelis nimia, ac sæpius palpabiliter inepta. e. g. quod Plato doctrinam de ideis hauserit a Mose & ejus idea tabernaculi: quod Plato non statuerit duo principia coæterna; quod Sectæ judaicæ, sive Pharisæorum, sive Sadducæorum, sive Essæorum ab Aristotele haustæ sint: quod hæreses primorum seculorum post Christum Aristoteli

ſtoteli originem debeant; quod Julianus Apoſtata ad apoſtaſiam per doctrinam Ariſtotelis ſeductus fuerit: quod Diabolus Turcis ſub perſona Ariſtotelis apparuerit &c. Interim qui Autorem intimius novit, non mirabitur, cur ipſi tantopere placuerit Pythagoras & Plato, præprimis ſi conſideret ea, quæ jam ſupra de his duobus Philoſophis notavi, præcipue *nota a. d. n. & o.* De patribus Eccleſiæ primorum ſeculorum multa notabilia habet *Clericus* paſſim, tam in voluminibus variis *de la bibliotheque univerſelle*, item *de la bibliotheque choiſie*, quam in ſpeciali libro, cui titulus eſt: *quæſtiones Hieronymianæ.* Unde ex conſilio meo præcedenti anno 1721 vitæ Patrum, quæ inveniuntur in voluminibus Bibliothecæ univerſalis in idiomate Germanico conjunctim fuerunt editæ, & in præfatione non ſolum indicavi reliquas Clerici meditationes varias de Patribus, ubi eæ inveniantur, ſed ſimul recenſui contenta libri a Jeſuita Gallo, qui Baltus vocatur adverſus Clericum anno 1711 publicati, cujus titulus eſt: *Defenſe des SS. peres accuſez de Platoniſme*, addito meo judicio. Ad ſcopum præſentem potiſſimum ſpectant ſequentia *ex Tomo 10. Bibl. univ.* Ubi de Clemente Alexandrino notat, quod Platonem conſideraverit

Excerpta ex Johanne Clerico.

ut

ut *P*rophetam de Christo vaticinantem. *(verſ. Germ. II. 16. p. 56.)* Ex vita Euſebii plura huc pertinent: nempe recenſio doctrinæ *P*latonis de Deo, divinis hypoſtaſibus & harum unitate: *(VII. 6. p. 587. ſeq.)* quomodo Philoſophia *P*latonica Judæis cognita fuerit, ubi in ſpecie de *P*hilone agit, & de temporibus Chriſti: *(VII. §. 15. ſeq. p. 600. 604.)* quod *P*atres priorum trium ſeculorum crediderint, *P*latonem cum Apoſtolis in doctrina de Chriſto convenire, unde etiam quidam *P*latonici Chriſtiani facti fuerint: *(Ibid. §. 19. ſeq. p. 606.)* quod *P*atres contra hæreticos retinuerint terminos *P*latonicos *(§. 20. ſ. p. 610. ſeq.)* ſed obſcuros & ſæpe ſibi contradicentes, *(§. 24. p. 616.)* quod exemplo hypoſtaſeos declarat, *(§. 28. p. 626.)* & hanc obſervationem de obſcuritate terminorum illuſtrat narratione perſpicua controverſiæ inter Orthodoxos & Arianos. *(§. 30. & multis ſeq. p. 628. ſ.)* &c. Quamvis autem jam in præfatione *ad d. verſ. Germ.* & alibi (*in utroque Tomo Cautelarum*, ubi vide *indicem ſub voce* Clericus) indicaverim, quid de Clerico ſentiam, & quod non ſim ipſius ſectarius, hic tamen diffiteri nequeo, quod multum ipſi debeam in ſtudio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & quod ejus ſcripta & Arnoldi Hiſtoria hæretica, mihi

Et judicium de eo,

mihi oculos mentis aperuerint in ostendendis præjudiciis, quibus laborant communiter illi, qui hactenus historias Ecclesiasticas scripserunt, & adhuc scribunt, & quod Poiretus hoc intuitu non erraverit, dum *in oper. Posth. access. D. §. 12. p. 776.* suspicatus est, quod forte & Clerici lectio me abduxerit ab inclinatione ad Theologiam mysticam, una cum Lockii lectione de Enthusiasmo, quem & propterea semper commendavi, & adhuc commendo, etsi jam *in Cautelis circa præcogn. Jurispr. cap. 10. §. 13. lit. m.* simul indicaverim, quod ex triplici capite quædam monenda habeam circa ejus integrum tractatum de intellectu. Unde valde erravit *Poiretus*, dum *d. l.* arbitratus est, me a Lockio, tanquam scriptore periculosissimo, fuisse seductum, & adeo omnes a lectione Lockii simul fuit dehortatus. Optarem potius, ut bonus Poiretus præjudicio autoritatis suæ Bourignoniæ non ita fuerit infectus, & mihi persuadeo, eum nunc mortuum valde erraturum, si forte Bourignioniam in medio angelorum choro, Lockium vero vix in loco peccatorum quærat, & præter ac contra suam spem, Lockii animam in digniore loco constitutam deprehendat, quam omnium Lockii adversariorum, & ipsius etiam Bourignioniæ &c.

De-

bem infecerit? z) An forte hujus domi-

Denique inveniet etiam Lector in aliis scriptis meis non pauca, quæ ad scopum præsentem pertinent, quæ tamen hic non excerpenda duxi, cum sint in omnibus pene manibus. Huc pertinet ex *Cautel. circa præcogn. Jurispr. Cap. VI. §. 51. ad 55. §. 61. ad 72. & §. 77. seqq.* item ex *Cautel. circ. præcogn. Jurispr. Eccles. Cap. IX. §. 18. ad 23. Cap. XI. §. 12. 13. 19. 20. Cap. XIV. §. 9. 10. 11. 12.* denique ex *Historia Jur. Nat. Cap. II. §. 10. Cap. III. §. 1. ad 9. item Cap. IV. & V.* Loca ex meis scriptis.

z) Paucis res ita se habet: Haud dubie primus Christianorum status & societas ex Judæis, tum demum post prædicationem Pauli etiam ex Ethnicis fuit constituta, & quidem primo ex eruditis utriusque gentis, sed ex plebe, aut certe ex iis, qui non erant in numero eruditorum, ut militibus & qui in officiis politicis erant constituti. Eruditi tam Judæi quam Ethnici initio potius se opponebant Christo & doctrinæ Christianæ, postea tamen etiam ex eruditis aliqui Christianorum nomen profitebantur, non tamen ex omnibus sectis, nec ex pari conversionis impulsu aut intentione. His suppositis de Judæis Quæstionis propositæ resolutio.

dominatus Platonicæ doctrinæ causa

---

sic dicendum. Communis omnium Philosophorum gentilium error fuit, hominis essentiam consistere in intellectu & voluntatem emendari per solam emendationem intellectus, cujus tamen contrarium & sensus communis & doctrina sapientiæ Mosaicæ & Salomoneæ docent. Ab hac sapientia cum Judæi abiissent, & tam ante, quam post captivitatem Babylonicam in perpetua idololatria vixissent, non poterat non fieri, quin & ipsorum Doctores seu Rabbini corrumperentur, initio per magos Persarum & Assyriorum, deinde sub Græcorum imperio per Philosophos Græcos. Quodsi quis differentias trium sectarum Judaicarum quoad mores paulo penitius consideret, patebit, Pharisæos proxime accessisse ad Stoicos, Sadducæos, ad Epicuræos, Essæos, ad Cynicos. Quod doctrinam attinet, cum Pythagoræi & Platonici multas doctrinas communes haberent, & a Judæis, id est, a Mose, Salomone &c. multa hauserint, ac ita eorum verba cum doctrina Mosaica & Salomonæa videretur convenire, (quod ab autoribus reliquarum Sectarum Græcarum factum non

ſa non infima fuerit, quod Plato ſolos

non erat (inde eveniebat, ut Phariſæi dogmata Rabbinica, Cabbaliſtica & Pythagorico-Platonica docendo miſcerent, ut ex doctrina de metempſychoſi, & de angelorum claſſibus & prætetea ex ſcriptis *P*hilonis Judæi patet. Quod Ethnicos concernit, & potiſſimum Romanos, cum ante Auguſtum liberiore & eclectico philoſophandi genere ſæpius uſi fuerint, ſub imperatoribus iterum eorum philoſophia degeneravit in Sectas, ſervitute videlicet ingeniorum libertatem amiſſam mox inſequente. Igitur tum ſæpius audita nomina Stoicorum, Epicuræorum & Platonicorum, rarius Peripateticorum. *Præ* cæteris vero omnibus, primis Imperatorum temporibus, *P*ythagorica ſecta maxime exoſa reddebatur, tanquam quæ magiam philoſophiæ jungere diceretur. Stoica vero celebrior & frequentior erat, quam potiſſimum Seneca, Epictetus, Arianus, item imperator Antoninus cognomine Philoſophus, commendaverant: florebat & Platonica, ad quam ut jam *ſupra not. p.* monitum, Plutarchus inclinabat. Quamvis autem in ſeculo ſecundo Antoninus Pius

imperator, publico edicto non nisi has quatuor Philosophorum Sectas admiserit, Epicuream, Stoicam, Platonicam & Aristotelicam, seculo tamen tertio imperator Bassianus Caracalla, ob stultam persuasionem, ac si Aristoteles conspiraverit in mortem Alexandri, omnibus viribus curavit abolere scripta Aristotelis. Porro quod Doctores, & stilo communi ita sic dictos Patres Ecclesiæ attinet, sive illi ex Judæis sive ex Ethnicis post Apostolorum tempora Christianam religionem professi fuerint, ex quatuor modo dictis Philosophiæ græcæ Sectis Epicurea quidem, ob negationem providentiæ divinæ, & Aristotelica, vel quod pauci ex Romanis illam profiterentur, vel quod libri Aristotelis post factum Caracallæ modo recensitum, rariores essent, vel alias ob causas, ab illis fuere neglectæ: Sed Stoica & Platonica magis ab ipsis fuit æstimata, Stoica quidem, quod Stoici inculcarent præcepta de vita virtuosa, quoad sonum verborum maxime affinia doctrinæ Christi, quoad verum autem eorum intellectum & praxin Stoicorum maxime hypocritica & pharisaica, accedente

natores Reipublicæ; Epicurus ve-
ro

te insuper fastu & contemtu aliorum, & invecta simul in Christianismum communi Gentilium opinione, quod vera sapientia magis in speculatione subtili veritatum intellectualium, quam in praxi vitæ veræ virtuosæ consisteret, aut quod hæc sua sponte ex perceptione veritatum in intellectu sequeretur. Hoc vero pacto aliter fieri non poterat, quam ut Platonica Philosophia se maxime insinuaret *Patribus* Ecclesiæ, ob subtilitatem videlicet idearum Platonicarum, & huic conjunctam obscuritatem, accedentibus insuper & aliis rationibus, maximam tamen partem exinde fluentibus. 1. Quod non pauci ex Platonicis sponte transierint ad Christianos, cum viderent in libris Apostolicis occurrere quosdam terminos & loquendi modos, quos putabant, quamvis erronee, a *Platone* esse haustos. 2. Quod ex *Philosophis* Ethnicis potissimum *Platonici*, ut *Plotinus*, Jamblichius, *Porphyrius* &c. doctrinam Christianam impugnarent, (excepto Celso, qui erat Epicureus) & *Patres* Ecclesiæ erronee sibi persuaderent, non posse ipsis resisti ex sola scriptura sacra, nisi

ro magiſtratus functionem diſvaſerit Sapienti; Zeno non ſuaſerit, nec diſſuaſerit? *aa*) Annon prætextus

---

accederet ſcientia Philoſophiæ Platonicæ, præcipue cum Platonici Chriſtianorum hoſtes his ſæpe objicerent, ignorantiam Philoſophiæ ſeu ſapientiæ. 3. Quod & ipſi Chriſtiani, qui Platonici erant, inter ſe in expoſitione ſacrarum litterarum valde diſſentirent, & ſpiritu hæretificationis jam maxime infecti, eorum pars dominans jam ſeculo ſecundo & tertio, alteram partem per brachium ſeculare aut per pluralitatem votorum ſtrenue ſupprimere tentaret. &c. Quæ omnia confirmantur ex genuina Hiſtoria Eccleſiaſtica priorum quinque ſeculorum.

Conciliatio rationum aliarum Politicarum cum præcedentibus.

aa) Etſi ea, quæ nota præcedente dicta ſunt, videantur inferre, quod ratio hic adducta de dominatu Philoſophiæ Platonicæ, in primis poſt Chriſtum natum ſeculis intuitu Doctorum Eccleſiæ a me magis oratorie & quaſi per jocum, quam ſerio & ex animi ſententia fuerit in ſcenam producta, patebit tamen ex jam dicendis, quod ſerio hæc dixerim. Unius rei plures poſſunt eſſe cauſæ. Illæ, de quibus in nota præ-

textus Platonicæ Reipublicæ, sub nomine Christianæ, introducendæ prima fundamenta jecerit papatui poli-

præcedente sum locutus, fuere primariæ, ex idearum Platonicarum phantasticarum nimio pretio profluentes. At hodienum quotidiana experientia docet, quod nullum genus hominum magis ad imperium adspiret, quam eorum, qui ejusmodi ideis Metaphysicis aut hyperphysicis repleti sunt. Immo quid de imperio dico: ad dominatum tendunt maxime irrationalem, scilicet ut non imperent voluntati, quæ alias objectum imperii esse solet, sed ut dominentur intellectui, qui tamen ex natura sua & ex communi rectæ rationis dictamine nullius hominis imperio subest. Unde cum jam in nota præcedente fuerit monstratum, quod Patres Ecclesiæ in primis statim seculis sub titulo hæretificationis aliorum intellectui dominari omnibus viribus allaboraverint, sua sponte etiam sequitur, quod eodem hoc medio multo magis affectaverint etiam imperium Politicum, ut ulterius patebit ex mox dicendis.

politico? *bb*) Quibus gradibus huic funda-

Origo Papatus ex Platonismi.

bb.) Assertum hic in textu facile demonstrari potest, si quis id modo consideret, quod jam supra monitum fuit, in *nota Z* cui jungi possunt dicta *in Hist. Jur. nat. Cap. II. §. 10. & cap. III. §. 1. ad 9.* Nam cum omnes Philosophi Græci sapientiam erronee putaverint consistere in emendatione intellectus, quam sua sponte sequatur emendatio voluntatis; Plato vero intellectum emendare tentaverit per ideas suas phantasticas, & Platonici Ethnici Apostolis & genuinis Christianis ex Apostolica doctrina sacram scripturam exponentibus objecerint ignorantiam Philosophiæ, Patres autem, qui Philosophi Platonici erant, tam Philosophos Platonicos Ethnicos quam hæreticos per Platonicas ideas oppugnarent; non potuit aliter fieri, quam ut jam in primis seculis fundamenta jacerentur etiam Reipublicæ Platonicæ aut Christianæ Platonizantis, in qua Doctores & ita dicti patres Ecclesiæ cum suis ideis, subjicerent sibi intellectum & multo magis voluntatem Auditorum suorum omnium, cujuscunque generis essent, tam nobilium quam ignobilium, illis nullum imperium nisi depen-

fundamento in primis Christianismi secu-

dependens a nutu Doctorum relinquerent, adeoque revera ex capitibus imperantibus, membra Ecclesiæ, cœcam obedientiam Clero præstantia efficerent, & sic intuitu imperii eos non ut cives liberos sed ut mere servos & homines proprios considerarent. Jam si quis insuper consideret ea, quæ supra *nota n.* ex Platonis libris de Rep. excerpsi, quod Magistratus sint instituendi in vera Philosophia i. e. insummi boni seu Dei contemplatione, & quod tum demum beatæ futuræ sint Reipublicæ, si tales Philosophi regnarent, aut qui regnarent, eo modo philosopharentur, item quæ *nota o.* excerpsi ex Platonis libris de Legibus, quod in Republica Platonica frequenter institui debeant ludi & festa religiosa, quod profana loquentia de Deo (id est ideis Doctorum adversa & ab ea dissentiens) sit crimen maximum & gravissimis pœnis etiam capitalibus cöercendum; & quod sacrum collegium in Republica, ex optimis civibus sit constituendum, quod sapientiam illam idealem de Deo debeat in Rempublicam introducere; denique quod a Deo hoc ideali (& a Sacro collegio sapientiam illam idealem incul-

ſeculis, ſub ſpecie larvatæ pietatis, ſuper-

inculcante per pœnas capitales) pendeat omnis Reipublicæ felicitas: ſi quis, inquam, conſideret hæc omnia; etiamſi cœcus foret, manibus tamen palpare poſſet, Patres Eccleſiæ per Philoſophiam Platonicam pedetentim etiam in primis poſt Chriſtum natum ſeculis, introduxiſſe primum ac præcipuum, imo unicum fundamentum Papatus Politici hodienum tantum non ubique durantis, ſcilicet diſtinctionem inter Clericos & Laicos, & illorum imperium ſummum in hos univerſos, etiam Reges & Imperatores. Cum vero Plato tres conſtituerit formas Reipublicæ rectæ, id eſt Platonicæ, Monarchiam, Ariſtocratiam, Democratiam, etiam Patres Eccleſiæ operam dederunt, ut & harum ſingulas in Rempublicam Chriſtianam introducerent. Initio illa respublica erat *Democratica*, ubi univerſus Clerus imperans per pluralitatem votorum veritates ſuas ideales non ſolum Laicis tanquam ſervis ſuis ſpiritualibus ſed & coimperantium ex Clero parti minori ſecundum naturam Democratiarum, inſtar legum pœnalium præſcribebat, ut qui obedire nollent, tanquam

superstructa fuerint varia axiomata Pseu-

quam homines maxime noxii & qui crimen læsæ majestatis divinæ, (uno verbo hæresin,) committerent, gravissimis pœnis coërcerentur. Ex hac Democratia ii, qui dicebantur Episcopi, abutentes dictis quibusdam scripturæ, easque Platonice & idealiter exponentes, paulatim effecerunt *Aristocratiam*, excluso clero infra dignitatem Episcopalem constituto. Hanc Archi Episcopi & Patriarchæ novis ideis Archi Episcopalibus Platonice explicatis paulo post mutarunt in *Oligarchiam*, donec Papa Romanus, tanquam supremus Christi Vicarius phantasticus (aut, si hoc prædicatum displiceat, hyperplatonicus, aut Platonicissimus) istam etiam Oligarchiam, per subtilissimas ideas, omnem intellectum transscendentes, mutaret in *Monarchiam*, & quidem non temperatam sed absolutam, Cave tamen, ne cum Protestantibus eam ad *Tyrannidem*, sive titulo, sive exercitio talem, referas, sed potius est *Dominatus*, cum Papa communi consensu Cleri & Laicorum sub hac Monarchia viventium, habeatur pro Domino Dominorum, scilicet in spiritualibus, mystice explicatis, quæ transcendunt

Pseudopolitica, atque sic doctrina genuina prudentiæ civilis plane fuerit extincta?

21. (3) *De Augustini libro de Civitate Dei & ejus autoritate in seculos.* Cur Beato Augustino Episcopo magno & erudito præ reliquis maxime commendata fuerit Platonica Philosophia? Utrum ejus magnum opus, cui Civitatis Dei titulum fecit,

---

dunt omnem intellectum, tam clericalem, quam Laicalem. Confer quæ de arcanis his Papatus *in notis ad Lancelottum disserui, lib. 1. not. 41. Sect. 8. p. 25. & alibi passim.* Porro, cum Monarchiæ Platonico Pontificiæ potissima fulcra sint Monachi, & inter Monachos Domini Jesuitæ, etsi utraque hæc societas hodie sit Aristotelica, vel talis esse videri velit, primam tamen Monachismi originem etiam deberi Philosophiæ Platonicæ ostendere voluit Colberg *c. 1.* des Platon. Christenth. *§. 9. p. 38. seq.* Quæ hactenus de origine Papatus ex Philosophia Platonica dixi, simul facem accendunt quæstioni in textu sequenti de variis axiomatibus Pseudopoliticis in primis statim Christianismi seculis sub specie larvatæ pietatis introductis, ut adeo non opus sit, nos detinere ulterius in ejus resolutione.

cit, instruat discendi cupidos, an confundat? item an rem publicam Platonicam ibi depinxerit, an vere Christianam id est, cum rectæ rationis dictamine convenientem? *cc*)

Quibus

cc) Ut ordine hic procedatur, & ut illi, qui hodienum exosculantur illud divi Augustini divinum opus de civitate Dei, non putent, me ex odio in Platonicos & hodienum Platonizantes contemnere autoritatem Augustini, & ejus civitatem Dei, non ægre ferent, si initio ostendero, quantum fieri potest brevissimis, etiam ex ipsis pontificiis minus partiales, veritatem, genuino usu rectæ rationis fundatam, prætulisse autoritati Augustini & Theologiæ mysticæ, & minus hoc intuitu esse pontificios, quam istos Augustini adoratores inter Protestantes. Prodeat igitur *Elias Dupin* & judicium suum de Augustino ipso, & ex ejus operibus de ipsius Civitate Dei dicat. Synopsin & dispositionem hujus operis exhibet *Tomo 3. Biblioth. Autor. Ecclef. p. 449. seq.* Constat libris 22. Primi decem libri refutant vanissimas duas Ethnicorum doctrinas, quarum una defendebat, cultum Deo- Librorum Augustini de Civitate Dei contenta.

rum

Quibus ex cauſis & quanta in ſe-
culo

rum Ethnicorum, ſeu idolorum, hominum ſaluti eſſe utilem, imo neceſſarium, & propter eum neglectum ac abolitum, maxime per Chriſtianos, tot mala recens cœlitus miſſa eſſe: altera vero fatebatur quidem, omni tempore, etiam cum maxime vigebat Deorum cultus, ejusmodi calamitates accidiſſe, ſed tamen hoc non obſtante cultum Deorum urgebat tanquam maxime profuturum in vita futura. Sequentes libri duodecim exponunt naturam & differentias duarum Civitatum, videlicet Dei & mundi ita ut priores 4. libri utriusque origines & primordia, ſequentes quatuor, earum progreſſus varios, & quatuor poſtremi finem & exitum earum explicent. Caterum in ſingulis libris utriusque partis multis digreſſionibus quæſtiones principales earumque reſolutiones vel illuſtrare, vel lectorem faventem delectare, vel etiam multarum ſuarum lectionum & locorum communium participem facere voluit Auguſtinus. Quorſum pertinent in *libro I.* diſquiſitio, an recte faciant virgines, violentas ſibi manus inferentes, ut ſtuprum violentum evitent? in *libro 3.*

culo quinto ac sequentibus, usque ad

multa historiam belli Trojani illustrantia: in *libro 5.* prolixa confutatio Astrologiæ judiciariæ & doctrinæ de fato, & de singulari Romanorum, etiam Ethnicorum, probitate, quæ tot victoriarum causa fuerit: in *libro 6.* disputatio contra Ethnicorum Theologiam mysticam seu allegoricam, & Theologiam politicam, potissimum ex Varrone & Seneca: in *libro 8.* prolixa commendatio *Platonis* & sectæ Platonicæ præ ceteris Sectis, propter agnitionem veri Dei, quamvis in doctrina de Dæmonibus ab ipsis dissentiat, & *libris duobus sequentibus* multa de divisione Angelorum seu Dæmoniorum in bonos & malos, & de cultu Angelorum contra Ethnicos disputet: in *libro 11.* digressio de Trinitate, variisque creationis mundi circumstantiis: in *libris tribus sequentibus* de multis quæstionibus differentiam status integritatis & lapsus, & hujus historiam exponentibus digressiones variæ: in *libro 15.* de Abele & Isaaco tanquam fundatoribus civitatis Dei, item de Caino & Esavo tanquam autoribus civitatis mundi; de arca Noæ ut figura nativa Ecclesiæ: in *libro 16.* de Noachi posteris, Linguarum confusio-

ne, Hebraicæ linguæ antiquitate, & quod non dentur Antipodes: in *libro 17.* de Historia Regum & Prophetarum & de propheriis, in prophetis & libris Regum, Psalmorum, & Salomonis extantibus, & ad civitatem Dei, seu Ecclesiam pertinentibus: in *libro 18.* de historia præcipuarum Monarchiarum & harum conciliatione cum libris Biblicis, de oraculis Sibyllinis, de libris Maccabæorum, de historia librorum Canonicorum, & versionis 70. Interpretum, de dispersione Judæorum, Ecclesiæ fundatione & persecutione, de Hæresibus & de incertitudine exitus mundi: in *libro 19.* de Philosophorum Ethnicorum omnium ignorantia veri summi boni, ejusque vera explicatione apud solos Christianos quærenda: in *libro 20.* de judicio extremo, mundi restauratione, resurrectione & Jerosolyma cœlesti: in *libro 21.* de exitu civitatis terrenæ, deque suppliciis dæmonum & damnatorum, de æternitate suppliciorum, deque falsis eorum doctrinis, qui statuerunt, Sanctorum intercessiones, Eleemosynas &c. posse cruciatus damnatorum abbreviare: in *libro 22,* de beatitu-

dine

dine æterna & de resurrectione ejusque probatione præcipua per resurrectionem Christi. Judicium de his Augustini libris quod attinet, præmittam integra Dupinii verba *p. 457. Hi Augustini libri mira quadam rerum varietate, quas summo artificio ita dextre ad suum argumentum adoptavit, ut eodem omnia colliment, conspicui sunt. Vulgo in hoc opere Augustini eruditio suspicitur: Quod tamen præter quæ a Varrone, Cicerone, Seneca, cæterisque profanis Autoribus, quorum opera præ manibus omnium erant; præter illa, inquam, quæ ab eis Augustinus hausit, nil fere habet; certe nullum in hoc opere reconditioris ac exquisitioris doctrinæ argumentum extat, quin imo non pauca in eo occurrunt minus accurata. Plerasque difficultates, quas in textum, historiamque bibliorum movet, non satis commode plerumque solvit. Quæstiones itentidem agitat nullius utilitatis, eaque argumenta interdum adhibet, quæ ad persuadendum quod opus est, non multam habere vim videntur. Quæ etsi vera sint omnia, cave putaris, non esse hoc opus excellentissimum.* (Hanc conclusionem fateor me haud quaquam intelligere, nisi Dupinius per excellentiam hic intellexerit excellentiam in mira varietate digressionum, in collectione locorum communium, ex Autoribus, qui sunt

Judicium de hoc libro.

in omnium manibus, in carentia eruditionis; in insufficientibus dubiorum remotionibus; in argumentis nullius ponderis; in propositione quæstionum inutilium &c. hæc enim omnia præcesserant. Neque explicationem hanc meam tollunt verba Dupinii sequentia, utpote quæ nec ipsa conveniunt cum præcedentibus, sed potius ipsis parum apte contradicunt. Ita enim pergit:) *Præ cæteris autem in eo ego miror totius operis egregiam dispositionem ac distributionem, considerationes exactissimas in sententias opinionesque varias, quas in medium adducit; maximique momenti moralis doctrinæ axiomata, quæ passim, ubi datur occasio, adstruit.* Si paulo attentius considero personam Dupinii ejusque statum, firmiter mihi persuadeo, eum ex regulis prudentiæ ita temperasse judicium suum de Augustini civitate Dei, ne nimis irritaret Theologos plerosque suæ religionis, Augustinum maximopere venerantes: Ergo simul credo, censuras hujus operis continere veram mentem Dupinii, (a qua nec ego dissentio,) subjunctas vero laudes excellentiæ adjectas esse in honorem Theologorum Augustinianizantium. Atque in hac sententia me confirmat judicium ejusdem Dupinii, quod de ipsa Augu-

Et de Augustino ipso.

stini

stini persona ejusque indole ingenii de novo profert *p. 495*. Verba integra non apponam, cum & hic laudes & censuræ sint semper commixtæ; sed saltem summam judicii hujus referam. Fuit Augustinus vir vasti & sagacis ingenii, (an & judicii?) magna facultate disputandi, (id est rixandi) præditus, multa in Theologia novans, magnus opinator, acerrimus othodoxiæ defensor; plus ingenii quam doctrinæ habens, miser orator, tautologus maximus, vocibus ludens & verbis analogis &c. Et ita etiam Dupinium intellexit autor *Biblioth. Univ, Tom. 21, Part. 2, p. 11.* Cum tamen Augustini & aliorum Patrum Ecclesiæ adoratores haud dubie Dupinium æque ut alios ipsi similes, de Patribus libere sentientes, odio prosequi & ipsis magis placere soleant inventa pia reverendorum Jesuitarum, adjiciemus in horum gratiam judicium Jesuitarum de Augustino, inter quos viri magnæ autoritatis Augustinum accusarunt, quod in materiis fidei obscuritatem affectet, quod sibi contradicat, quod inconstans sit, & quod sæpe in articulis magni momenti graviter erret. Vide epistolam in *Bibliotheca Selecta Clerici tom. 23. p. 332. seq.* Sed nolo hæc omnia defendere, quæ Augustino objecta

patribus, Augustini fuerit autoritas *dd*) & propagatio consiliorum ejus de

---

hic vides a Jesuitis, sed saltem in judicio de civitate Dei illis consentio, qui statuunt, esse hunc librum ad nihil aliud aptum, quam ad persuadendum incautis sub larva civitatis Christianæ dominatum Clericalem & hæretificationes Laicorum, recta ratione utentium, ejusque genuinum usum in interpretatione Sacræ Scripturæ commendantium.

Rationes, cur totus orbis Christianus fuerit factus Augustinianus.

dd) Causas illas, quod totus orbis Christianus Augustinianus factus fuerit, exposui breviter cum allegatis Doctoribus eas latius probantibus in *cautel. circ. præcogn. Jurispr. Eccles. cap.* 14. §. 11. & 12. Scilicet intuitu Pontificiorum sunt 1.) Condemnatio Pelagii, Papæ invito per Augustinum extorta 2.) Conscriptum ab Augustino Systema Theologiæ, retentum postea & propagatum in Ecclesia occidentali: 3.) Usus terminorum Augustini in conciliis: 4.) Doctrinæ Augustinianeæ de 7 artibus liberalibus propagatio in scholis: 5.) Lombardi & Thomæ Scholasticorum conciliatio Aristotelis cum Augustino: 6.) Lis hodierna

de Republica Christiana prudenter instituenda?

Quomodo consiliis viri optimi ex optima intentione datis abusi fuerint Doctores Ecclesiæ Seculorum sequentium, primo Regum colla Clero, tum Clerum Papæ subjiciendo? An possibile fuerit, tyrannidem, aut, si mavis, Monarchiam papalem stabiliri, si non antea ex doctrinis Platonicis Oligarchia, aut si placet Aristocratia Ecclesiastica fuisset stabilita? 22. (4) *De Papatu Politico in seculis sequentibus stabilito.*

---

na in controversia Jansenistica de vera sententia Augustini. 7.) Allegatio frequens dictorum Augustini in Decreto præ reliquis Patribus. Vide *notas ad Lancell. p. 2040.* Intuitu Lutheranorum 1.) quod Lutherus fuerit Monachus Augustinianus; 2.) quod post reformationem sæpe commendaverit Augustini doctrinam: 3.) defectus subsidiorum historiæ Ecclesiasticæ & genuinæ doctrinæ moralis: 4.) Scriptum Christ. Weisii 1696. publicatum de consensu Augustini & Lutheranorum.

bilita? *ee*) Porro de ortu & progressu

Cur Augustinum virum optimum dixerim.

ee) Antequam ad præcedentes duas quæstiones paucis respondeatur, præsupponendum est, me hoc loco Augustinum appellare *optimum*, non ironice, sed in sensu vero, & ex parte Christiano. Addidi enim statim declarationem, *quia consilia ejus ex optima intentione profluxerunt.* Quamvis igitur *in nota bb.* parum favorabiliter judicaverim de Augustini Civitate Dei, non solum ratione judicii & intuitu intellectus, sed & ratione larvatæ pietatis ibi latentis, hoc tamen non obstante Augustinus intuitu *intentionis* poterit dici vir optimus, quia ex præjudicio autoritatis & præcipitantiæ firmiter sibi persuasit, quod hæretificationes per othodoxos Antecessores suos, potissimum in conciliis Oecumenicis, firmiter stabilitæ, sint inseparabiles a Civitate Dei, id est ab Ecclesia orthodoxa; adeoque revera optimam intentionem habuit. Ejusmodi optimam intentionem habuerunt etiam Pharisæi & primorum Christianorum persecutores, cum ipse Salvator de iis testetur, quod sibi persuaserint firmiter, se cultum præstare Deo *Joh. XVI. 2.* Quod autem porro in textu dixi, quod

Explicatio quæstio-

gressu fatalis illius controversiæ de impe-

quod *consiliis Augustini Doctores seculorum sequentium abusi fuerint, ut Regum colla Clero, tum clerum Papæ subjicerent;* hoc non ita intelligendum, quasi demum ab Augustini tempore Regum colla Clero, & clerus Papæ fuerit subjectus, contrarium enim docet historia Ecclesiastica & quæ jam supra *nota bb.* ex illa sunt breviter adducta, sed quod illa subjectio Regum & cleri post Augustinum in singulis seculis noviora augmenta sumserit, & quod ad illa augmenta justificanda ob magnam autoritatem Augustini in nota præcedente demonstratam, multa loca non solum ex aliis Augustini libris, sed etiam ex ejus Civitate Dei haud dubie fuerint adducta. Quænam vero peculiares circumstantiæ in singulis seculis occasionem istis augmentis dederint, videri possunt apud scriptores historiæ Ecclesiasticæ, præcipue apud Spanheimium, Arnoldum, Mornæum, Heideggerum. Confer *Cautel. circa præcogn. Jurispr. Eccles. cap. 15.* Quæ porro in textu *de origine monarchiæ Papalis* dixi, ea non opus habent ulteriori declaratione, postquam ea de re circumstantiæ præcipuæ jam fuere indicatæ *dicta nota bb.*

num duarum in textu.

imperio & regimine inter Imperium & Sacerdotium usque ad tempora Reformationis; *ff*) de neglectu

Contenta historiæ contentionis inter imperium & Sacerdotium.

ff) Cum hoc ipso anno ediderim *Historiam contentionis inter Imperium & Sacerdotium* cum duplici appendice, non opus est, ut in repetendis ibi dictis hic sim prolixior, sed sufficit, si saltem duobus verbis indicavero ordinem ibi dictorum. Postquam præmisissem monita circa genuinum conceptum sanæ & perfectæ Reip. *in cap. 1.* & fontem aberrationis *cap. 2. & 3.* quærendam esse ostendissem in seculo statim primo & secundo, & progressum inter Christianos usque ad seculum octavum distincte notandum esse: porro *cap. 4.* varia monita dedissem de rite formando statu controversiæ & de controversiæ ipsius seu morbi vera origine, tum *cap. 5.* docui veram originem collisionis inter imperium & sacerdotium referendam esse ad tempora Anastasii Imperatoris in seculo 6. & simul paucis ostendi progressum ejus seculo 7. & 8. usque ad tempora Caroli Magni: reliqua vera hujus contentionis augmenta in seculo nono usque ad decimum sextum monstravi in *cap. 6. & sex sequentibus* usque ad finem libri.

ctu doctrinæ Politicæ in primis Europæ Academiis, etiam post ibidem introducta Studia universalia; *gg*) de

gg) Ad hoc thema intelligendum opus est, ut quis bene informatus sit de origine & progressu Scholarum & Academiarum præcipue post Papatum jam firmatum in Italia, Gallia, Germania. Ubi quidem optandum esset, ut eruditi jam dudum rejectis præjudiciis exactam historiam hujus thematis edidissent, sed cum eam adhuc expectemus, sufficiet jam ut lectorem paucis remittam ad *integrum cap. 4. Hist. jur. natur. & cap. 3. de prudent. consultat.* ubi plura inveniet, ea quæ hic in oratione posui, declarantia. Præcipue autem notanda sequentia. Olim in schola Parisiensi, & in aliis similiter, docebantur septem artes liberales, tres sermocinantes, Grammatica, Rhetorica, Logica, & quatuor mathematicæ, (unde nomen trivii & quadrivii) & quidem secundum ductum doctrinæ Augustini. Cum vero Petrus Abælardus etiam Aristotelem vellet introducere, graviter ei restiterunt Professores, (qui tum Scholastici, uti studiosi Scholares nominabantur) donec discipulus ejus Petrus Lombardus systema Theologicum ex Aristotele componen-

Academiarum origo & progressus.

de falſiſſimis doctrinis politicis ante Refor-

ponendo, & ſic monſtrando, quod Ariſtotelis doctrina æque ac Platonica per Auguſtinum propagata magis prodeſſet Clericali & Papali eminentiæ, quam ut eidem noceret, obtinuiſſet approbationem Papalem, & ſic incipiebant in Scholis duæ facultates, una Philoſophiæ & 7. artium liberalium, altera Theologiæ. Qui primam docebant, dicebantur Magiſtri, qui ſecundam Magiſtri noſtri. (Neq; enim Doctorum titulus tum erat receptus.) Succeſſu temporis cum contentio inter imperium & ſacerdotium in maximo motu eſſet, & quidam Magiſtri in Italia ex jure Juſtinianeo, quamvis ſatis inepte, jura Cæſarum contra Papam defendere aggrederentur, Cæſares autem hos elevarent ad dignitates aulicas, oriebatur tertia Facultas, juris Civilis, cui mox Papæ addebant quartam facultatem, tertiæ oppoſitam, ſcilicet juris Canonici, donec paulo poſt Imperatores in contentione illa cum Papis plane ſuccumberent, & Papæ cognoſcerent, jus Juſtinianeum magis ſtabilire dominatum Eccleſiaſticum, quam Imperatorum jus genuinum circa ſacra, & ita ex duabus facultatibus antea oppoſi-

Reformationem in Universitatibus & Academiis ex principiis parum sanis Juris Canonici propagatis. *bb*)

De

---

positis efficerent unam facultatem juris utriusque, totam a Papis dependentem: Medica facultas videtur ultima esse in ordine, cum Physici, videntes libros Physicorum Aristotelicos nihil prodesse ad cognoscendos & curandos morbos, Galenum propterea Aristoteli jungerent, & postea pedetentim a Papis confirmarentur, & æque, ut JCti in Jurisprudentia, peculiares Doctores in Medicina creare inciperent. Adde omnino *notam 116. ad Testamentum ab Osse p. 256. item notam 168. p. 375.* Quod in specie *Politicam* attinet, patebit ex historia Academica, primos Aristotelis introductores in Academias magis sollicitos fuisse de Aristotelis Dialectica, Metaphysica & Physica introducenda, quam de Philosophia Practica: Tandem tamen etiam professionem Ethicam admiserunt, at Politicam nequaquam. Rationes vide in locis modo citatis, & eas facile etiam colligere poteris ex hactenus notatis de Politica Clericali.

Neglectus Professionis Politicæ.

bb) Falsissimas has doctrinas Politicas ad summa earum capita reduxi *in*

Summa capita falsæ doctrinæ Politicæ.

§. 1.

23. *(5) De crassis hujus Papatus Politici reliquiis apud Protestantes*

De neglectu emendationis hujus Capitalis nævi Studiorum in Academiis Principum protestantium etiam post tanta temporum a reforma-

---

§. 1. *præfat. ad Histor. content. int. imp. & sacerd.* Nimirum duplicem esse potestatem in sacris, unam externam, quæ etiam regibus competat, alteram internam, quæ Ecclesiæ i. e. Clero, Episcopis, Papæ: Cavendam esse mixturam hujus duplicis potestatis, tam Papo-Cæsariam, si Papa velit potestatem etiam externam sibi vindicare, quam Cæsaropapiam, si Cæsar potestate interna velit uti. Quodsi autem Cæsares sint nutritii Ecclesiæ, & cum sancto Constantino M. profiteantur, se saltem esse Episcopos extra Ecclesiam, & permittant Papæ aut Episcopis, ut pro lubitu exerceant hæretificationes vi potestatis illius internæ, ipsi autem tum ut brachia secularia exequantur eas, tum nullam esse contentionem inter Imperium & Sacerdotium, sed optimam harmoniam. Nec objiciendum esse, brachium non manere caput, & executionem coactam non esse potestatem externam, sed internæ potestatis ancillam: probe enim tenendum esse, quod in concursu harum dua-

formatione spatia; *ii*) De conti- *ad nostra* nua- *tempora.*

duarum potestatum, externa, utpote temporalis, debeat cedere internæ tanquam spirituali & divinæ &c. Falsitatem horum principiorum breviter detectam vide in *Appendicis Cap. 1. §. 57. & 58. p. 455. seq.* Porro, quod concernit principia parum sana juris Canonici, quorum simul hic memini, operam dedi *in notis ad Lancelottum*, ut istorum principiorum præcipua reducerem ad quatuor distinctiones fundamentales Juris Canonici, spiritualitatis nomen crassissime applicantes ad entia sensibiliter corporalia, 1) intuitu personarum, 2) intuitu rerum 3) intuitu causarum judicialium & processus, 4) intuitu pœnarum, cum vel asina Bileami percipere possit, si non omnes, plerasque tamen illas personas, res, causas & pœnas esse corporales, visibiles, temporales aut Politicas, vel quomodocunque alias appellare illas velis.

ii) Causæ hujus neglectus sunt variæ, præcipue intuitu facultatis *Theologicæ* retentio hæretificationis occasione dissensus de cœna; propagatio orthodoxiæ Scholasticæ; reviviscentia Theologiæ mysticæ; nimia, & plus quam apostolica,

Causæ præcipuæ non emendatorum errorum Politicorum.

nuatione litigii inter Sacerdotium & Imperium etiam in terris populorum Evangelicorum utriusque religionis, & de variis, post antiquam

---

stolica, autoritas Lutheri; intuitu *Juridicæ*, continuatio & defensio errorum illorum omnium, qui in nota præcedente recensiti fuere, tam Politicorum, quam Canonicorum, tam per Professores juris Civilis, quam Canonici; intuitu *Philosophicæ* carentia professionis Politicæ, propagatio philosophiæ Aristotelicæ per Melanthonem; adjectio Professionis Politicæ, in temporibus subsequentibus, ut caudæ, professioni Ethices, explicatio Politices ex libris Aristotelis insufficientibus: denique intuitu omnium harum *Trium Facultatum conjunctim*, quod Theologi, JCti, & Philosophi distinctiones illas quatuor juris Canonici, & duas illas species potestatis circa sacra, internæ & externæ, communi consensu hucusque defenderint, eas canonizaverint, & dissentientes conjunctis viribus persecuti fuerint &c. Conf. Histor. *Jur. natur. cap. 5. notas* ad Testamentum ab Osse *passim, potissimum notam 160. p. 345. junct. not. 148. p. 319.*

quam collectionem Goldasti in tribus magnis voluminibus de Monarchia Imperii, variorum scriptis huc pertinentibus; *ll*) de cura palliativa reliquiarum politicarum ex Papatu per doctrinas Autorum Pontificiorum, Monarchicum Imperium Papæ auferentium, sed Aristocraticum Clero relinquentium, ut

ll) Quod continuationem litigii hujus post reformationem attinet, de ea egi in *Append. ad histor. content. cap. 2. §. 4. 13. 17. & 21.* ubi etiam de dissidio inter Protestantes actum. Scriptores de hac contentione a Goldasto in tribus Voluminibus de Monarchia Imperii recensitos excerpsi, addito meo de singulis judicio, in *ipsa Historia contentionis cap. 7. §. 74. c. 8. §. 77. 81. 82. 83. cap. 9. a §. 91. ad §. 125. item integro cap. 11. a. §. 152. ad 180. item cap. 2. Append. § 88. 89. 90. 96.* De Scriptoribus Lutheranis & Reformatis litigium illud continuantibus & laudantibus vel impugnantibus *vide dict. append. cap. 2. §. 91. 97. 98.* de quorum præcipuis jam in appendice cap. 1. paragraphis in *d. §. 97. & 98.* indicatis prolixius actum erat.

Continuatio litigii & scriptores eo pertinentes.

ut Marci Antonii de Dominis, Petri de Marca, & similium; *mm*) de doctrina Politica & arte sapienter impe-

Notabilia de M. A. de Dominis & P. de Marca.

mm) Cum etiam de Marco Antonio de Dominis & de Petro de Marca jam mentem meam satis aperuerim in *Historia contentionis*, sufficiet & hic loca illa indicasse: De controversia inter Scholam Sorbonicam & M. Anton. de Dominis vide *Append. cap. 1. §. 9. p. 323.* In *§. 14. 15. 16. p. 331. seq.* collegi notabilia ad vitam & fata M. A. de Dominis pertinentia una cum collatione Jægeri cum Boccalino, & addita differentia inter hypothesin Richerii & M. A. de Dominis. Quod Petrum de Marca attinet, notavi *cap. 1. Append. §. 7. p. 310.* Autorem anonymum de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ non sine ratione Petrum de Marca tepiditatis & partialitatis der Achselträgerey accusasse, porro *§. 11. p. 325. seq.* narravi varias circumstantias memorabiles ad opus ejus de concordia imperii & sacerdotii pertinentes, addito *§. 12. p. 328.* Culpisii judicio de Petro de Marca, ut & meo, & denique *cap. 2. §. 99. p. 658.* dixi de Illustr. Böhmeri observationibus selectis ad Petrum de Marca.

imperandi sub tenebris adhuc sepulta, etiam post tot Professiones Politicas Academicas, *nn*) & post tot

nn) Hic ante omnia opera danda, ut illa, quæ hic in textu sequuntur, breviter expediantur, inprimis cum partim jam supra pleraque, quæ hic notari merebantur, jam fuerint expedita, partim cum & ab aliis, & a me ipso alibi fusius de iis actum fuerit. Quod primo asserui, doctrinam Politicam & artem sapienter imperandi huc usque sub tenebris esse sepultam, rationes jam supra indicatæ sunt: 1, Quia Politica opera Aristotelis, quæ ubique in Academiis hactenus regnarunt, fuere imperfecta, insufficientia & inutilia, vide *not, s. circa finem.* 2. Quia totus mundus Augustinianus factus, & Rempublicam Platonicam & Civitatem Dei clericalem ut ideam perfectæ Reip. supposuit. vide *notas n, o, r, cc. dd.* 3. Quia Professio Politica ob rationes arcanas Cleri in Academiis plane fuit neglecta, nec postea cum inciperet, in Academiis Lutheranorum, appendix Professionis Ethicæ fieri, ob præscriptam ei normam ex Aristotele sumendam, non potuit de sana Politicæ emendatione cum fru-

Cur hactenus doctrina Politica manserit sepulta.

tot volumina operum Politicorum Bodini, Besoldi, Arnisæi, Knichenii *oo*) & post Klockii, Fausti ab

ctu cogitari. vide *notas Ossianas & quidem notam 160. p. 345. seq.* 4. Quia communi consensu eoque maxime erroneo de emendanda Republica consilia suppeditata fuerunt, ab omnium facultatum eruditis, aperte inepta & sensui communi repugnantia, paucis, sed perspicue, indicata in *Observat. Osseana 144. p. 304.* Fundamentum hujus stulti erroris est, quod Aristotelici Politici firmiter sibi & aliis persuaserint, nævos civium emendari omnium optime per leges, & ab his etiam dependere exemplorum virtuosorum frequentiam, nævos autem imperantium tolli, si cœcam obedientiam præstent Clero, &c.

Judicia de variis scriptis Politicis.

oo) Porro, quod tot & tanta volumina operum politicorum attinet, jam supra *nota s.* adduxi ex Conringio judicia de scriptis *Politicis*, Lipsii, Richteri, a Chokier, Danæi, Tholosani, Bodini, Arnisæi, Althusii, Hœnonii, Clapmarii, Boxhornii, Cellarii & Conzenii, quæ etiam ibidem approbavi. Jungendi Conringio sunt Naudæi *Bibliographia Politica* & Bosii *introductio ad notitiam rerum*

ab Aschaffenburg, aliorumque similium

rerum publicarum ubi de pluribus scriptis Politicis, potissimum vero de hactenus recensitis autoribus deprehendes judicia Naudæi & Bosii nonnunquam a judicio Conringii discrepantia. Ita ut in specie ad Autores pergam hic in textu memoratos, judicium Naudæi de Bodini opere de Rep. quod Conringio supra displicuit, invenies in *Bibl. Polit. cap. 5. §. 29. seq. p. 513. seq. in Consil. Varior. Autorum a Crenio 1692. editis.* At Bosii *in d. introd. c. 5. §. 11. p. 71.* magis cum Conringii & meo judicio convenit: *Bodini*, inquit, *magna in peculiaribus imperiis describendis industria, etsi non æquum satis semper judicium fuit.* Quid Camdenus, Meibomius, Rachelius, Bœclerus, Piccardus aliique, & ipse Crenius in Bodino desiderent, vel commendent vide in Crenii *notis ad d. cap. 5. Naudæi p. 513. 515.* &, quem Crenius hic exscripsit, in Quenstedt *dial. de patr. illustr. vir. p. 46.* ex cujus *p. 514.* & ex illis, quæ ibi memorat Crenius, de frequenti disputatione Bodini contra Aristotelem, suspicari licet, plerosque qui Bodinum contemnunt, ad hunc contemtum præcipue fuisse commotos,

In specie Bodini,

 motos,

motos, quod Bodinus ausus fuerit, Aristotelem per multa secula a Scholasticis & Monachis, imo etiam novissimis temporibus a Protestantibus pro Sole Politicorum unanimiter habitum, non adorare, sed contra eum disputare & eum refutare velle; cum tamen Bodinus intuitu hujus circumstantiæ magis videatur commendandus esse, quod primus voluerit Politicos ab hoc jugo plusquam pedantico liberare, etsi forte in disputationibus istis; non ubique rem acu tetigerit. Pergo ad *Besoldum*, qui Politica sua opera duodecim libris seu voluminibus Politicis inclusit, quorum singula peculiares dissertationes continent. In *primo* proponit præcognita politices, de differentia divinæ & humanæ sapientiæ, de differentia Philosophiæ & ad quam Philosophiæ speciem Politica sit referenda, de origine, scopo, fine civilis societatis, quod felicitas civilis non nisi per imperandi & parendi rationem impetretur, an & qualis futura fuisset Respubl. in statu integritatis, de fine imperiorum & imperantium, de definitione Reipublicæ, de Politici & Politicæ definitione ac methodo. Sequitur dissertatio de curanda Rep. ubi agit de rerum publicarum interitu, & de causis ruinarum,

Besoldi, præmissa Synopsi ejus Politicæ.

rum, fato, astris, numeris Platonicis, de Geniis imperiorum, de varietate morborum politicorum, de præsagiis ruinæ rerumpublicarum, de cura morborum politicorum & denique de tyrannicidio & morbis specialibus singularum formarum Reip. *Volumen II.* agit (1) de majestate in genere, partim reali, partim personali, de potestate temporali Pontificis, de potestate imperatoris in alios reges, de jure Regis apud Samuelem. (2) de jure Majestatis Ecclesiastico in personas ac bona Ecclesiastica, item in hæreticos, quatenus id Principi intuitu ipsius religionis & cultus religiosi competat, (3.) de juribus Majestatis Politicis, legum ferendarum, magistratuum constituendorum, dispensandi, puniendi, belli, regalibus fisci & horum jurium concessione & translatione; (4) De statu reipubl. mixto, an detur, an & quænam sint ejus exempla, an extet in imperio Romano, in regno Polonico? &c. In *Volumine III.* agit (1) de formis Rerumpublicarum, Monarchia, Aristocratia, Democratia & harum singularum speciebus diversis; (2) Occasione statuum Reipubl. subalternorum de Comitibus, Baronibus, civitatibus imperialibus, & Equestri ordine, ex professo prolixe di-

ſputat, item de jure mutandi religionem, & an Principes Germaniæ pro lubitu teſtamenta condere queant; (3) de comparatione trium illarum formarum Reipublicæ & quænam ex illis ſit optima, adjuncta diſſertatione hiſtorica de veteribus & novis Chiliaſtis. *IV. Volumen* diſputat de natura trium Societatum domeſticarum, Conjugalis, Paternæ & Herilis, & de jure ac ordinibus civium, incolarum, advenarum, nobilium, ignobilium, qua occaſione multa de Judæis affert, & de eorum converſione ad Chriſtum. In *V. Volumine* explicat diviſionem & naturam rerum communium, publicarum, univerſitatis, privatarum, divini juris, agit etiam de juribus Familiarum, Collegiorum, Academiarum, Univerſitatis, Territoriorum. In *Volumine VI.* diſſerit de educatione, ſtudiis literarum, præmiis, pœnis, legibus, Magiſtratibus, Cenſoribus morum. In *Volum. VII.* nova editio ſiſtitur diſcurſus de ærario publico, in certa quidem capita diviſi, ſed quibus nulli tituli ſpeciales ſunt præmiſſi. In *Volumine IIX.* diſputat (1) de variis vitæ generibus, agricultura, pecuaria, de pretio rerum, de cauſa caritatis in abundantia, contra otioſos & decoctores, an liceat cibum

ex

ex ſanguine conficere? de uſura & annuis reditibus ex utroque jure: (2) de cura ſanitatis & hujus occaſione de medicina, medicis, medicamentis ac morbis, de peſte ejusque fuga & politica curatione: (3) de ſepultura & ejus moralitate, quomodo & ubi mortui ſint ſepeliendi, item de ritu & ſumtibus funerum, & de ſpectris circa ſepulcra oberrantibus. In *Volumine IX.* agit (1) de Legatis, eorum neceſſitate, definitione, diviſione, jure mittendi, receptione & ſecuritate, privilegiis, officio: (2) de præcedentiæ & ſeſſionis prærogativa, cum exemplis controverſiarum, & earum fundamentis, de præcedentia & jure der Erb- und Hoff-Aemter, (3) de jure pacis: an, & quando, quomodo, a quibus, facienda ſit & fieri ſoleat, quænam item ſint privilegia pacis & jura ſingularia, denique de interpretatione, interitu & fractione pacis: (4) De arcanis Rerumpubl. tam communibus quam cujusvis politiæ ſpecialibus, de flagitiis dominationis & de ſimulacris imperiorum. *Volumen X.* exhibet diſputationes de fœderum utilitate, licentia, definitione, perſonis contrahentibus, conditionibus (ubi & de fœdere clientelari) & modis ſanciendi

& firmandi, duratione, modis solvendi, denique de neutralitate. In *Volumine XI.* sistit dissertationem de arte jureque belli, scilicet in pace cogitandum esse de bello; tum agit de militibus tam domesticis quam extraneis, de ducibus, armis, annona, fortificatione, rationibus belli gerendi, de disciplina bellica, de prædatione, obsidione, pugna, victoria &c. Denique in *Volum. ult.* tractat de incrementis Reipublicæ tam in genere quam in specie de ædificiorum splendore, & de amplificatione seu incremento externo, de pacifica & voluntaria imperii amplificatione, de extensione territorii violenta, de coloniis, castellis, quibus inserta etiam sunt conjectanea de novo orbe. Ideo autem paulo distinctius exhibui contenta hujus operis politici Besoldiani, ut lector eo facilius judicare possit de judicio meo de Besoldo & ejus opere. Scilicet placet valde, quod & Besoldus se non allegaverit ad Aristotelem & Aristotelicos, (Inter alia enim *Volum. VI. p. 23.* ægre fert, quod fere ubique regnet solus Aristoteles,) quodque magna cum diligentia collegerit materias jucundas & utiles in doctrina Politica, de quibus alias Aristotelis asseclæ raro, vel obi-

ter

ter a gere solent; item quod placide soleat disputare & doctrinas suas proponere. Contra displicet, quod totum hoc opus contineat non meditationes proprias Autoris de singulis materiis sed collectanea, absque judicio conscripta, male cohærentia, frequentibus digressionibus adhuc magis confusa, ac passim præcepta communia Politica cum doctrinis Juris publici Germanici in specie miscentia, & quod adeo in toto hoc opere deprehendatur multa diligentia, magnum ingenium, sed exiguum judicium. Sed tamen propterea nec sic contemnendus est Besoldus, sed potius ostendendum, quod fuerit homo sincerus, diligens, & ad minimum locos communes Politicos exhibens, ac denique seductus nimio amore Philosophiæ Platonicæ & Theologiæ mysticæ, cum stultitiam Philosophiæ Scholasticæ & nugas Aristotelicas ex justis rationibus fugeret & evitare studeret. Ingenuitatem probo per propria Besoldi verba, dum in *Volum. XI.* fatetur disertis verbis: *se obvia quæque pro Philologica libertate selegisse, omni sine studio & ira, ac etiam sine methodo ulla.* Et quamvis hæc ejus confessio pertineat saltem ad istud volumen de arte & jure belli, tamen collatio hujus cum reli-

quis

quis oſtendit cuilibet eandem deprehendi methodum & libertatem Philologicam etiam in illis; confer & Beſoldi *præfationem generalem* omnibus 12. voluminibus præmiſſam. Quod vero in ſectam Platonicam & Stoicam lapſus fuerit, probatur iterum ex ejus confeſſione *d. Vol. VI. p. 23.* unde non mirandum, quod ſtatim in *Volumine I. ab initio* & paſſim etiam in reliquis, theologiam myſticam tantopere commendet, & loca frequentia ex ſcriptis Arndii, Tauleri, Eccardi, Weigelii & aliorum myſticorum, adducat & approbet, & non ſolum comunes eorum doctrinas quamvis erroneas ſequatur, ſed & locutionibus ſingularibus utatur faſtum ſubtilem occultantibus. Ita *Vol. 6. p. 15.* ſaltationes damnat & diabolicas vocat, ſecutus tales myſticos, cum vero diſſentientibus, quos plures allegat, rationibus reſpondere debuiſſet, nihil aliud affert, quam quod dicat, diſſentientes odio agitari non ratione. Ibid. *p. 23.* dicit alia occaſione, quod patienter ſuſtineat vanitatem ex Babylone reliquam, quæ phraſis Phariſaica Myſticis communis eſſe ſolet, Et credo etiam hanc deficientiam judicii, & nimiam æſtimationem Theologiæ Platonico-Myſticæ, etſi non præcipuam, tamen unam ex

præci-

præcipuis, fuiſſe, cur Beſoldus a Religione Evangelica ad Papatum tranſierit, quamvis in cauſis Anno 1637. in peculiari ſcripto Germanico ab ipſo edito, tredecim peculiaribus capitibus indicatis, ſed craſſe monachalibus & Jeſuiticis, non extet. Et quid ulteriori conjectura opus erit, cum ipſe Beſoldus id fateatur in *dedicatione illius opuſculi*):(4. In ſpecie, quod ejus doctrinam de arcanis Rerumpublicarum in *Volumine nono* attinet, videtur ea adhuc magis inutilis & judicio deſtituta eſſe quam doctrina Clapmarii, de cujus arcanis præter judicium Conringii jam ſupra adductum, vide quæ dixi in *obſervat. Oſſeana 39. p. 84.* Hactenus de Beſoldo. Reſtant Arniſæus & Knichenius. De priore quæ addam cenſuræ Conringii ſupra adductæ non habeo. Quod autem *Knichenium* concernit, prodiit hujus opus Politicum Anno 1682. in forma majore: ubi ſtatim vel ex titulo apparet, quid de eo judicandum ſit; dum autor aſſerit, ſe omnes ad doctrinam Politicam & Jus publicum Germaniæ ſpectantes materias exactisſime exhibuiſſe. Exactitudo autem illa in eo conſiſtit, quod ſtatim adjiceat, ſe ex optimis antiquioribus & recentioribus diverſarum nationum Politicis, Hiſtori-

& denique Knichenii.

ſtoricis, JCtis, & Rei Militaris ſcriptoribus, Philoſophis, Oratoribus, Poëtis, Geographis, Chronologis, Antiquariis, Criticis, Lexicographis, Genealogis, uti etiam occaſione data ex ſacris literis ac Patribus, aliisque Theologis diverſarum religionum, nec non medicis *juſta methodo*, ſummaque cura & longa induſtria ac experientia, uti etiam optima allegatorum locorum & Autorum fide iſtud opus ita concinnaſſe, ut congruis in locis *nucleus* maxime celebrium quæſtionum, hiſtoriarum; antiquitatum, exemplorum, ſententiarum, apophthegmatum, Axiomatum, Apologorum & ſimilium inſertus reperiatur. Scilicet optarem, ut (1) magis ex dictamine rectæ rationis ſuas doctrinas deduxiſſet, quam ex autoritatibus ſcriptorum adductorum, (2) ut non adhibuiſſet methodum Scholaſtico Metaphyſicam per quatuor cauſarum genera, adjuncta, contraria &c. (3) ut meliori cum judicio non exhibuiſſet mera putamina quæſtionum Politicarum ſed verum earum nucleum. Paucis, totum opus eſt, ſi termino Gallico hic uti liceat, tædioſisſimus galimatias Politicus, nemini qui vel aliquo judicio pollet, profuturus. Ut taceam Indices ab homine ſtupidiſſimo fuiſſe confe-

confectos, quod statim patet, si quis saltem consideret eorum initium, ubi plurimæ quæstiones sub aliis longe titulis collocandæ, ad titulum vel vocem AN sunt relatæ. Confer ea, quæ jam notavi in *observ. Osseana 160. p. 346.* Quodsi hoc meum judicium tibi non placeat, poteris cum eo conferre *acta Eruditorum anni 1682. p. 252.* & tentare, an tibi ea, quæ ibi reperies magis arrideant. Interim cave, ne putes propterea Knichenio esse irascendum, quod impar plane ad edendum opus vere Politicum ausus fuerit, tot & tantas ineptias in publicum protrudere. Habuit optimam intentionem, utile juventuti ad studia politica opus edendi: methodo usus est, quæ tum temporis in omnibus quatuor facultatibus regnabat, & dominabatur; (conf. *Præfat. meam, notis in Strauchium præmissam:*) Didicerat hanc methodum a Wendelino præceptore suo, ut ipse fatetur in præfatione: putavit secundum communem illorum temporum persuasionem, peccare eruditos contra quartum præceptum, si a doctrinis Præceptorum suorum etiam in re minima dissentirent: imo ipse Wendelinus, insuper Doctor Theologiæ & Rector Gymnasii, imo affinis Knichenii fuerat, & hac me-

thodo

milium Consilia pro ærario. *pp*)
Utrum

---

thodo ipse in doctrina politica erat usus: Forte etiam theses ipsæ a Wendelino in Gymnasio auditoribus in calamum dictatæ erant, quas Knichenius postea auxit, & notis prolixissimis, instar commentarii ornare voluit. Indicem non ipse fecit, nec revidit, sed hic defectus est bibliopolæ imputandus, ut facile judicare licet ex querelis Autoris in præfatione de vitiis typographicis: nec diffident adeo a nobis acta Eruditorum, ut in quibus commendatur industria Autoris, & quod opus varietate rerum singularium insigne sit, & methodus a Præceptore ipsi commendata.

Consilia variorum de ærario, cum judicio.

pp) Habemus quidem varia variorum Autorum consilia pro ærario, sed hi omnes nullius sunt usus, sed potius summam confusionem in rebus publicis, potissimum monarchicis, hactenus introduxerunt. Cum tamen jam alibi ea de re prolixe satis mentem meam aperuerim, remitto lectorem ad ibi dicta, intelligo autem *observationes Osseanas, & quid. obs. 37. p. 78. obs. 39. p. 81. obs. 41. p. 96. & obs. 76. p. 152.* Ut tamen lector simul intelligat, quid ibi do-

Utrum spes sit, hunc defectum tandem

docuerim, indicabo saltem summam ibi dictorum. In *observ. 37.* fusius ostendi, quod consilia cameralia requirant eorum occultationem, adeoque sine summa imprudentia fieri nequeat, si quis eadem vellet publice proponere: neque enim generalia illa & communia de quibus nullum restat dubium sufficere, qualia sunt (*obs.39*) fiducia in Deum & genuinus usus divitiarum, item cautio, ne bona ad ærarium destinata, diminuantuur, sed potius, ut singulis annis augeantur & ne princeps majores impensas faciat, quam bona ærarii permittunt; interim tamen non deesse observationes politicas ex regulis prudentiæ evidenter deducendas, quamvis communiter neglectas, aut per arcana Cleri impugnatas, quarum ope onera ad augendum ærarium imponi possint subditis non murmurantibus nec invitis, de quibus egi *observ. 41.* Dixi etiam sententiam meam de variis autoribus, eorumque consiliis pro ærario, & quidem, quod *Maximiliani Fausti ab Aschaffenburg* consilia pro ærario

 arti-

dem aliquando emendatum iri, & quænam

---

attinet, monſtravi *in obſerv. 39. p. 85. ſeq.* Autoris impudentem & imprudentem audaciam, lectorem decipiendi collectione hac, ne micam quidem judicii indicante, libellorum & obſervationum partim tolerabilium, & laude quadam non indignarum, partim ſtultarum & ridicularum (exemplo *Claſſis I.* de ærario primi Adami & ſucceſſorum) & quidem confuſa & cum plagii literarii ſingulari exemplo conjuncta. Deinde *p. 88. ſeq.* de *Klockii* volumine de ærario notavi, eum quidem eſſe & ob ordinem & ob modum tractandi Fauſto ab Aſchaffenburg longe præferendum, ſed tamen eum laborare communi vitio, colligendi ex aliis autoribus novum aliquod opus non optime cohærens, nec lectorem erudiens. Magis mihi placuit *Wilhelmi Baronis de* Schröters Fürſtliche Schatz- und Rent-Cammer, cum hic magis ex proprio ingenio, quam ex aliorum ſcriptis meditationes ſuas Politicas, & quidem plerumque in recta ratione fundatas, & ſenſui communi appropinquantes, lectori exhibuerit,

unde

quænam impedimenta hactenus doctrinæ illi obfuerint, ac quomodo eadem sint removenda? *qq*)

De

unde & maxime notabilia inde excerpsi *observ. 76. p. 153. seq.* & quod post eum alii etiam ei similes vitulo ejus arare tentaverint, animadverti. Inter quos est *Autor Anonymus* der Fürstlichen Macht-Kunst, oder unerschöpfflichen Gold-Grube, qui & ipse magis ex sensu communi, quam ex Aristotele, Platone, Justiniano &c. consilia sua depromsit. Conf. *d. observ. 41. p. 99. seq.* & adde quæ jam olim in denen Monathl. Gedancken *mense Februario 1688. a pag. 118. ad pag. 162.* de consilio introducendæ Accisæ universalis in utramque partem ratiocinatus sum.

qq) Quemadmodum impedimenta genuinæ doctrinæ Politicæ ex hactenus dictis sua sponte fluunt, scilicet, autoritas Platonis & Aristotelis, insufficientia operis Politici Aristotelis, disputationes super quæstionibus inanibus & inutilibus, v. g. de optima Republica ideali & phantastica, de præstantia Monarchiæ vel Aristocratiæ vel Demo- Emendatio doctrinæ Politicæ.

Democratiæ; (conf. *not. 21. Osseanam p. 49. & not. 26. p. 60.*) ita remotio horum incommodorum facile quidem intelligitur, quod sit abjectio præjudicii autoritatis, & dominatus vel Platonici, vel Aristotelici, vel cujuscunque alii, item usus genuinus intellectus in comparanda vera cognitione veri boni, (conf. *cap. 1. cautel. circa præcogn. jurisprud.*) fuga quæstionum inanium & abstractarum &c. Sed tamen simul & illud notandum, quod hæc mutatio non subito introduci possit, & cavendum a stultitia communi, emendationem morum per leges introducere intendente. Exemplis opus est; libertate Academica opus est; rereliqua expectanda sunt a providentia divina. Interim non desperandum est, cum jam emendationem hanc Politices tentaverint quidam ex JCtis, ad quos præcipue hanc emendationem pertinere docui in *cap. 3. de prudent. consult.* Jam anno 1689. edidit celeberrimus JCtus Hertius *elementa prudentiæ civilis*, quæ postea longe auctiora publicavit anno 1702, in quibus communem nævum

Hertii Elementa politica.

vum

docuerint, quod Christianus non possit

vum Politicorum Aristotelicorum & ipsius etiam operis Aristotelici emendare aggressus est, proponendo singularum Reipublicæ formarum communia mala & remedia *integra parte 2.* quam ob causam etiam hæc elementa commendavi in *observat. Osseana 160. p. 345. seq.* eaque scriptis Politicis Conzenii, Arnisæi, Besoldi, Reinkingii, Bodini, Lipsii, Knichenii, prætuli, quamvis simul indicaverim, quod in iis nonnulla desiderem, etsi ea specialius ibi non expresserim: Sunt autem sequentia: 1. Mos communis illorum temporum fundare doctrinam Politicam in autoritate aliorum, non vero tentandi ut aliquid proferretur ex ingenio proprio. 2. Nimius amor Aristotelis, qui ab autore statim in præfatione omnibus qui Politica scripserunt, antefertur *conf. Part. 2. Sect. 6. §. 4. p. 113.* 3) Nimius amor similis erga Autores veteres tam Græcos quam Romanos, puta Ciceronem, Euripidem, Lactantium, Platonem, Plutarchum, Pythagoram, Senecam, Stobæum, Strabonem, Tacitum, Theophrastum, nisi

possit gerere magistratum. An in

quatenus ab Aristotele dissentiunt: vide *indicem sub his vocibus*: 4) Idem defectus deprehenditur erga autores noviores, quod indistincte refutet eos, aut ab iis dissentiat, quoties non sentiunt cum Aristotele, quamvis alias id in eo commendari mereatur, quod excerpserit notabilia ex multis scriptoribus selectis noviorum temporum, maximam partem celebribus, puta Arnisæo, Becmanno, Besoldo, Bodino, Bœclero, Bosio, Boxhornio, Claramontio, Conringio, Gassendo, Grotio, Hobbesio, Hubero, Ludolpho Hugone, Mevio, Obrechto, Præschio, Pufendorffio, Schiltero, Sigonio, Strauchio, Suarezio, Suavi, Thuano, Ubbone Emmio, Vossio, Zevecotio &c. 5) Nimis idealiter disputat de optima Rep. *Part. 2. sec. 2. p. 29. seq.* & quidem postquam jam in sectione 1. docuerat, quænam respublicæ pro morbidis essent habendæ. 6) Remedia, quæ contra mala Rerumpublicarum suppedidat, plerumque consistunt in præceptis oppositis, aut quæ non possunt prudenter & cum successu statim in rempublicam introduci

in hos & similes errores gladio animadvertendum sit prudenti magistratui, quamdiu doctrina Politicæ genuinæ in Academiis non est stabilita? *rr*) De hæresi Politica,

duci &c. Quamvis igitur non pauca sint monenda in Elementis Hertianis, credere tamen debemus, studia Politica interea non parum fuisse emendata. Etsi enim nondum habeamus elementa vel institutiones integras hujus emendationis, sufficit tamen, quod quotidie magis aucta fuerit & adhuc augeatur libertas Academica, ostendendi fontes corruptionis, & reliquias crassas papatus Politici in Academiis Protestantium. Initium enim sapientiæ & prudentiæ est agnitio distincta propriæ stultitiæ &c.

rr) De Anabaptistarum origine & progressu vide, præter Arnoldi Ketzer-Historie, autores citatos *in cautel. circ. præc. jurispr. Eccl. cap. XVI. §. 19.* & Colbergii *Platonisches* Christenthum *cap. 9.* quamvis hic autor nimis partialis sit & in fine *§. 1. p. 337. seq.* parum verosimiliter asserat, Anabaptistas etiam hodiernos

Notabilia quædam de Anabaptistis.

 diernos

tica, de qua fusius agit Antonius Faber

diernos ad seditionem adversus magistratum inclinare & saltem metu retineri: Id potius monendum: Anabaptistas seductos fuisse, quod agnita stultitia Scholasticorum, rectam rationem plane abjecerint, & a Pseudotheologia Mystica seducti, in Enthusiasmum fuerint prolapsi. Cum his potius commiseratio habenda, quam ut iis irascamur; sive enim adhuc vivamus inter hæretifices orthodoxos, ratione abutentes, agnoscendum erit, nostram stultitiam palpabilem occasionem dedisse hominibus ingenuis, sed parum prudentibus, ut in alterum extremum prolaberentur; sive ipsi a Theologia Pseudomystica seducti rejecerimus usum omnem rationis, expendendum erit illud axioma; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Occasionem autem persequendi Anabaptistas & graviter puniendi sumserunt tam Catholici quam Protestantes initio ex justa causa, non tanquam hæreticos, sed tanquam seditiosos, quales primis reformationis temporibus erant plerique. Quod vero & in reliquos non seditiosos

Faber initio Codicis Sabaudici; An pru-

---

sos tanquam adversus hæreticos fuerint pœnæ capitales usurpatæ, Catholici quidem per Jus Canonicum & hujus doctrinam non solum de hæresi in genere sed & in specie de hæresi Anabaptistarum defendebant, *vide not. ad Lancell. lib. 2. Tit. 3. §. 13. 14. p. 656.* Lutherani vero Theologi utebantur distinctione inter hæresin tranquillam & seditiosam, cujus autor videtur fuisse Philippus Melanthon. *vide notas ad Lancel, lib. 3. nota 402. sect. 2. p. 1498.* conf. *Histor.* der Weißheit und Thorheit *Tom. 3. p. 27. seq.* præcipue *p. 33. ad artic. 2.* & *notam Osseanam 166. p. 362.* Contra JCti defendebant pœnam Anabaptistarum capitalem ex Jure Canonico & ex *l. 2. C. ne sanct. baptism. iteretur:* conf. *not. ad Lancell. d. p. 656.* Sed utrumque male, cum potius doctrinas Juris Canonici crasse Papizantes debuissemus expungere, & cum ipsa doctrina Anabaptistarum de magistratu, scilicet quod Christiani non debeant magistratum gerere, per se non sit seditiosa, sed orta fuerit ex non recte intellecta doctrina Christi, de qua supra *not. u.*

prudenter fecerint Jureconsulti Protestantes, ——— ss) Sed quorsum

---

Observationes de hæresi politica ab Antonio Fabro Protestantibus imputata.

ss) Si quis ea, quæ supra in *nota gg. ad Orat. 1. p. 203. seq.* de Codice hoc Fabriano dixi, & quæ ibidem *p. 235.* adjeci, repetierit, facile intelliget illa quæ hic de hæresi politica obiter quasi memoravi, & quid adjicere voluerim in verbis ultimis abruptis. Scilicet excerpsi *ibi p. 206. seq.* calumnias Antonii Fabri, quibus & Lutheranos & Reformatos initio Codicis sui, ut nefarios hæreticos & quidem politicos depingere voluit, & optavi *p. 235.* ut quidam ex JCtis protestantibus calumnias istas Fabrianas breviter & perspicue refutaret. Hinc ergo facile apparet, in verbis hic abruptis me id dicere voluisse: *An prudenter fecerint JCti Protestantes, quod hanc hæresin politicam ipsorum religioni & ipsis per calumnias imputatam non refutaverint?* Habes ergo quæstionem integram. Quod responsionem attinet, de ea multa dici possent, si non ad finem properarem, cum rationes non paucæ in utramque partem inclinent. De illis quidem JCtis, qui Codice Fabriano, non ut asylo ignorantiæ usi sunt

sum abripior? Dies me deficeret, si vel per indicem summarium recen-

sunt, sed ex ipsa confessione Fabri, ipsum, ut librum non magni pretii considerarunt, non videtur restare dubium, quod prudenter fecerint tacendo ad istas calumnias Fabri. At cum maxima pars JCtorum nostrorum eminentium de Codice Fabriano, ut libro pene incomparabili loqui & eo etiam, ut tali, quotidie uti soleant, his videbatur suadendum esse, ut si non pro evidentibus contemtoribus religionis suæ haberi vellent, (quod maxime imprudens foret) istis calumniis responderent; ex altera parte regulæ aliæ prudentiæ hanc refutationem ipsis dissuadebant, cum Faber maximam partem argumentis ex jure Canonico & Justinianeo desumtis usus fuerit, quæ ideo cum successu illi refutare non poterant, quia more γνησίως Juridico istas crassas reliquias papatus Politici solebant commendare quotidie auditoribus suis, & eas ipsimet, ut sapientiæ ipsius doctrinas exosculari. Jam ergo ipse Lector judicet, quænam inter has duas oppositas sententias alteri

recensere vellem meditationes, quæ occasione quæstionis, an Sapienti sit gerendus magistratus, mihi in mentem venerunt.

24. Decisio quæstionis brevis & perspicua, cum applicatione. Ex istis autem, quas saltem hactenus memoravi, quam præ reliquis eligerem? quam omitterem? a qua initium sermonis facerem? Ergo judicavi melius esse, si nihil de ea quæstione erudite dicerem, cum tempus non permittat, ut perfecte dicatur. Dicam tamen duobus verbis, sed de simplici & plano, & absque ulla eruditionis specie. Initio, qui magistratum gerit sapiens, bene agit; Qui ab eo abstinet, melius agit. Utique si non a natura ad imperandum & magistratum gerendum aptus natus sit, hoc est, si non patientia, magnanimitate, vivacitate, moribus pau-

teri sit præferenda. Nam & ipsius meditationi quædam sunt relinquenda. Ego hic notis meis finem impono.

paululum ſeverioribus ſit præditus, easque virtutes prudentía per longam experientiam acquiſita condiverit. Quæ omnia cum in me nequaquam deprehendam, pace veſtra, Auditores, mihi pronunciare liceat, me non male equidem egiſſe, quod in ſuſcipiendo munere Prorectorali vires meas tentaverim; ſed in poſterum bene imo melius me acturum, ſi a gerendo officio magiſtratus, etiamſi nova ſe offerat occaſio, abſtineam, & melioribus uſibus tempus, quod omnium rerum eſt cariſſimum, reſervem.

Quare etſi absque transquillitatis turbatione munus hoc Academicum deponam; gaudeo tamen ex animo, quod momentum ultimum depoſitionis advenerit, & quod ad muſas ac alia negotia, ad quæ magis aptus ſum, redire mihi liceat. Ergo in nomine Sacroſanctæ & individuæ Trinitatis, in cujus nomine Prorectoratum

25. Depoſitio Prorectoratus cum adhortatione ad Studioſos.

ratum ante annum ſuſcepi, eundem iterum depono, & ſucceſſori meo, Viro in regnandi prudentia magis exercitato, ſolenniter trado, ſi modo vos, Studioſi chariſſimi, quod ſtatuta poſtulant, adhortatus fuero, ut eandem reverentiam ac obedientiam, quam mihi exhibuiſtis, etiam illi exhibeatis, & ita ſimul Potentiſſimo Regi, cujus juſſu & auſpiciis hæc omnia fiunt, ſimul Sereniſſimo Principi ac Domino, Rectori noſtro magnificentiſſimo, cujus perſonam gerunt, Prorectores, ſubmiſſiſſimum obſequium teſtemini.

26. *Poſtulata a ſucceſſore declaratio publica.* Cæterum cum & ſtatuta noſtra jubeant, ut novus Prorector publice declaret mentem ſuam de ſuſcipiendo officio, age Vir Magnifice & Excellentiſſime, Domine *Henrice Bodine*, Sacræ Regiæ Majeſtatis in Conſiſtorio Sacro Ducatus Magdeburgici Conſiliarie ſplendidiſſime, ac Jurium Profeſſor Ordinarie celeberrime, Col-

lega

lega honoratissime, age, inquam, & cum te nunc Ordo, gubernacula Academica regendi, tangat, quænam de eo negotio sit animi Tui sententia, illustri huic Auditorio expone.

Postquam hoc modo mentem tuam satis aperuisti, Vir Magnifice ac Excellentissime, nihil amplius restat, quam ut cathedram hanc adscendas, & solenni traditione de novo Prorectoratu Te investiri patiaris. *27. Investitura ejusdem solennis.*

Salve Magnifice Academiæ Prorector, & locum Tuam Magnificam personam decentem haud gravatim occupa. *28. Adscensio in Cathedram.*

Symbola & insignia Prorectoralis dignitatis, quæ Tibi jam tradentur, etsi pleraque a Romanis Pontificibus, primis Universitatum in Europa Christiana fundatoribus, sint inventa, & mysticam *29. Interpretatio symbolorum mystica de virtutibus Prorectorum.*

sticam forte significationem habeant, Rectores & Doctores Academicos a subjectione Magistratus Politici exemtos esse; Cum tamen unius ejusdemque rei vel centum possint esse interpretationes mysticæ, hoc est, occultæ, in præsenti tentabo, an virtutes Prorectorum, sub insignibus hisce adumbratas ostendere queam, non quod Tu, ProRector Academiæ Magnifice, qui jam semel hoc munere egregie & laudabiliter es defunctus, monitis meis hac in parte opus habeas, sed ut ostendam, me interpretationum mysticarum non adeo esse ignarum, ut eas odisse debeam, & ut simul declarem, quid ipse de officio meo cogitaverim, cum ante annum id in humeros meos susciperem.

30. (1) Pallii Prorectoralis. Initio tibi *Pallium Pro-Rectorale* circumdo. Pro-Rectores, etsi Doctores sint, qui exemplo præire debent juvenibus, in comparanda sapientia & suffocandis affectibus,

ctibus, simul tamen homines sunt, qui etiam nævos suos habent. Hos ergo opus est ut tegant pallio, non versutiæ aut hypocriseos, sed prudentiæ, ne nimia eorum detectio contemptum pariat apud juvenes, qui revereri autoritatem Magistratus sui debent. Pallium hoc non semper gestatur a Prorectore, sed solum in festivitatibus solennioribus. Cogitabit igitur Prorector, quod, uti olim ridebantur, qui ex pallio & barba judicabant philosophos, ita nec ipse omnem prudentiam suam in occultatione & palliatione nævorum humanorum consistere arbitretur, sed maxime autoritatem parari sincera ostensione virtutum, quibus polleat, & quæ imbecillitates humanas emineant. Denique pallium est Regium aut prope Regium, non quod magistratus Academici Regibus sint æquiparandi, sed quod in eo tamen cum regibus, in humilitate & absque fastu comparari queant, quod, quemadmodum in Reges o-

mnium ſubditorum oculi ſunt directi, ut vel minimam regentium maculam obſervent; ita & diſcentium oculi magis in Prorectoris, quam Profeſſorum reliquorum mores reſpicere ſoleant. Unde eo major cura incumbit Prorectoribus, ne nævos naturæ humanæ ſaltem externa quadam occultatione ſe obtegere poſſe arbitrentur, cum curioſitas ſtudentium tanta ſit, ut inquirant, quid ſub pallio lateat, aut plus quam lynceis oculis transvideant palliationes illas; ſed ut maxime ſtudeant nævos ejusmodi & maculas ope ſapientiæ abluere.

31. (2) *Pilei quadrati.* Impono etiam capiti Tuo *Pileum Prorectoralem*, non rotundum ſed *quadratum*. Rotunditas mobilitatis, quadrata forma conſtantiæ Symbolum eſt. Decet Prorectorem non in horas mobilem & variabilem eſſe, ſed decet, eum eſſe virum quadratum & conſtantem. Pilei hujus quatuor ſunt anguli, ut recordentur Prorectores, quatuor virtu-

tum

tum Cardinalium, nec recordentur saltem, sed & easdem in actionibus suis exprimere allaborent. *Fortitudinem*, seu magnanimitatem, ne patiantur officium suum contemni a civibus Academicis, vel ut etiam discant, magnas injurias, ubi opus sit, magno animo patienter ferre, est enim magnæ sapientiæ indicium, magnas posse injurias concoquere; *Temperantiam*, ne intemperanter aut luxuriose vivendo scandala præbeant civibus Academicis, & sic eos ad contemtum irritent; *Justitiam*, ut nec inimicis Academiarum dent occasionem male loquendi de magistratu Academico; denique *Prudentiam*, ut sciant, quando severitate, quando misericordia, quando patientia, imo etiam quando hilaritate & gaudio uti deceat, & ne nimis affectando viri justi nomen, male audire incipiant, cum sæpissime summum jus soleat esse summa injuria.

32.(3) *Duorum sceptrorum Academicorum.* Porro trado Tibi *duo Sceptra Academica.* Sceptrum quandoque Imperii, quandoque Prudentiæ Symbolum eſt. Utrumque ſymbolum duplici hoc ſceptro ſignificari putabit Prorector. Non ita ſtrenue & rigide imperabit Studioſis, ut obliviſcatur, ſe eſſe etiam Doctorem, cujus munus eſt, errantes hortari, admonere, precari, exemplo iis præire. Nec ita mollibus & blandis precibus utetur adverſus juvenes indociles & pertinaces, ut obliviſceatur, ſibi etiam datum eſſe ſceptrum Imperii & coactionis.

33.(4) *Matriculæ.* Porrigo etiam *Matriculam*, in qua ſolent inſcribi nomina Civium Academicorum. Boni Magiſtratus eſt, cives ſuos habere cognitos, ſed cum Jure Conſultus moneat, ſcire leges non hoc eſſe, verba eorum tenere, ſed intelligere vim & poteſtatem; etiam Prorector cogitabit de Monito Politico, noſſe cives non hoc eſſe, memoria tenere ipſorum nomina, aut noſſe figuram corporis & faciei exter-

externam, ſed noſſe mores Civium, non minutatim ſingulorum, ſed communes plurium, ut inde in tempore conſilium capere queat, quomodo regendi ſint cives. Ut enim alia vita alios mores, ita & alii mores, aliud regimen poſtulant.

Dum *Privilegia* & *Statuta Academia* Tibi trado, res explicatione longe quæſita non habet opus. Eſt enim præcipua Prorectoris virtus, Privilegia Academica cordate defendere, ſed tamen ita eis uti, ne aliorum juribus ac privilegiis id fraudi ſit. Eſt & altera virtus ſecundum ſtatuta Academica non ſolum judicare, ſed & vivere. 34. (5) *Privilegiorum & Statutorum.*

In *Sigillis* Academicis effigies Majeſtatis Regiæ in throno ſedentis in majori, in minori Aquila Regia eſt impreſſa. Majus Sigillum videtur Prorectores admonere, ut omnia agant, tanquam in conſpectu Regio, ut ſic rationes reddere valeant omnium actionum ſuarum, ne iram Regis 35. (6) *Sigillorum.*

 adver-

adversus se excitent, aut ulli justam de se conquerendi causam præbeant. Eadem significatio Sigilli minoris est, ut videlicet Prorectores Symbolum Regium, *Suum cuique esse tribuendum*, tanquam scopum præcipuum regiminis sui sibi proponant.

38.(7) *Clavium.* Tandem *Claves* accipe, easque *duas* & aureas vel *auratas*. Non sunt Claves Cœli & Inferorum, quas Pontificii Papæ datas esse fabulantur; nec sunt clavis ligans aut solvens, de quarum alterutrius amissione in Ecclesiis nostris querelæ non vulgares solent institui; Sunt claves scientiæ & prudentiæ; claves evadendi & viam aperiendi in rebus dubiis, ut Prorector videlicet prudens sit ac promptus in dijudicatione negotiorum, quæ ad ipsius tribunal pertinent. Sunt claves genuinæ, non adulterinæ aut Laconicæ; ut secundum regulas scientiæ & prudentiæ, non secuudum æquitatem quandam cerebrinam

causæ

causæ obvenientes solvantur, neque instar nodi Gordii violenter rumpantur. Sunt aureæ, ut Prorectores sibi persuadeant, se non opus habere auro alieno, aut auro partium litigantium, ut claves dijudicandi causas difficiles invenire queant.

CONCLUSIO.

37. Gratulatio novi Prorectoris.

Atque hæc sunt, quæ secundum mores Academiæ Fridericianæ in investitura Prorectorum adhiberi solent. Quod superest, ego Tibi, Magnifice Academiæ Prorector, de hoc suscepto munere animitus gratulor, ac felicem & faustum introitum ac exitum muneris tui sincera mente voveo; Officia mea & obedientiam, quam Statuta a Collegis postulant, tibi offero & promitto, atque me favori ac benevolentiæ Magnificentiæ Tuæ commendo: Deo vero & pro hoc negotio peracto sit laus honor & gloria in æternum.

(o)

SVM-



SVMMARIA.

EXORDIVM. I. *Preces duplicis generis, cum Prorectoratum susciperem.* II. *Testatio varii gaudii ob felicitatem domus Regiæ & proclamatio Rectoris Magnificentissimi.* III. *Grata memoria erga Curatorem Academiæ interim mortuum, & legatam ab eo Academiæ Bibliothecam.* IV. *Testatio gaudii ob feliciter gestum (per providentiam divinam) officium Prorectoratus.* V. *Gratiarum actiones variæ: (1.) erga Serenissimum Principem juventutis, studiis hic operam dantem.* VI. (2.) *Erga illustre Regimen ducatus Magdeburgici.* VII. (3.) *Erga Senatum Academicum.* IIX. (4.) *Erga Magistratum urbis Halensis.* IX. (5.) *Erga studiosam juventutem.* *PROPOSITIO.* X. *Inquisitio quæstionis:* An Sapientem

tem deceat Magistratum gerere? XI. *Copia dicendorum saltem per indicem ostensa.* XII. (*I.*) *Ex historia Philosophica. Variæ sententiæ Philosophorum Ethnicorum:* (*1*) *Pythagoræ* a) b) c) d). XIII. (*2*) *Socratis.* e)

a) *Pythagoræorum fraudes, sub specie fugiendi Magistratum, perveniendi ad summum imperium.*

b) *Ciceronis dicta varia de Pythagora & Pythagoreis.*

c) *De Præcepto Pythagorico:* λάθε βιώσας.

d) *An Pythagoras prima fundamenta jecerit Papismi Politici?*

e) *Probatio brevis eorum, quæ hic de Socrate dicuntur.*

XIV. (*3.*) *Stoicorum:* f) g) h) i)

f) *Cur Stoici, inculcantes, sapientem ad Rempublicam accessurum, ipsi non accesserint.*

g) *Exempla quæstionum Stoicorum inanium ex Seneca. De libris Politicis Stoicorum.*

h) *Ciceronis censura Stoicorum, & quid huic & Plutarcho respondeat Lipsius.*

i) *Aliæ responsiones Lipsii insufficientes.*

XV. (4) *Epicuri.* l) XVI. (5) *Pla-*

l) *Epicuri doctrina, Sapientem ad Rempublicam accessurum, comparata cum doctrina Stoicorum.*

tonis & Platonicorum. m) n) o) p)

m) *Brevis nota circa dictum Platonicum.*

n) *Judicium sincerum de Platone: Et in specie de ejus dialogis de Republica. Horum Synopsis.*

o) *Synopsis dialogorum Platonis de legibus. Judicium speciale, de doctrinis Platonicis: In specie de Poëtis. De hypocritica pietate Platonica. De communione bonorum & uxorum &c.*

p) *Plutarchi encomia & judicia de ejus scriptis. Item de ejus secta.*

XVII. (6) *Aristotelis.* q) r) s)

q) *Judicium de Aristotele quomodo temperandum.*

r) *Cur Jesuita Rapinus Politicam Platonis & Aristotelis omiserit. Dissensus & consensus Platonis & Aristotelis in doctrina Politica.*

s) *Conringii merita in doctrina Politica Aristotelis commendanda & emendanda. Conringii judicia de novioribus scriptis Politicis. Meum de*

Con-

Conringio judicium. Item de Politicis Aristotelis.

XIIX. *(II) Ex principiis doctrinæ Christianæ & Philosophorum, qui Christiani vocantur.* t) XIX. *(1) de*

t) *Philosophia Christiana quatenus laudari, quatenus ut erronea notari mereatur.*

sensu doctrinæ Christi: Reges Gentium regnant. Vos autem non sic. u) x) XX. (2) *Cur in primis*

u) *Genuinus sensus dicti.*

x) *Exempla astutarum interpretationum Monachalium.*

Christianismi seculis regnaverit Stoica & Platonica Philosophia, non Epicurea, nec Aristotelica. y) z) aa) bb)

y) *Scriptores, quinam hic evolvendi. Excerpta ex Rapino. Judicium de eo. Item de Autore Platonismi detecti. Excerpta ex Colbergio, & Zieroldo. Judicium de utroque. Excerpta ex Johanne Clerico, & judicium de eo. Loci ex meis scriptis.*

z) *Quæstionis propositæ resolutio.*

TURA EJUSDEM SOLENNIS. XXIIX. *Adſcenſio in Cathedram.* XXIX. *Interpretatio Symbolorum myſtica de virtutibus Prorectorum:* XXX. *(1) Pallii Prorectoralis:* XXXI. *(2) Pilei quadrati:* XXXII. *(3) Duorum Sceptrorum Academicorum:* XXXIII. *(4) Matriculæ:* XXXIV. *(5) Privilegiorum & ſtatutorum:* XXXV. *(6) Sigillorum:* XXXVI. *(7) Clavium.* *CONCLUSIO* XXXVII. *Gratulatio novi Prorectoris.*



